School of Theology at Claremont
1001 1387577



The Library

SCHOOL OF THEOLOGY
AT CLAREMONT

WEST FOOTHILL AT COLLEGE AVENUE
CLAREMONT, CALIFORNIA

SUMMA

THEOLOGIAE MORALIS.

BX
1758
N68
1923
v.3

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana

III.

DE SACRAMENTIS.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM ORDINIS.

DE
SACRAMENTIS.

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

Editio XV et XVI.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM ORDINIS.

OENIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS FEL. RAUCH.

RATISBONAE ET NEO EBORACI APUD FRIDERICUM PUSTET.

1923.

PRINTED IN AUSTRIA.

Introductio.

1. *a.* Homo vitam aeternam, ad quam per summam Dei bonitatem destinatus est, operibus tanto fine dignis sibi promereri debet. Sacramenta sunt totidem *media et subsidia* ad hunc finem assequendum divinitus instituta. Dupliciter autem sacramenta sunt media atque subsidia vitae aeternae, eo quod gratiam sanctificantem infundunt et eo quod gratias actuales conferunt, quibus praecepta Dei et ecclesiae observare possimus, prout ad finem supernaturalem oportet: *Per sacramenta enim omnis vera iustitia vel incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur*[1]). In theologia morali sacramenta consideranda sunt tamquam media et adiumenta vitae aeternae a Deo nobis concessa.

b. Ex institutione sacramentorum novus *praeceptorum ordo* exsurgit, quorum alia ad ministros, alia vero ad eos pertinent, qui sacramenta suscepturi sunt. Iam vero ad theologiam moralem et pastoralem spectat praecepta explanare, quae ad sacramenta rite administranda et suscipienda referuntur. Quare, praemissa tractatione de sacramentis in genere, de singulis sacramentis in specie ita agendum erit, ut praecepta proponantur, quae ex eorum institutione fidelibus et sacramentorum ministris iniunguntur.

c. Omnia sacramenta in duo genera apte dividuntur: alia enim ad utilitatem communitatis referuntur (ordo et

[1]) *Concilium trident.* sess. 7. De sacram. Prooem.

A11514 School of Theology at Claremont

matrimonium), alia ad utilitatem singulorum hominum spectant (baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio). Effectum quidem suum etiam priora in singulis suscipientibus producunt, sed iste effectus non tam ipsi suscipienti quam communitati i. e. ecclesiae et societati civili necessarius est.

Posterioris generis sacramenta iterum in duas classes dividuntur: alia enim abstractione facta a peccatis propriis ad vitam supernaturalem gignendam, conservandam vel augendam (baptismus, confirmatio, eucharistia), alia ad peccata propria delenda (poenitentia, extrema unctio) instituta sunt. Quare tractatio de sacramentis in specie in tres partes dividi potest, quarum prima agit de sacramentis, quae vitam supernaturalem conferunt vel augent *(baptismus, confirmatio, eucharistia)*, altera de sacramentis, quae peccata propria delent *(poenitentia, extrema unctio)*, tertia demum de sacramentis, quae non ad singulos, sed ad communitatem referuntur *(ordo, matrimonium)*.

Liber primus.

De sacramentis in genere[1]).

Quaestio prima.

De natura sacramentorum.

2. Definitio. Sacramentum novae legis definiri potest: *signum visibile divinitus institutum ad sanctificationem hominum significandam et efficiendam.*

Signum visibile i. e. sensibile, quod aliquo sensu externo percipi possit. *Divinitus institutum*, quia auctor sacramentorum est Christus Iesus: solum enim Deus instituere potest sacramentum, quia solus Deus rebus materialibus vim tribuere potest producendi gratiam sanctificantem. *Ad sanctificationem significandam et efficiendam*: sacramenta enim non solum *signa* gratiae, sed etiam eiusdem *causae* sunt. Insuper his verbis exhibetur *finis* sacramentorum, quae omnia eo tendunt, ut hominem per gratiam sanctificent. Gratia autem, quam omnia sacramenta significant

---

[1]) *S. Thomas* III. q. 60—65. *S. Alphonsus* l. 6. n. 1—89. *Fr. Suarez*, De sacramentis in genere disp. 1—18. *Io. de Lugo*, De sacramentis in genere disp. 1—9. *Sporer-Bierbaum*, Theologia moralis decalogalis et sacramentalis tom. III. pars 1. De sacramentis in genere n. 1—196. *Aeg. Coninck*, De sacramentis quaest. 60—64. *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae[3] tom. VI. VII. *A. Lehmkuhl*, Theologia moralis[10] II. n. 1—54. (n. 1—74.) Numeri intra parenthesim additi referuntur ad editionem duodecimam. *Ballerini-Palmieri*, Opus theologicum morale[3] IV. n. 642—710. *Nik. Gihr*, Die hl. Sakramente der kath. Kirche[2] (Freiburg. Herder. 1903). *I. E. Pruner*, Lehrbuch der Pastoraltheologie (Paderborn. Schöningh. 1900) I. Bd. *Dom. Prümmer*, Manuale Theologiae Moralis (Freiburg, Herder 1915) T. III. Novus Codex iuris eccl. brevitatis causa citatur in hunc modum e. g. cn 371, vel cn 839, 3.

et conferunt, principaliter est gratia sanctificans: hanc enim vel primo conferunt vel iam collatam augent.

3. Effectus sacramentorum in genere triplex est, alius omnibus sacramentis *communis:* gratia sanctificans, virtutes supernaturales et dona Spiritus Sancti; alius singulis *peculiaris:* gratia sacramentalis, quo nomine intelligitur tum ius obtinendi omnia auxilia necessaria ad consequendum finem cuiusvis sacramenti proprium, tum haec ipsa auxilia suo tempore actu collata; tertius tandem trium sacramentorum: baptismi, confirmationis et ordinis *proprius,* scilicet character.

Character est signum indelebile animae impressum, quo haec conformatur Christo eiusque famulatui in diverso statu et gradu specialiter deputatur et consecratur: per characterem enim baptismi homo constituitur *ovis* et membrum Christi et conformatur Christo capiti et supremo pastori; per characterem confirmationis constituitur *miles* Christi et conformatur Christo supremo duci militiae nostrae; per characterem ordinis constituitur *minister* Christi et conformatur Christo supremo principi pastorum, episcopo animarum nostrarum, summo sacerdoti[1]).

De gratia, quam diversa sacramenta conferunt, ex communiori theologorum doctrina haec statui possunt.

a. Si sacramenta *specie diversa* (baptismus, confirmatio etc.) invicem comparantur, non omnia eandem gratiam, sed unum sacramentum alio maiorem et perfectiorem producit: unum enim alio in se dignius et perfectius est, ideo etiam maiorem et perfectiorem effectum producit, et cum sanctissimum eucharistiae sacramentum sit omnium dignissimum, ipsum omnibus aliis perfectiorem effectum confert. Et sane finis diversorum sacramentorum alius est alio perfectior, ideo etiam exposcit, ut aliud sacramentum alio perfectiorem effectum producat. Cum e. g. finis ordinis sit fine confirmationis perfectior, ordo perfectiorem gratiam suscipientibus confert.

b. Si sacramenta solo *numero diversa* considerantur (plures baptismi), dicendum est in subiectis eiusdem dispositionis ex ■ (quoad gradum) semper eundem effectum produci: quodvis enim sacramentum ex institutione divina ad certum et determinatum effectum ex se producendum ordinatum est. In subiectis autem diversae dispositionis

[1]) Cf. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 1. n. 57.

omnes docent diversum (quoad gradum) effectum produci, scilicet maiorem in subiecto melius disposito et minorem in subiecto remissius disposito. Singulorum tamen sacramentorum effectus iuxta alios secundum gradum et mensuram ex institutione divina limitatus est, adeo ut certa mensura ne in eo quidem excedatur, qui ad maiorem recipiendam dispositus sit. Alii econtra putant singulorum sacramentorum effectum non esse ex institutione divina, sed solum ex suscipientis dispositione ad certum gradum determinatum, adeo ut inaequaliter dispositi secundum perfectionem dispositionis inaequalem gratiam sortiantur, quae solum ex dispositione suapte natura finita limitetur[1]).

4. Effectuum sacramentalium divisio. Effectuum, qui a singulis sacramentis conferuntur, alii dicuntur effectus per se, alii effectus per accidens. Effectus *per se* ille est, ad quem producendum sacramentum institutum est, qui proinde semper et in omni casu producitur; sic remissio peccati originalis est baptismi effectus per se. Effectus *per accidens* ille est, ad quem obtinendum sacramentum non est institutum, qui proinde solum in aliquo casu extraordinario a sacramento producitur; sic remissio peccati mortalis est eucharistiae effectus per accidens. Effectus per se distinguitur in *primarium,* quem Deus in institutione sacramenti principaliter intendit, qui proinde est adaequata ratio instituendi sacramentum, et in *secundarium,* quem Deus solum remote intendit, qui proinde non est ratio instituendi sacramentum. Sic remissio peccati mortalis et venialis per se et vi institutionis a sacramento poenitentiae producitur, sed illa primario, haec solum secundario.

5. Modus efficiendi. Sacramenta suum effectum producunt *ex opere operato* i. e. vi ipsius actionis sacramentalis, quae ex voluntate et institutione Christi id habet, ut ex se gratiam conferre et suscipientem sanctificare possit; *non ex opere operantis* i. e. non ex dignitate et merito illius, qui sacramentum administrat, neque illius, qui sacramentum suscipit. Dispositiones enim suscipientis, quae praerequi-

[1]) Cf. *Laymann,* l. 5. tr. 1. c. 6. n. 6. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 1. n. 49 ss.

runtur, necessariam condicionem, non autem gratiae causam efficientem constituunt; et dispositiones ministri requiruntur, ut sacramentum digne, non autem ut valide administretur. Posita ergo actione sacramentali effectum suum sacramenta *infallibiliter* producunt et suscipienti conferunt, modo non adsit obex, qui illum impediat.

Sacramenta effectus suos producere ex opere operato *negative* quidem significat, ea vim suam non habere ex mérito ministri conferentis nec subiecti suscipientis; *positive* autem significat ipsam actionem sacramentalem vim habere causandi gratiae effectum.

6. Numerus sacramentorum. *Septem* sunt novae legis sacramenta nec plura nec pauciora: *baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo* et *matrimonium.* Id de fide certum est ex definitione ecclesiae: „Si quis dixerit sacramenta novae legis non esse a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, anathema sit“ [1]).

a. Septenarius sacramentorum numerus non ex rei natura, sed solum ex voluntate et beneplacito Dei colligi potest. Convenientissime autem factum est, ut *septem* instituerentur sacramenta: finis enim sacramentorum est vita hominis supernaturalis, quae similitudinem habet cum eiusdem vita naturali. Ad vitam autem naturalem tum privatam tum publicam septem necessario requiruntur: homo generandus, augendus et roborandus, nutriendus, ab infirmitate sanandus ab eiusque reliquiis liberandus est; quia in societate vivit, constituendi sunt superiores, qui societatem regant; quia mortalis est, necessaria est legitima coniunctio maris et feminae ad propagandum genus humanum, ne deficiat societas. Pari modo ad vitam supernaturalem septem necessaria sunt: generatio per baptismum, augmentatio et roboratio per confirmationem, nutritio per eucharistiam, remedium contra peccatum per poenitentiam, remedium contra reliquias peccatorum per extremam unctionem; potestas regendi ecclesiam per ordinem, propagatio generis humani ad cultum Dei destinati per matrimonium[2]).

b. Singula sacramenta ex fine, in quem instituta sunt, potissimum differunt. Quamvis ergo omnia sacramenta gratiam sanctificantem conferant, eam tamen pro diverso fine diversam conferunt. Nimirum gratia sanctificans, quae in singulis sacramentis confertur, principium

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 7, can. 1.

[2]) Cf. *s. Thomas* III. q. 65. a. 1.

est et fundamentum auxiliorum, quae postea ad obtinendum peculiarem sacramenti finem a Deo conceduntur. In *baptismo* igitur confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo Deum colere eiusque praecepta observare possit; in *confirmatione* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo roboretur ad fidem conservandam et defendendam; in *eucharistia* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo proficere possit per maiorem caritatem maioremque unionem cum Christo; in *poenitentia* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo relapsum in peccata cavere possit; in *extrema unctione* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo iuvetur ad ferendas aequo animo morbi et ultimi agonis molestias; *in ordine* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia divina, quibus ordinatus digne et cum fructu exercere possit sui ordinis officia; in *matrimonio* confertur gratia sanctificans, prout continet ius ad auxilia, quibus iuventur coniuges ad munia coniugii rite obeunda. Hinc sequitur hominem, qui per peccatum mortale amittit gratiam sanctificantem, simul amittere ius ad auxilia, quod in illa continetur.

7. Sacramentorum divisio. Septem novae legis sacramenta sunt:

a. Iterabilia, quae saepius suscipi possunt, eo quod non imprimunt in anima characterem indelebilem: *eucharistia, poenitentia, extrema unctio, matrimonium;* et *non iterabilia,* quae semel tantum valide suscipi possunt, eo quod in anima imprimunt characterem indelebilem: *baptismus, confirmatio, ordo.*

b. Sacramenta *mortuorum,* quae per se et primario instituta sunt ad primam gratiam conferendam, et proinde ad infundendam homini spiritualiter *mortuo* vitam supernaturalem gratiae: *baptismus* et *poenitentia;* et sacramenta *vivorum,* quae per se et primario instituta sunt ad conferendam gratiam secundam, et proinde ad augendam vitam supernaturalem gratiae in eo, qui gratia iam instructus est: *confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo* et *matrimonium.*

a. Per accidens fit, ut etiam sacramenta mortuorum conferant gratiam secundam, si nimirum is, qui ea suscipit, per contritionem perfectam iam est in statu gratiae. Pari modo per accidens fieri potest, ut sacramenta vivorum conferant gratiam primam, si nimirum is, qui ea suscipit, in statu peccati mortalis est bona fide existimans

se esse in statu gratiae, modo habeat attritionem; quod quidem de extrema unctione certum est, de aliis vero sacramentis non item.

β. Qui *affirmant* sacramenta vivorum per accidens gratiam primam conferre, hoc utuntur argumento: sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferunt ex opere operato; sed qui bona fide et cum attritione suscipit sacramentum, non ponit obicem, alias sacramenta mortuorum non producerent effectum. Qui vero id *negant*, respondent hoc ipsum esse in quaestione, utrum in sacramentis vivorum solum defectus status gratiae culpabilis an etiam inculpabilis obicem constituat[1]). Cum tota res pendeat a voluntate Christi instituentis sacramenta, voluntas autem Christi in hac re nobis non sit manifestata, praeter extremam unctionem nihil certi de ea definiri potest[2]).

c. Sacramenta *necessaria* et *non necessaria:* α. *baptismus* omnibus hominibus et *poenitentia* iis, qui post baptismum in grave peccatum lapsi sunt, necessaria est necessitate medii; β. *eucharistia* necessaria est necessitate praecepti; γ. reliqua quatuor sacramenta per se non sunt singulis necessaria neque necessitate medii neque necessitate praecepti.

d. Sacramenta *invalida,* in quibus sacramentum ipsum nullum est et solum ritus eius externus peragitur; et *infructuosa,* in quibus ipsum sacramentum valide confertur, quod tamen effectu gratiae caret.

α. Sacramenta *invalida* nullum effectum producunt in anima suscipientis; *infructuosa* aliquem effectum producunt: alia imprimunt characterem, omnia ius conferunt ad gratiam sacramento suscepto convenientem.

β. Ex his patet, magis eum peccare, qui sacramentum invalidum administrat vel recipit, quam eum, qui sacramentum infructuosum recipit vel administrat.

e. Sacramenta *formata*, quae effectum suam (gratiam sanctificantem seu formam animae) producunt, quando suscipiuntur; et *informia,* quae valide quidem suscipiuntur, at propter obicem in suscipiente exsistentem effectum suum non producunt.

α. *Obex* seu *fictio* dicitur defectus necessariae dispositionis, qui in suscipiente impedit, quominus sacramentum effectum gratiae producere possit. Consistit in peccato mortali vel potius in adhaesione et affectu voluntatis ad peccatum mortale. Obex tamen non impedit, quominus imprimatur character.

β. Sacramenta possunt esse informia *ex culpa* vel *sine culpa,* quia obex culpabiliter aut bona fide in anima reperiri potest. Porro omnia

[1]) Cf. *s. Thomas* III. q 79 a. 3. — [2]) *Benedict. XIV.* De syn. l. 7. c. 11. n. 1.

sacramenta possunt esse informia; de sola poenitentia complures dubitant ob rationem, quae infra exponetur.

8. De reviviscentia sacramentorum.

Sacramenta *reviviscere* significat ipsa postea ablato obice eandem gratiam conferre, quam contulissent, si obex in anima non adfuisset. *Obicem auferre* significat necessarias dispositiones sibi comparare, quae, dum sacramentum conferebatur, adesse debuissent, sed vel culpabiliter vel sine culpa non aderant.

1. Omnes quidem ultro concedunt in reviviscentia sacramentorum nullam esse repugnantiam, cum reviviscentia in hunc modum explicetur: omne sacramentum valide collatum effectum sibi proprium producit i. e. suscipienti aut ipsam gratiam confert aut ius ad gratiam per sacramentum producendam, quae, cum animae propter obicem in ipsa existentem applicari non possit, manet interim suspensa, donec removeatur obex; remoto autem postea obice reipsa animae applicatur. Iam vero facile intelligitur fieri posse, ut per susceptionem sacramenti acquiratur ius ad gratiam vi sacramenti conferendam, quae reipsa confertur, ubi primum obex removetur. Quaestio solum est, num et quaenam sacramenta ex institutione Christi de facto reviviscant. Iam vero alii docent solum baptismum reviviscere; alii econtra affirmant omnia sacramenta remoto obice reviviscere; alii tandem reviviscentiam nonnullis sacramentis, characterem scilicet imprimentibus, tribuunt, ceteris vero negant[1]).

2. Certum est *baptismum* remoto obice reviviscere: etenim character impressus exigit complementum effectus sacramentalis. Insuper cum baptismus iterari non possit, si non revivisceret, complures carere deberent gratiis iisque ordinariis ad salutem valde necessariis.

Valde probabile est etiam *confirmationem* et *ordinem* remoto obice reviviscere: cum enim haec sacramenta hinc quidem producant effectum omnino proprium, inde vero iterari non possint, si non reviviscerent, essent homines, qui carere deberent gratiis statui convenientibus iisque ordinariis; insuper character reviviscentiam exigere videtur.

---

[1]) *Coninck* q. 62. n. 64 ss.

Probabile est etiam *extremam unctionem* et *matrimonium* remoto obice reviviscere, quia haec sacramenta nonnullos saltem effectus proprios habent et durante eodem morbo eodemve coniugio iterari non possunt[1]).

Quoniam vero pro *eucharistia,* quae quotidie recipi potest, non militat similis ratio, non adeo probabile est, hoc etiam sacramentum remoto obice reviviscere.

Poenitentiae reviviscentia ab eo dependet, utrum ipsa possit esse informis necne; iam vero num sacramentum poenitentiae possit esse informe, infra dicetur.

3. Quoad *dispositionem,* quae requiritur, ut sacramenta informia postea reviviscant, imprimis distinguendum est inter sacramenta vivorum et mortuorum. In *sacramentis vivorum,* excepta unctione extrema, requiritur contritio vel attritio cum absolutione; in *sacramentis mortuorum* et in extrema unctione sufficit attritio, nisi adsit sacrilegium in susceptione vel grave peccatum post susceptionem commissum: in hoc enim casu contritio vel attritio cum absolutione requiritur.

9. Partes essentiales sacramenti. - Res et verba seu, ut nunc loqui solemus, *materia* et *forma,* sacramentum, signum sensibile, intrinsecus tamquam *partes essentiales* constituunt, quae quidem a ministro peragi debent cum *intentione* faciendi, quod facit ecclesia: hac namque intentione actio sacramentalis vere constituitur sacramentalis seu significans et causans gratiam sanctificantem.

Sacramenta ergo intrinsecus *constant* materia et forma tamquam causa materiali et formali; *perficiuntur* autem eo, quod ad haec tamquam causa efficiens (ministerialis) accedit intentio ministri peragentis actionem sacramentalem. Tria ergo ad sacramentum conficiendum essentialiter requiruntur: *materia, forma* et *intentio ministri.* Ideo concilium florentinum in decreto pro Armenis haec habet: „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum“[2]).

10. De valida, licita, digna et fructuosa susceptione. *a. Valide* sacramenta conferri et suscipi dicuntur, quando

[1]) Complures docent, extr. unc. certo reviviscere.

[2]) Cf. *Denzinger,* Enchiridion symbol. et definit. n. 590.

nihil eorum deest, quae ad sacramentum conficiendum essentialiter requiruntur: si enim haec adsunt, actio sacramentalis ex se apta est, quae effectum suum producat. Si igitur *invalide* sacramentum confertur aut suscipitur, nullum reipsa habetur sacramentum; et qui scienter sacramentum invalide confert aut suscipit, sacrilegium committit.

b. Licite sacramenta conferri vel suscipi dicuntur, si a conferente vel suscipiente observantur omnia ea, quae ex voluntate Christi et ecclesiae praeter sacramenti essentialia observanda sunt. Qui ergo *illicite* confert vel suscipit sacramentum, verum quidem confert vel suscipit sacramentum, sed in eius collatione vel susceptione peccatum grave vel leve committit, prout praeceptum maioris vel minoris momenti negligit.

c. Digne sacramenta conferri et suscipi dicuntur, quando in ministro et suscipiente adsunt animae dispositiones, quae ex voluntate Dei ad sacramentum rite administrandum vel suscipiendum requiruntur. Qui ergo scienter sacramentum suscipit vel administrat *indigne,* sacrilegium committit.

d. Fructuose sacramenta suscipi dicuntur, si ita suscipiuntur, ut eorum effectus reipsa obtineatur. Qui sacramentum digne suscipit, illud ex sua parte etiam fructuose suscipit.

Quaestio secunda.

De materia et forma sacramentorum.

11. Notiones. Sacramenta constant materia et forma, quae cum sint partes essentiales sacramenti, alterutra deficiente nullum est sacramentum: nequit enim confici sacramentum sine eo, quod sacramenti essentiam constituit.

a. Materia sacramenti est res sensibilis ad rationem sacramenti per formam determinanda. Materia duplex distinguitur: *remota* est ipsa res sensibilis, quae in conficiendo sacramento adhibetur, ut aqua in baptismo, panis

in eucharistia; *proxima* est applicatio seu usus materiae remotae in actione sacramentali e. g. ablutio, unctio.

b. Forma est illa sacramenti pars, quae materiam determinat ad sacramentum; forma ordinarie consistit in verbis a ministro prolatis.

Ut sacramenta rite conferantur, quoad materiam et formam complures condiciones requiruntur, quarum aliae materiam et formam simul, aliae solam formam respiciunt.

12. Condiciones ex parte materiae et formae requisitae: materia et forma debent esse *a.* certae; *b.* simul unitae; *c.* ab eodem ministro; *d.* sine mutatione applicatae.

1. Certae i. e. certo validae extra casum necessitatis; reverentia enim sacramentis debita postulat, ne haec exponantur periculo invaliditatis; sed sacramentum periculo nullitatis exponitur, si aut materia aut forma non est certa sed dubia seu probabiliter tantum valida: probabilitas enim non aufert periculum invaliditatis. Hinc extra casum necessitatis materiam dubiam adhibere, sacrilegium est. *Extra casum necessitatis:* cum enim sacramenta sint propter homines, ipsa periculo nullitatis exponere licet, quoties necessitas vel magna hominum utilitas id postulat.

Ideo non licet adhibere materiam dubiam, ubi certa haberi potest; ubi autem materia certa haberi nequit, dubia adhiberi *debet*, si adsit necessitas administrandi sacramenti, si e. g. infanti in mortis periculo constituto conferendus sit baptismus; et dubia adhiberi *potest*, si adsit magna suscipientis utilitas; sic moribundo conferri potest sacramentum extremae unctionis cum oleo catechumenorum.

13. 2. Simul unitae unitate seu simultaneitate non quidem physica (excepta eucharistia), sed saltem morali, ita scilicet ut secundum moralem aestimationem hominum, spectata natura cuiusque sacramenti, verba censeantur afficere materiam et cum ipsa unum signum constituere: quoniam enim materia et forma unam sacramenti essentiam constituunt, *simul* applicari debent, quoniam autem haec essentia est compositum morale, sufficit, ut partes

componentes *moraliter* unitae sint, ita ut e. g. minister, qui pronuntiat formam, prudentum iudicio censeatur abluere, ungere etc.

Hinc etiamsi forma materiam aliquantulum praecedat aut sequatur, ita tamen ut ex parte coincidant, *certo validum* est sacramentum; si facta ablutione vel unctione post quaedam minuta tandem verba proferantur, *certo invalidum* est sacramentum; si autem materia et forma ita applicentur, ut materia iam integre posita sit, quando inchoatur forma, vel e contrario forma iam integre prolata sit, quando incipit applicari materia, ex mente quorundam auctorum antiquorum dubium quidem est sacramentum; attamen non est ratio dubitandi de valore sacramenti, si materia vel forma praecedat et immediate post altera pars ponatur[1]). Haec sententia *s. Alphonso* (n. 9) videtur moraliter certa, qui ex aliis auctoribus notat, moram unius *Pater noster* interpositam inter materiam et formam baptismi sacramentum reddere invalidum. *In praxi* (exceptis poenitentia et matrimonio) curandum est, ut materia et forma saltem ita uniantur, ut una inchoetur antequam absolvatur altera.

14. 3. Ab eodem ministro applicatae: administratio enim sacramenti est *una* actio sacramentalis nomine Christi ponenda, quae ex duabus partibus componitur, ex applicatione materiae et ex prolatione formae; sed non esset una actio, si inter duos ministros divideretur. Insuper si unus applicaret materiam, alter pronuntiaret formam, vera non essent verba formae e. g. *ego te baptizo,* cum non idem integram actionem sacramentalem poneret.

a. Num sacramentum sit absolute invalidum, si actio sacramentalis a duobus ponatur, non est omnino certum; ideo sunt, qui in casu necessitatis id permittant, ut e. g. in conferendo baptismo unus aquam infundat, alter formam pronuntiet: uterque enim non suo, sed nomine Christi agit, in quo ambae partes unitatem habent. Insuper verba in persona Christi proferuntur; verba autem sic prolata verum sensum habent[2]).

b. Si *plures ministri* sacramentum conficiunt, ita ut plures integram materiam et formam ponant e. g. plures simul eundem puerum baptizent, eandem materiam consecrent, validum quidem est sacramentum, sed excepta consecratione in ordinatione presbyterorum graviter illicitum. Et si sacramentum ex pluribus partibus constat ut eucharistia, extrema unctio, ordo, et plures ita sacramentum conficiunt, ut alius aliam partem ponat, sacramentum pariter validum, sed extra casum necessitatis graviter illicitum est.

---

[1]) Cf. *Suarez* disp. 2. sect. 2. n. 6.

[2]) Cf. *Suarez,* De baptismo disp. 23. sect. 3. n. 14.

15. 4. Sine mutatione. Mutatio alia est substantialis, alia accidentalis.

Quoad *materiam* dicitur *substantialis,* si haec nec re nec nomine amplius ea est, quam Christus determinaverat, ut si loco aquae in baptismo sumeretur vinum; *accidentalis* autem dicitur mutatio, si servata essentia rei a Christo institutae eius qualitates tantum mutentur, ut si aquae modicum vini, vino modicum aquae admisceretur.

Quoad *formam* mutatio dicitur *substantialis,* si sensus verborum in alium mutetur, ut si in consecratione dicatur: *hoc est opus meum;* et *accidentalis,* si verba, etsi variata, eundem tamen sensum retinent, ut si in baptismo dicatur: *ego te abluo* vel si transponantur verba: *te baptizo ego.*

a. Mutatio substantialis materiae vel formae *invalidum* reddit sacramentum, et si voluntaria sit, grave peccatum constituit. Ratio *primi* est, quia non habetur amplius sacramentum a Christo institutum, ubi accidit haec mutatio, sive ea voluntaria est sive involuntaria. Ratio autem *secundi* est, quia gravissime laeditur reverentia auctori sacramentorum debita.

b. Mutatio accidentalis materiae vel formae sacramentum non reddit invalidum, sed solum *illicitum,* et si voluntaria sit, constituit peccatum grave vel leve, prout mutatio notabilis est vel non notabilis. Qui ergo formam notabiliter corrumpit vel inarticulate profert, graviter utique peccat.

Ut diiudicari possit, utrum formae permutatae validae sint an invalidae, haec attendenda sunt:

α. Error privatus ministri, qui propositione distincta additur, si in ceteris essentialia adsunt, non reddit sacramentum invalidum, ut si quis baptizaret hac forma: *ego te baptizo in nomine Patris, quem puto maiorem, et Filii, quem puto minorem, et Spiritus Sancti, quem puto aequalem,* quia sacramentum nomine Christi et ex intentione ecclesiae confertur. Error autem, qui ipsam formam vitiat, sacramentum reddit invalidum, e. g. *ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris et Spiritus S. aequalis,* vel *in nomine Patris increati et Filii creati et Spiritus S. creati,* quia sensus a Christo intentus essentialiter mutatur.

β. Si sensus formae ambiguus est, eius valor ab intentione ministri dependet, ideoque forma invalida est, si minister sacramentum explicite

intendit conferre cum forma erronea: e. g. haec forma: *ego te baptizo in nomine P. et F. et Sp. S. et beatae Virginis Mariae* valet, si ultima verba solum ex praepostera devotione addantur, sed invalida est, si quis etiam in nomine b. Virginis baptizare intendat, quia forma essentialiter mutatur. Etenim sensus formae non solum ex eo diiudicari debet, quod verba ex se significant, sed etiam ex eo, quod minister significare intendit, quia prolatio formae debet esse actus vere humanus.

γ. Necesse non est, ut verba ex se habeant significationem a Christo intentam, sed sufficit, ut ex modo, quo hic et nunc proferuntur, illum sensum ingerant audientibus. Hinc si verba formae naturali vitio linguae haesitantis aut praecipitantis, vel si ob imperitiam ministri corrumpuntur, sacramentum est validum, modo sensus formae non prorsus vitietur; quia verba *ex hac ratione* corrupta ab audientibus tamen rite intelliguntur. Ideo valida est haec forma: *hoc est corpus meus*, immo valida habetur haec forma: *baptizo te in nomine Patris et Filia et Spiritu Sancta*, si corruptio ex inscitia, non item si facta est ex industria; at non valet haec alia: *ego te baptizo in nomine Matris et Filii et Sp. S.*

16. Condiciones ex parte formae requisitae. Pronuntiatio formae debet esse *vocalis, sine interruptione et repetitione prolata.*

1. **Vocalis** i. e. forma sacramentorum organis ad loquendum destinatis ita pronuntiari debet, ut minister se possit audire: illa enim pronuntiatio non est sensibilis, quae nulla ratione auditu percipi potest; sacramentum autem periculo nullitatis exponeretur, si pronuntiatio formae non esset sensibilis.

2. **Sine interruptione.** Accidere potest interruptio verborum aut syllabarum formae. Porro si interruptio tanta est, ut verba apud audientes non amplius unum integrum sensum efficiant, invalidum est sacramentum; si autem interruptio adeo modica est, ut verba sequentia cum praecedentibus moraliter cohaereant et unum sensum apud audientes efficiant, validum erit sacramentum.

a. Si baptizans dicto: *ego te baptizo* interiiceret; *verte folium*, vel sternutaret, vel modice tussiret, vel spueret, posset, quin opus sit priora repetere, ad sequentia procedere. Si confessarius dicto: *ego te absolvo*, animadvertens poenitentem e sacro tribunali recessisse eum

revocet et interiectis verbis: *Quid est hoc? quare non exspectasti? revertere et genuflecte usquedum te absolverim* addat: *a peccatis tuis,* valide absolvit, quia quivis prudens eiusmodi administrationi assistens sensum formae intellexisset[1]). Sed si quis dicto: *hoc est corpus* tussi concuti incipiat per plura minuta et postea addat: *meum,* hoc cum prioribus non amplius moraliter cohaeret.

b. Syllabarum autem interruptio multo facilius distrahit sensum, adeo ut etiam interruptio modica dubium reddat sacramentum; ideo consultum est verbum inceptum repetere, nisi interruptio sit valde modica. Sic invalide sacramentum conficit, qui dicto: *hoc est cor,* bis terve tussitet et deinde addat: *pus meum;* item qui dicto: *ego te bap-* interponat *aqua nimis frigida* et postea subiungat: *tizo in nomine etc.*

3. **Sine repetitione.** Fieri potest, ut super eandem materiam repetatur integra forma, aut complura eiusdem verba; atqui utrumque per se grave peccatum est. Ratio *primi* est, quia forma sacramentalis frustra profertur et sic gravis irreverentia in sacramentum eiusque auctorem committitur; ratio *secundi* est, quia mutatur forma sacramentalis et Christus ridiculo modo loquens exhibetur.

a. Qui ergo ex irrationabili dubio, ex inani suspicione formam (etsi condicionate) repetit, certo in sacramentum peccat. Scrupulosi tamen, qui quandoque formam sub condicione repetunt, a peccato excusantur, sive ratione perplexitatis, quae prudentem deliberationem impedit, sive ratione finis, scilicet tranquillam reddendi propriam conscientiam. Qui vero frequenter ac fere ex consuetudine formam repetunt, certo a levi, et si adsit sufficiens advertentia, etiam a mortali culpa excusari nequeunt, praesertim ubi propter ineptam repetitionem sacramentum periculo nullitatis exponitur[2]).

b. Sine rationabili causa unum verbum unamve syllabam repetere, veniale peccatum non excedit[3]). Qui vero in hunc modum formam proferret: *hoc, hoc, hoc, est, est, enim, corpus, corpus, corpus, meum, meum,* valide quidem consecraret, at per se grave peccatum committeret.

---

[1]) Cf. *Elbel-Bierbaum,* Theologia moralis[2] (Paderbornae. Typogr. bonif. 1894) III. pr. 1. n. 13.

[2]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 1. n. 96 ss.

[3]) *Gobat,* Experient. theolog. tr. 1. n. 42.

Quaestio tertia.

De ministro sacramentorum.

Articulus primus.

De ipso ministro[1]).

17. Notiones. 1. *Minister* sacramentorum is dicitur, qui ritum sacrum a Christo institutum eius nomine peragit. Minister *principalis* sacramentorum, cuius scilicet nomine sacramenta conficiuntur et administrantur, est ipse Christus. Minister *secundarius* sacramentorum ille est, qui nomine Christi sacramenta dispensat. Homo igitur ut minister Christi atque ut causa instrumentalis in administrandis sacramentis agit.

a. Quoad ministrum secundarium ex theologia dogmatica in memoriam revocari debet, solum hominem viatorem esse sacramentorum ministrum; non tamen omnis homo omnia sacramenta administrare potest, sed is tantum sacramenta valide administrare potest, cui competit *potestas divinitus collata,* quia solus Deus efficere potest, ut actio ministri gratiam conferat.

b. Quia minister sacramentorum est *causa* instrumentalis, eaque *humana et rationalis,* eius deliberata voluntas in actionem sacramentalem influere debet; etenim eo solum, quod deliberata voluntas in sacramentum influit, ipse humano modo eius causa esse potest.

2. Minister secundarius duplex est, ordinarius et extraordinarius. *Ordinarius* ille dicitur, qui ex potestate, quam habet, qualibet occasione sacramentum dispensare potest, nec indiget speciali aliqua commissione; *extraordinarius* ille dicitur, qui solum in casu necessitatis et ex speciali delegatione sacramentum administrare potest.

3. Distinguitur minister *consecratus,* qui speciali modo ad conficienda sacramenta ab ecclesia deputatus est, et minister *non consecratus,* qui ab ecclesia ad conficienda sacramenta specialiter deputatus non est.

---

[1]) Cf. *Pesch* VI. n. 228 ss.

Quinque sacramenta: *confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio* et *ordo* exigunt ministrum consecratum; *baptismus* ob summam necessitatem suam a quovis homine valide administrari potest; ad *matrimonium* autem conficiendum necesse non erat ministrum specialiter deputare, quia ab ipsis contrahentibus administratur.

4. Distinguitur minister publicus et privatus; *publicus* est, qui ex speciali deputatione ecclesiae cum sollemnitate praescripta sacramentum administrat: *privatus* est, qui in casu necessitatis absque sollemnitate ex generali licentia et concessione ecclesiae sacramentum administrat.

Sacramentum *privatim* administrat non solum quivis laicus, sed etiam sacerdos, qui in causa necessitatis absque sollemnitate baptizat: etenim in hoc casu non ut publicus ecclesiae minister, sed ut persona privata agit.

Articulus secundus.

De requisitis ad validam administrationem.

Cum aliud sit sacramentum valide, aliud sacramentum licite administrare, aliae etiam condiciones ad validam, aliae ad licitam sacramenti administrationem requiruntur. Iam vero quaenam *condiciones sive ad validam sive ad licitam administrationem* in ministro adesse debeant, in sequentibus exponendum est.

§ 1. De fide et potestate ministri.

18. Quatenus requirantur. 1. Ad valide conficienda sacramenta in ministro *nec fides nec probitas* seu status gratiae requiritur[1]): sacramenta enim efficaciam suam non habent ex dispositione ministri, sed ex meritis Christi atque ex institutione divina.

Ideo ecclesia baptismum vel ordinem ab haeretico vel apostata collatum semper ut validum habuit, si aliud non deerat.

2. Ad sacramenta valide conficienda in ministro requiritur *potestas divinitus collata:* solum enim Deus actioni sacramentali ministri gratiam adiungere potest.

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 7. can. 11. 12.

Quaedam sacramenta a solis episcopis conferri possunt, vel exclusive ut ordo, vel ordinaria potestate ut confirmatio. Alia aeque ab episcopo atque a sacerdotibus conferri possunt, cum debita tamen subordinatione ut eucharistia, poenitentia, extrema unctio. Alia demum non exigunt ministrum specialiter consecratum, ut baptismus, qui a quovis homine valide conferri potest, et matrimonium, cuius ministri sunt ipsi contrahentes.

§ 2. De attentione ministri.

19. De attentione debita. *Attentio* est actus intellectus, scilicet applicatio mentis ad ea, quae peraguntur. Altera est *interna,* quae definitur ipsa advertentia mentis ad id, quod agitur; altera *externa,* quae consistit in absentia cuiusvis actionis externae, quae cum attentione interna simul consistere nequit. Attentio igitur externa aliud non exigit, nisi ut ritus externus humano modo peragatur, h. e. ita, ut minister sciat, quid agat.

a. Ad *validam* sacramentorum administrationem requiritur et sufficit *attentio externa:* illa enim attentio requiritur et sufficit, qua administratio fit actus vere humanus, ad hoc autem sufficit attentio externa. Ergo etiam minister distractus et de aliis rebus simul cogitans valide confert sacramenta.

b. Ad *licitam* autem sacramentorum administrationem requiritur ea *attentio interna,* quae excludit omnem voluntariam distractionem: reverentia enim sacramentis debita et obligatio vitandi periculum erroris in collatione sacramentorum internam quoque attentionem postulant.

Voluntaria distractio in administratione sacramentorum venialem culpam non excedit, nisi minister se exponat periculo errandi in iis, quae ad essentiam pertinent, ideoque frustrandi sacramentum. Iuxta quosdam auctores, propter dignitatem tanti sacramenti, voluntaria distractio in confectione eucharistiae grave peccatum est; huic tamen sententiae complures auctores contradicunt, quae proinde nequit dici certa[1]).

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 443.

§ 3. *De intentione ministri.*

Intentio est actus voluntatis, quo aliquid agere vel omittere volumus. Tripliciter considerari potest: *in se*, prout est actus voluntatis; *secundum obiectum*, quod voluntas intendit; et *secundum modum*, quo actus voluntatis in obiectum tendit.

20. De intentione secundum se considerata. *Declarationes.* Si secundum se consideretur, quadruplex diversa intentio distinguenda est:

a. Actualis ea dicitur, quae hic et nunc exsistit, in opus influit et reflexe advertitur, quando opus peragitur. Haec intentio ratione obiecti potest esse explicita vel implicita, de quibus infra.

b. Virtualis ea dicitur, quae hic et nunc exsistit, in opus influit, at non advertitur, quando opus ponitur. Haec igitur intentio antea habita et nunquam retractata est, adeo ut eius vi et virtute nunc opus fiat, etsi ab agente non advertatur.

α. Sacerdos e. g. celebraturus elicit intentionem celebrandi seu consecrandi, hoc actu voluntatis motus [illegible] praeparat, pergit in sacristiam, induit sacras vestes, procedit ad altare, omnia rite absolvit usque ad consecrationem. Iam vero licet ad consecrationem intentionem consecrandi non renovet, immo alia cogitans ad intentionem consecrandi ne advertat quidem, tamen habet intentionem *virtualem*, ex cuius influxu verba consecrationis profert.

β. Intentio actualis et virtualis in [illegible] conveniunt, quod utraque adest et in opus influit; discrimen autem inter utramque hoc esse videtur, quod illa adest et ab agente advertitur, haec vero ab agente, qui de aliis rebus cogitat, non advertitur, licet adsit atque ad agendum moveat. Pari modo inter attentionem internam et externam hoc discrimen [illegible] videtur, quod agens illius conscientiam habet, huius vero non habet. Quocirca attentio externa non ideo dicitur externa, quia nullo modo interna est, sed quia reflexa seu cum conscientia coniuncta non est[1]).

c. Habitualis illa dicitur, quae aliquando habita et nunquam retractata est, sed non amplius exsistit et pro-

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 653.

inde in opus non influit. Haec ergo intentio etiam in dormientibus, amentibus et ebriis adesse potest.

Si quis antea habuit intentionem conficiendi sacramentum et postea inebriatus illud conficit, cum intentione habituali conficit sacramentum. Item qui heri proposuit hodie facere sacrum pro amico et hodie, non impulsus hesterno proposito, immo illius immemor, sacrum facit, dicitur habere intentionem *habitualem* offerendi pro amico[1]).

d. Interpretativa ea dicitur, quae nunquam adfuit quae tamen propter habitualem inclinationem voluntatis in obiectum adesset, si illud in mentem veniret.

Qui nunquam intentionem habuit consecrandi particulam se inscio in corporali positam, quam tamen consecrare vellet, si eius cognitionem haberet, *interpretativam* consecrandi intentionem habet. Qui nunquam expresse desideravit baptismum, attamen illum desideraret, si mentem subiret eius cogitatio, baptismum *interpretative* velle seu interpretativam baptismi intentionem habere dicitur.

21. *Principia.* 1. Intentio *actualis* optima et valde suadenda est, ad sacramenta autem valide conficienda non requiritur: neque enim ex rei natura neque ex ulla lege positiva ipsa praecipitur. Insuper intentio actualis considerata fragilitate humana moraliter impossibilis est; affirmari autem nequit Christum ad valorem sacramentorum aliquid exegisse, quod eorum ministris moraliter impossibile est.

2. Intentio *virtualis* ad sacramenta valide conficienda requiritur et sufficit: requiritur enim intentio, quae influat in actionem sacramentalem ideoque in eius effectum; sed sola intentio actualis et virtualis in opus influunt: ergo saltem virtualis *requiritur*. Cum autem ex rei natura id unum exigatur, ut actio sacramentalis ex deliberata ministri voluntate procedat, intentio virtualis certe *sufficit*.

Non licet repetere formam sacramentorum, etsi cum distractione sive voluntaria sive involuntaria prolata sit, quia distractio non impedit intentionem virtualem neque ideo valorem sacramenti.

3. Neque intentio *habitualis* neque *interpretativa* ad sacramenta valide conficienda sufficit: nam ut validum sit sacramentum, ex intentione ministri tamquam causa

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 1. n. 107. 109.

illud confici debet; atqui neque intentio habitualis neque interpretativa in opus influit; quare si minister aliam non habet, sacramentum non conficitur ex eius intentione (n. 17).

Ideo nullum esset sacramentum, si administraretur in somno vel ab amente vel ab ebrio, etsi administrans ante ebrietatem vel somnum id intendisset.

22. De intentione secundum obiectum considerata. *Declarationes.* Prout obiectum volitum diverso modo ab intellectu repraesentatur et a voluntate intenditur, distinguenda est:

a. Determinata et *indeterminata,* prout obiectum certum et definitum, aut vagum et incertum intenditur; qui e. g. e decem missarum intentionibus diversis unam definitam persolvere intendit, determinatam, qui vero illarum unam, non definiens qualem, persolvere intendit, indeterminatam intentionem habet.

b. Explicita et *implicita,* prout res ipsa in se expresse intenditur, vel non ipsa in se sed in alio (in quo expresse cognito et volito continetur) intenditur.

Sic expresse cogitans et desiderans suscipere extremam unctionem, explicitam, qui vero expresse desiderat mori, ut solent mori christiani, implicitam extremae unctionis intentionem habet. Item explicite cogitans et intendens suscipere subdiaconatum, sed nihil cogitans de obligatione servandi castitatem, quam ordini adnexam esse novit, implicite simul vult et intendit suscipere hanc obligationem.

23. *Principia.* 1. Ad sacramentum valide conficiendum requiritur saltem *intentio implicita faciendi, quod facit ecclesia* (vera)[1]). Requiritur sane aliquo modo intentio conficiendi sacramentum, tum quia materia et forma per intentionem ministri conficiendi sacramentum ad actionem sacramentalem determinari debent (n. 9), tum quia minister solum hac intentione fit causa instrumentalis sacramenti (n. 17, 1); atqui in intentione faciendi, quod facit ecclesia,

[1]) *Concilium trid.* sess. 7. can. 11: „Si quis dixerit, in ministris .. non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia, a. s." Cf. propos. 28. *Alexandri VIII*

illa intentio implicite atque confuse continetur. Ad habendam autem intentionem faciendi, quod facit ecclesia, sufficit, ut minister velit peragere ritum, quem vidit vel audivit fieri ab ecclesia Christi, seu ritum, quem vel ipse vel alii habent pro sacro: in hac enim intentione continetur intentio faciendi, quod facit ecclesia.

a. Ergo ad valide conficiendum sacramentum non requiritur, ut minister velit conferre hoc determinatum sacramentum (baptizare, confirmare), neque ut generatim velit conferre sacramentum vel effectum sacramentalem, neque ut velit facere, quod facit ecclesia catholica vel ecclesia romana, sed sufficit, ut velit facere, quod facit ecclesia vera a Christo instituta, etiamsi falso putet suam sectam esse veram ecclesiam.

b. Ergo certo non conficeret sacramentum, qui *positive nollet* facere, quod Christus instituit vel quod ecclesia catholica facit. Ex hac potissimum ratione invalidae sunt *ordinationes anglicanae:* constat enim episcopos anglicanos ritum ordinationis ideo immutasse, ne facerent et conferrent, quod facit et confert ecclesia catholica[1]). — Pariter non conficit sacramentum, qui solum ritum externum ponere vellet, i. e. hanc materiam ponere et haec verba proferre. — Item qui integrum ritum externum, puta baptismi, poneret alio fine e. g. alium abluendi, ioci, irrisionis, exercitii causa.

c. Ergo haereticus, qui ex errore putat nulla esse sacramenta vel sacramenta nullam conferre gratiam, potest tamen valide baptizare vel consecrare, si velit facere, quod Christus instituit. Immo valide baptizat infidelis, modo velit ponere ritum, quem christiani habent pro sacro seu velit facere, quod christiani facere solent.

2. Intentio debet esse *determinata* ad certam materiam vel ad certam personam: hoc namque postulant ipsa verba formae sacramentalis (ego *te* baptizo; *te* absolvo; *hoc* est corpus meum), quae designant certam materiam vel certam personam aliquo modo praesentem. Error tamen ministri circa personam petentem sacramentum vel circa quantitatem materiae consecrandae non reddit sacramentum invalidum (excepto matrimonio), modo intendat conferre sacramentum petenti vel consecrare materiam praesentem, quam quidem intentionem semper habere censetur, nisi eam expresse restringat ad determinatam personam vel ad definitam materiam.

---

[1]) Cf. constitutio Leonis XIII. *Apostolicae curae* 13. sept. 1896.

a. Qui ergo intenderet ex pluribus particulis in corporali positis unam consecrare, vel tempore pestis ex pluribus moribundis in nosocomio aliquem absolvere, non determinans quem, nihil faceret. — Si quis absolvens poenitentem, quem putat esse Petrum, cum tamen sit Paulus, intenderet absolvere Petrum, et non alium, neminem absolveret. — Si quis consecrans, ut ipse censet, tres particulas, cum tamen sint quatuor, intenderet consecrare tantum tres, nullam consecraret.

b. Quare optimum est intentionem dirigere in materiam vel personam praesentem, quaecunque illa quidem est; tunc enimvero, ut sistamus in exemplis modo allatis, absolvitur Paulus, licet putetur esse Petrus et consecrantur quatuor particulae, licet censeantur esse tantum tres, quia intentio conficientis sacramentum refertur ad determinatam hanc materiam praesentem.

24. De intentione secundum modum considerata. *Declaratio.* Secundum modum, quo voluntas in obiectum fertur, distinguenda est intentio *absoluta* et *condicionata,* prout voluntas independenter ab omni eventu vel circumstantia, aut solum dependenter ab aliquo eventu vel circumstantia in obiectum fertur. Condicio autem apposita potest esse *de praesenti:* si vivis, ego te baptizo, vel *de praeterito:* si restituisti, ego te absolvo; vel *de futuro:* si cras pluet, ego te baptizo.

Quae de intentione condicionata hic dicuntur, intelligenda sunt de *condicione suspensiva,* qua nempe suspenditur effectus, donec condicio impleatur.

25. *Principia de intentione condicionata.* 1. Sacramentum collatum *sub condicione de praesenti* vel *de praeterito* valet, si condicio impleta est; si autem condicio non subsistit, nullum est: si enim condicio apposita vera est, intentio conferentis sacramentum transit in absolutam; si autem condicio apposita vera non est, deest intentio conferendi sacramentum.

Ergo effectus sacramenti, quod confertur sub condicione de praesenti vel de praeterito, semper est certus: aut validus aut nullus. Sic sacramentum ita collatum: *absolvo te, si vis dimittere concubinam, si capax es; — baptizo te, si non es baptizatus,* valet, si vera est condicio, alias nullum est.

2. Sacramentum collatum *sub condicione de futuro* nullum est: non enim valet statim, quando ponitur actio sacramentalis, quia tunc deest intentio conficiendi sacramentum, nec valet postea, quando impleta condicione habetur intentio ministri, quia tunc non amplius exsistunt materia et forma sacramenti; ergo sacramentum hoc modo collatum nunquam validum est.

Si apponitur condicio de praesenti quidem, sed *occulta* et *soli Deo nota: te baptizo, si es praedestinatus; te absolvo, si Deus videt te hoc anno moriturum esse,* alii cum *Viva* et *Lacroix* opinantur, validum esse sacramentum, quia condicio apposita sit de praesenti; alii vero cum *Conick, Dicastillo* et *s. Alphonso* (n. 26) docent sacramentum invalidum esse, quia supponi nequeat, Deum potestatem dedisse hominibus sub tali condicione conficiendi sacramenta: cum enim Deus administrationem sacramentorum commiserit cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi condicio, quae mente humana cognosci non potest. Quidquid est, eiusmodi condicionem apponere certe graviter illicitum est, quia sacramenta redderentur incerta et homines nescirent, utrum valide an invalide ea suscepissent.

3. Ex *iusta causa licitum est* sacramentum conferre *sub condicione de praesenti vel de praeterito:* quod enim validum esse potest, in casu necessitatis etiam licitum est; at *nunquam licet* sacramentum conferre *sub condicione de futuro* (excepto matrimonio), quia non licet sacramentum conferre, quod certo invalidum est.

a. Absque rationabili causa non licet sacramentum conferre sub condicione, quia actio sacramentalis frustra peragitur et ideo Christo irreverentia infertur. *Iusta causa* conferendi sacramentum sub condicione adest, quoties sacramentum absolute collatum exponeretur periculo nullitatis, absolute autem negatum privaret hominem effectu sacramenti aut necessarii aut saltem valde utilis, ut si dubitetur, num homo baptizandus vel absolvendus vel ungendus adhuc vivat, num materia valida sit etc.

b. Condicionem apponere, quam minister existimat impletam, e. g. sub condicione: *si dispositus es* eum absolvere, quem iudicat dispositum, veniale peccatum excedere non videtur: cum enim periculum nullitatis ipsius sacramenti sit exclusum, sola appositio superflua condicionis non videtur gravis irreverentia[1]).

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 28.

4. Si conficiendum vel iterandum est sacramentum valoris dubii, illud *sub condicione* confici vel iterari debet, ut, quantum fieri potest, consulatur reverentiae sacramentis debitae: etenim si condicio verificatur, sacramentum valide collatum est, si autem condicio non verificatur, reipsa non confertur sacramentum. Quod autem in hoc casu materia et forma frustra applicentur, caret culpa, quia ex iusta causa id licite fieri potest: sacramenta enim sunt propter homines.

a. Num condicio apponenda verbis exprimi debeat. — Ubi hoc praescribit rubrica, ut in baptismo[1]) et extrema unctione[2]), condicio ore apponenda est; si autem lege positiva id non praecipitur, sufficit ut mente concipiatur: condicio enim afficit intentionem; haec autem ad validitatem sacramenti ore exprimi non debet; ergo neque illa. Immo sunt, qui putent (*Gobat* n. 272), satis esse, si condicio implicite et virtualiter in mente habeatur, prout ille habet, qui vult sacramentum administrare iuxta institutionem Christi vel intentionem ecclesiae.

b. Si quis duas intentiones contrarias elicuit, valet intentio praedominans. Illa autem censetur praedominans, quae eligeretur, si insociabilitas earum cognosceretur. Hinc fieri potest, ut intentio habitualis praevaleat prae actuali, quae simul habetur.

α. Sic si sacerdos statuisset determinato die applicare missam ex stipendio debitam pro felici exitu negotii eo ipso die peragendi, deinde vero immemor obligationis contractae eo die celebraret pro se ipso, valeret prior intentio, etsi habitualis, prae secunda actuali.

β. Si confessarius decrevisset differre absolutionem Marco in peccatis habituato, etsi disposito, ad eius voluntatem firmandam eumque nihilominus absolvisset, quia inter plures alios accedentem non agnovit, valida esset absolutio, quia si futurum errorem praevidisset, absolutionem validam esse voluisset[3]).

Articulus tertius.

De iteratione sacramentorum.

26. Principia. Sacramenta, quae imprimunt, characterem: *baptismus, confirmatio* et *ordo,* homini, qui semel valide ea suscepit, iterum conferre non licet: *extrema unctio* durante eodem mortis periculo et *matrimonium* durante eodem coniugio iterari nequeunt; at vero nihil obstat, quominus iterari

[1]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 9.

[2]) Ibid. tit. 5. c. 1. n. 12.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 8. sect. 8. *Gury,* Casus II. n. 162.

possint *eucharistia* et *poenitentia,* praeterquam quod ecclesia prohibuit, ne eucharistia eodem die bis susciperetur.

Si quis sacramentum, quod iterari nequit, denuo confert, nihil efficit, cum sacramentum simpliciter nullum sit; et qui scienter sacramentum non iterabile confert aut suscipit, peccato sacrilegii graviter peccat, et in iteratione baptismi tum is, qui sacramentum confert, tum is, qui illud suscipit, praeterea irregularitatem incurrit, id quod in iteratione confirmationis vel ordinis non contingit.

27. De iteratione sacramenti dubii servandae sunt regulae sequentes:

1. Si dubium de valore sacramenti est omnino imprudens atque inane, non licet sacramentum collatum iterare, et qui illud, etsi condicionate, iteraret, grave peccatum committeret: nam temere iterare actionem sacramentalem, gravem iniuriam in sacramentum continet. Condicio autem, si dubium inane est, pro non adiecta habetur.

Quare si sacramento iam collato vel forma sacramenti iam prolata dubium oritur de eius valore, quod dubium est mere *negativum,* ut si quis solum reflexe non recordatur se dixisse vel peregisse, quae ad sacramenti essentiam pertinent, nihil est repetendum. Plerumque tamen a gravi peccato excusantur, qui ob inane dubium de valore sacramenti scrupulis agitantur et deficiente tempore deliberandi denuo absolvunt vel denuo verba consecrationis proferunt.

2. Si dubium de valore sacramenti est prudens et rationabile, sive dubium est facti sive iuris, omnia sacramenta iterari *possunt,* et quaedam etiam literari *debent;* iteranda autem sunt *sub condicione,* ut consulatur reverentiae, quae sacramento debetur (n. 25, 4).

a. Omnia iterari possunt: periculum enim, quod prudenter timetur, ne suscipiens carere debeat fructu sacramenti, est ratio sufficiens illud denuo conferendi, cum sacramenta sint propter homines.

b. Quaedam iterari debent, scilicet ea, quae suscipienti ad salutem sunt necessaria vel quorum defectus in grave damnum religionis vel proximi cedit. Et haec quidem sacramenta repetenda sunt, etsi dubium de eorum valore sit tenue tantum, id quod praesertim de baptismo valet propter summam eius necessitatem.

α. Sacramenta *ad salutem necessaria* sunt baptismus, absolutio pro moribundo exsistenti in peccato mortali, extrema unctio pro moribundo peccatore sensibus destituto. — *Bonum religionis* exigit, ut consecratio sit plane certa, ne periculum idololatriae inducatur. Bonum *religionis et proximi* exigit, ut collatio ordinis sit certa, ne sacramenta invalide administrentur.

β. In sacramentis *dubium iuris* habetur, quando in eorum collatione adhibita fuit materia (sive remota sive proxima) vel forma dubia, de qua scilicet auctores hinc et inde opinantur; *dubium facti* habetur, si dubitatur, an sacramentum *reipsa* collatum sit vel *quomodo* collatum sit, nempe cum debita materia, forma et intentione.

γ. Num sacramentum, quod ad salutem non est necessarium ut confirmatio, matrimonium, extrema unctio, ubi infirmus sui compos alia sacramenta iam suscepit, denuo conferri etiam *debeat*, ex his adiunctis diiudicandum est: quantum sit dubium de valore, quanta sit utilitas suscipientis, quantum incommodum ministro afferat iteratio.

Nota. Fieri tamen potest, ut sacramenta, etiam maxime necessaria, iterari quidem *possint* ob leve aliquod dubium de eorum validitate, praesertim ad maiorem animi tranquillitatem eius, qui sacramentum suscepit, sed iterari non *debeant*, quia sententia negans valididatem sacramenti non est vere probabilis. Sic baptismus in pectore collatus repeti quidem potest, at obligatio [redacted] repetendi non exsistit. Idem dicendum est de baptismo, in cuius administratione effusa est aqua immediate post formae prolationem; idem de ordine, in cuius collatione verba: *Accipe potestatem* immediate post tactum instrumentorum prolata sunt. — Fieri potest, ut baptismus ab haeretico collatus repeti non *debeat*, quia nec de recta intentione nec de debita materia et forma exsistit ratio dubitandi, repeti autem *possit*, quia de eius valore plena et evidens certitudo non habetur[1]).

Articulus quartus.

De requisitis ad licitam administrationem.

28. Condiciones requisitae. Ad licite administranda sacramenta in ministro hae quatuor condiciones potissimum requiruntur:

1. Ut sit in *statu gratiae:* sancta enim sancte tractanda sunt; sed inter res sacras principem locum occupant

[1]) Cf. *Lugo,* Responsa moralia. l. 1. dub. 33. n. 3. *Lacroix* l. 6. pr. t. n. 310ss. *Lehmkuhl* II[11] n. 27 nota.

sacramenta, quorum sanctitas inde potissimum elucet, quod donum divinum gratiae sanctificantis producant et proinde eorum minister immediate ad hoc donum divinum producendum concurrat. Insuper minister in conferendis sacramentis personam Christi gerit, qui est sanctus et sanctus sanctorum. Tandem sacerdoti speciale munus administrandi sacramenta demandatum est, atque ut hoc munus sancte et digne peragat, peculiari sacramento consecratus speciali auxilio gratiae iuvatur[1]). Qui ergo in statu peccati sacramenta administrat, sive sacerdos est sive non, in ipsa sacramenta eorumque auctorem irreverentiam ideoque sacrilegium committit.

Quocirca si sacerdos vel alius sacramentum administraturus cognoscit se esse in statu peccati mortalis, tenetur antea contritionem elicere; ad confessionem autem, etsi suadenda sit, non tenetur, nisi velit celebrare vel nisi perfectam contritionem elicere nequeat. Ecclesia enim non praecipit, ut ante administrationem sacramentorum, excepta eucharistia, per sacramentalem absolutionem potius quam per contritionem perfectam status gratiae recuperari debeat[2]). Et ut licite administrari possit sacramentum, sufficit contritio probabiliter existimata: cum enim non agatur de valore, sed solum de honestate actionis, licet uti probabilitate circa honestatem actionis.

29. 2. Ut agat *secundum normam ritualis romani*, cuius tamen rubricae non omnes eiusdem sunt valoris. Ergo extra casum necessitatis non licet sacramenta administrare omissis sollemnitatibus et ceremoniis in rituali praescriptis.

a. Rituale romanum a Paulo V. editum per breve *Apostolicae sedi* (17. ian. 1614) approbatum omnibusque orbis ecclesiis communicatum est. Summus pontifex vehementer quidem desiderat, ut omnes ecclesiae rituali romano in sacris functionibus utantur, ad eiusdem usum tamen eas non obligat, sed solum *hortatur*. Quamvis nullum exstiterit praeceptum introducendi rituale romanum et initio complures ecclesiae ritualia propria retinuerint, usu tamen paulatim rituale romanum in plerisque ecclesiis receptum est, ita ut nunc paucissimae sint ecclesiae ritus romani, quae proprio utantur rituali. Sed ubi semel

---

[1]) S. Thomas III. q. 64. a. 6.

[2]) Cf. *Rituale rom.* tit. 1. n. 4.

receptum est, rituale romanum in aliud permutari nequit. Quam ob rem vere affirmari potest, hodie rituale romanum (moraliter) in universa ecclesia constituere normam in administratione sacramentorum servandam.

b. Rubricae ritualis romani non omnes eiusdem sunt auctoritatis atque valoris, et idem prorsus dicendum est de missali, breviario, pontificali aliisque libris liturgicis.

α. Rituale in rubricis continet ritus in administratione sacramentorum servandos. Horum rituum alii dicuntur essentiales, alii accidentales. *Essentiales* versantur circa materiam et formam; hi ab ipso Christo instituti sunt proindeque ad validam administrationem requiruntur; *accidentales* versantur circa dignam et convenientem sacramentorum administrationem; hi ab ecclesia praescripti sunt proindeque non ad validam, sed ad licitam administrationem requiruntur.

β. Rubricae ritualis aliae sunt *praeceptivae,* quae obligationem in conscientia imponunt, aliae solum *directivae,* quae nullam obligationem imponunt, sed consilia et instructiones continent. Earum, quae praeceptum continent, aliae obligant sub gravi, aliae sub levi.

γ. Ad solvendam quaestionem satis difficilem, quae sint rubricae praeceptivae, quae vero directivae, pro aliquali norma haec criteria inservire possunt: *verba rubricae, eiusdem materia, declaratio S. C. R., consensus auctorum.*

c. Praeceptum servandi rubricas praeceptivas ritualis *per se grave est,* quia ad virtutem religionis pertinet; religio autem per se sub gravi obligat. Qui ergo rubricas in rituali praescriptas in re gravi violat, graviter peccat. Quae sit materia gravis, quae vero levis, infra in singulis sacramentis explicabitur[1]).

30. 3. Ut habeat *licentiam sacramenta aliis administrandi.* Haec licentia solis sacerdotibus convenit, nec tamen omnibus, sed iis tantum, quibus cura animarum (sive ordinaria sive auxiliaris) commissa est. Hi ergo suis subditis in loco, in quo curam animarum exercent, licite sacramenta administrant; extra suum territorium autem solum accepta licentia proprii illius loci pastoris.

a. Hinc peccat *episcopus,* qui extra dioecesim suam sine facultate proprii illius loci episcopi ordines confert vel confirmat, et *parochus,* qui extra parochiam suam sine facultate proprii illius loci parochi sacramenta administrat.

---

[1]) Cf. *Pighi,* Dell' auctorità del rituale romano. (Verona. Cinquetti. 1891).

b. Baptismum in casu necessitatis, si non adsit sacerdos illius loci, quivis alius, immo quivis homo licite administrat, servato tamen ordine, de quo suo loco dicetur.

c. Extrema sacramenta (poenitentiam, viaticum et extremam unctionem) in casu necessitatis et deficiente proprio pastore quivis sacerdos licite administrat.

d. Sacramentum poenitentiae infirmis administrare potest quivis sacerdos necessaria potestate instructus. Attamen si opus fuerit, parochus de administrato sacramento certior reddendus est per testimonium apud infirmos relictum.

31. 4. ***Ut sit immunis a censuris et ab irregularitate.***

a. Si *excommunicatus* sacramentum administrat, administratio valida sed graviter illicita est, excepto casu, quo fideles iure ab eo sacramenta petunt. Si excommunicatus *vitandus* vel excommunicatus, in quem lata fuerit *sententia condemnatoria vel declaratoria*, id facit, sacramentum poenitentiae etiam invalidum est, nisi fideles iure sacramentum petant[1]). Cn. 2261. 2264. Quando fideles ab excommunicato petere possint sacramenta, dicitur n. 43.

b. Si *irregularis* sacramentum administrat, sacramentum pariter validum est, etiam poenitentia, quia irregularis non privatur iurisdictione, sed solum licentia exercendi ordinem susceptum; administratio autem graviter illicita est, nisi sacramentum a fidelibus iure petatur[2]).

32. Quantum peccatum sit sacramentum administrare in statu peccati. Grave peccatum certe committit minister *consecratus,* qui sacramentum *sollemniter* cum integro ritu ab ecclesia praescripto *conficit* in statu peccati mortalis, excepto casu, quo urgeat necessitas conferendi

---

[1]) Sententia *condemnatoria* ea est, qua alicui iudicialiter pro delicto publico excommunicatio infligitur; sententia *declaratoria* exigentibus adiunctis additur ad poenam latae sententiae (pro delicto occulto) contractam. Ipsa hoc efficit, ut poena censura a momento commissi delicti publice servari debeat.

[2]) In casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri non potest et periculum immineat gravis damni vel infamiae, potest quilibet confessarius dispensare ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio et procuratione abortus, ad hoc ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat. Cn. 990.

sacramenti et moraliter desit tempus comparandi sibi statum gratiae saltem per contritionem: cum enim sacramenta instituta sint propter homines, administrari possunt in statu peccati, potius quam salus animae periclitetur.

a. Ergo grave peccatum committit: α. qui in mortali celebrat; β. sollemniter baptizat; γ. absolvit; δ. extremam unctionem confert: ε. episcopus, qui in mortali confirmat; ζ. sacros ordines confert. — Et quidem unum numero peccatum committit, qui una administratione pluribus successive idem sacramentum confert; qui ergo plures absolvit, plures simul baptizat, plures confirmat, plures ordinat in statu peccati[1]).

b. Qui celebrat in mortali ex mente *s. Alphonsi* (n. 35) sequentis *Holzmann* et *Mazzotta* quatuor sacrilegia committit: α. quia sacramentum indigne conficit, β. indigne suscipit, γ. indigne ministrat, δ. sibi indigno ministrat. Alii cum *de Lugo*[2]) et *Ballerini*[3]) recte docent, indigne celebrantem duo sacrilegia committere, quia indigne consecrat et indigne suscipit sacramentum.

33. *Corollaria.* Cum non sit statuendum grave peccatum, nisi de eo certo constet, grave peccatum non committitur, ubi deest una ex tribus condicionibus supra ad grave peccatum requisitis; at levem irreverentiam committi ab omnibus conceditur. Graviter ergo non peccant:

a. Laicus, qui urgente necessitate in statu peccati mortalis baptizat, quia non est ordinatus nec sollemniter conficit sacramentum; *contrahentes* in mortali matrimonium, quatenus ipsi ministri sunt quatenus autem suscipientes sunt, utique graviter peccant.

b. Sacerdos, qui sacramentum baptismi non ministrat sollemniter, sed *privatim* absque ceremoniis in casu necessitatis: etsi enim consecratus sit, non agit ut consecratus ut publicus ecclesiae minister, sed ut persona privata tantum (n. 17).

c. Sacerdos vel diaconus, qui *administrant eucharistiam* vel eam tangit vel defert in mortali, item parochus in mortali *matrimonio*

---

[1]) Cf. *De principiis*[12] n. 304.
[2]) Cf. *Lugo* disp. 8. n. 161.
[3]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 680.

assistens, quia non conficiunt sacramentum. *S. Alphons.* (n. 35) quoad dispensationem eucharistiae, sive a sacerdote fit sive a diacono, sententiam severiorem tamquam veram sequitur.

d. Sacerdos, qui audit confessionem, sed non absolvit, vel alias functiones sacras praeter collationem sacramenti exercet; *diaconus*, qui in sacro sollemni assistit, etsi ordinem exerceat; item *concionator*, qui in mortali sermonem sacrum habet.

e. Episcopus, qui in mortali chrisma conficit, calicem benedicit templum consecrat, primam tonsuram vel minores ordines confert, quia non conficit sacramentum, licet ordinem exerceat.

f. Immo nec *sacerdos* qui *sollemniter* ministrat in mortali, sed urgente necessitate, ut si moribundo sacramenta illico essent conferenda et non posset tam cito perfectam contritionem elicere[1]).

g. Quamvis a levi irreverentia excusari non possit, qui *sacramentalia* ecclesiae in statu peccati mortalis peragit, quia ad ea peragenda ordinatus est atque per ea fidelibus gratias communicat; de peccato tamen nullatenus argui potest, qui divinum officium in statu peccati recitat, quia per illud simpliciter oneri satisfacit, quod cum ordinatione internum nexum non habet.

Articulus quintus.

De obligatione ministrandi sacramenta.

Quoad sacramenta ministranda alia est obligatio pastorum et alia eorum, qui non sunt pastores. Illi enim *ex officio*, hi solum *ex caritate* sacramenta ministrare tenentur; quare illorum obligatio eiusque extensio ex iustitia et caritate, horum vero obligatio solum ex caritate desumitur. Ex officio autem sacramenta administrare tenentur ii omnes, quibus cura animarum tamquam munus demandata est: episcopi, parochi, horum coadiutores seu vicarii et quoad regulares horum superiores.

34. Obligationes pastorum. 1. Pastores tenentur per se *sub gravi ex iustitia* administrare sacramenta *suis subditis rationabiliter petentibus*, si absque gravi incommodo possunt: suscipiendo enim munus pastorale ex tacito contractu ad id se obligarunt. Gravitas peccati, quod pastor

[1]) Cf. *Lugo* disp. 8. n. 151.

in hoc casu committit, ex damno spirituali subditorum dimetienda est.

a. Subditi *rationabiliter petere* censentur, non solum quando propter necessitatem, sed etiam quando propter utilitatem spiritualem sacramenta petunt, e. g. si quis petit, quia in tentatione est vel alias diu in peccato manere debet.

b. Hinc qui irrationabiliter vel tempore importuno petenti denegat sacramenta, qui e. g. scrupulosos vel devotulas non semper audit, quoties se sistunt, non peccat. Qui una alterave vice denegat sacramenta ei, qui non versatur in necessitate spirituali, leviter tantum peccat, quia damnum facile reparari potest.

c. Qui saepius se difficilem et morosum praebet in administrandis sacramentis, graviter peccat, quia fideles a sacramentis suscipiendis hac agendi ratione deterret. — Graviter peccat, qui aegre ac solum cunctanter et tarde adit aegrotos de vita periclitantes ad extrema sacramenta eis administranda, quia ex hac agendi ratione oritur periculum gravis damni spiritualis pro parochianis. — Graviter peccant parochi, qui solum statis diebus e. g. singulis mensibus una alterave vice vel solum diebus sabbati et dominicae confessiones excipiunt omnesque fideles, qui intra hebdomadam confiteri desiderant, ad sabbatum remittunt, nisi fideles alibi sine difficultate occasionem inveniant confitendi. Etenim eiusmodi petitio dici nequit irrationabilis, quin etiam grave damnum spirituale ex hac agendi ratione fidelibus oritur: nam praeterquam quod frequentia sacramentorum hoc modo impediatur, petentibus alii in statu peccati, alii in gravi tentatione esse possunt, alii forte peculiarem indulgentiam lucrari desiderant.

2. *Sacramenta necessaria* tenentur ministrare non solum cum gravi suo incommodo, sed etiam cum sanitatis vel *vitae periculo* subditis, qui in extrema, quin etiam iis, *qui in gravi necessitate spirituali* versantur.

a. Sacra congregatio concilii duo declaravit: α. parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et poenitentiam; β. parocho non licere tempore pestis parochia recedere, etsi relinquat suo loco vicarium idoneum; licere tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus sit aegrotorum curam suscipere, ne scilicet sani ipsum, quem vident ad pestilentes accedere, reformident[1]).

b. Ad *sacramenta necessaria* referenda est etiam extrema unctio pro iis, qui sensibus destituti sunt, antequam absolvi poterant. Etsi pastores tempore morbi contagiosi cum gravi vitae periculo solum sa-

[1]) S. C. C. decreto 12. oct. 1576 probante *Gregorio XIII.* edito S. C. C. 6. dec. 1576. Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 13. c. 19. n. 2.

cramenta necessaria administrare debent, decet tamen quam maxime, ut moribundis etiam sacramenta non necessaria, nempe viaticum et extremam unctionem conferant.

c. In *necessitate spirituali* reperitur, qui in periculo est amittendae salutis.

In *extrema necessitate* spirituali reperitur, qui sibi consulere non potest, ideoque absque alieno auxilio in periculo est aut simpliciter aut certe moraliter amittendi salutem. In extrema necessitate sunt infantes decedentes sine baptismo; infideles et haeretici in mortis periculo; peccatores moribundi, qui ignorant sibi necessariam esse contritionem et ideo de illa habenda non cogitant, vel ignorant, quomodo sit elicienda.

In *gravi necessitate* spirituali reperitur, qui sibi solum cum magna difficultate consulere potest, ideoque sine alieno auxilio in probabili periculo est amittendae salutis ut peccatores moribundi, qui curam salutis negligentes parum christiane vixerunt.

In *communi necessitate* spirituali reperitur, qui adhibendo aliquem conatum sine difficultate sibi consulere potest. In hac necessitate ordinarie versantur christiani moribundi, qui satis pie vixerunt et officia christiana diligenter impleverunt.

3. *Non tenentur* tamen *ipsi per se ministrare sacramenta,* sed per vicarios suos huic muneri satisfacere possunt; quodsi a poenitentibus vel moribundis nominatim requirantur, ipsi per se accedere debent, nisi gravioribus negotiis impediantur.

35. Obligationes eorum, qui non sunt pastores.

1. Qui pastores non sunt, ordinarie sacramenta administrare solum tenentur, *si commode possunt,* nec tenentur *sub gravi* nisi ei, qui *in gravi necessitate* versatur.

2. *Sub gravi* et cum magno incommodo, immo etiam *cum gravi vitae periculo* sacramenta administrare solum tenentur, si alii desunt, et iis tantum, qui *in extrema necessitate* versantur.

Nota 1. Ut statui possit obligatio gravis administrandi sacramenta eaque cum vitae periculo, sive de pastoribus agitur sive de iis, qui pastores non sunt, requiritur: *a.* ut ex hac obligatione maiora mala non sequantur, ut si deficiente sacerdote plurium aliorum salus in periculum adduceretur; *b.* ut necessitas proximi sit certa; *c.* ut spes sit moraliter certa salvandi proximum.

Nota 2. Necessitas *gravis communis* [redacted] communitatis aequiparatur necessitati extremae, quia inter multos moribundos certe non desunt, qui in extrema necessitate versantur. Ideo in necessitate spi-

rituali communi tenetur etiam sacerdos, qui non est pastor, aliis deficientibus cum periculo propriae vitae moribundis absolutionem impertire.

Articulus sextus.

De obligatione negandi sacramenta.

36. Quibus neganda sint. 1. Semper, etsi sub comminatione mortis exigatur, sacramentum negari debet *incapaci,* quia eius administratio est intrinsecus mala, utpote abusus rei sacrae et mendacium sacrilegum facto commissum.

Incapax dicitur, qui non est subiectum aptum recipiendi sacramenti, ut si ordo conferatur mulieri, baptismus iam baptizato. Qui ergo incapaci administrat sacramentum, non solum eius effectum, sed ipsum frustrat sacramentum.

2. Minister *tenetur per se sub gravi sacramenta negare indignis. a.* Duplex potissimum est ratio, ob quam indignis neganda sint sacramenta: *ex fidelitate:* cum enim minister non sit dominus sacramentorum, ea ut fidelis dispensator secundum voluntatem domini sui administrare debet; sed est contra voluntatem Christi, ut indignis dispensentur: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*[1]). *Ex caritate:* ipse enim minister, qui sacramentum dispensat indigno, ad gravissimum sacrilegium cooperatur; fideles autem grave scandalum paterentur, si viderent peccatori indisposito atque impoenitenti administrari sacramenta. Moraliter tamen certo constare debet de indignitate petentis sacramentum: si enim non adesset, nisi dubium vel probabilis suspicio, sacramentum conferri posset, quia in dubio quilibet praesumendus est bonus.

b. Indigni sunt imprimis: *haeretici et schismatici,* ideo cn 731, 2 haec habet: Vetitum est sacramenta ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, ecclesiae reconciliati fuerint.

Indigni seu sacramentum indigne petentes dicuntur etiam, qui cognoscuntur esse in statu peccati mortalis absque voluntate sese emendandi. Indignus vere recipit sacramentum, quamvis propter obicem non recipiat gratiam sacramenti; qui

[1]) Matth. 7, 6.

ergo indigno dispensat sacramentum, frustrat eius effectum, non ipsum sacramentum. De his est numerus (3) sequens.

Ergo ante dispensationem sacramenti minister *de dignitate suscipientis notitiam habeat oportet.* Haec autem notitia non debet esse eadem in omnibus sacramentis: in aliis enim in dispositionem recipientis inquirere et de ea positive iudicare debet ut in baptismo adultorum et in poenitentia, in aliis vero sufficit, ut recipientis dispositio prudenter praesumi possit; recte autem praesumitur in iis, qui sacramenta petunt, nisi de eorum indignitate constet. In ordine et matrimonio insuper investigare debet in determinatas subiecti condiciones a iure praescriptas.

3. *Ex gravissima tamen causa licitum est sacramenta administrare indigne petentibus.* Fidelitas enim in ministerio non exigit, ut sacramenta negentur, ubi sine gravissimo incommodo negari non possunt; insuper si cooperatio ad peccatum alterius materialis est, ex causa proportionate gravi licita est; scandalum autem praecaveri debet.

a. Causae, ex quibus licitum est sacramentum dare indigno, ad has fere revocantur: α. ne violetur sigillum sacramentale; β. ne oriatur scandalum et perturbatio fidelium, qui, si causam negationis ignorarent a sacramentis arcerentur, cum sibi etiam repulsam timerent; γ. ne periculum mortis vel mali moraliter aequivalentis subeat is, qui sacramentum ministrat; δ. ne infametur is, qui sacramentum petit, cuius occultum crimen ex denegatione notum fieret.

b. De duabus causis ultimo loco allegatis auctores controvertunt, num eae sufficiant, ut sacramentum licite administrari possit indigno. *Vitae periculum* vel malum moraliter aequivalens, quod alio modo, e. g. dissimulatione sacramenti evitari nequeat, *non sufficere,* docent *s. Alphonsus* (n. 49) et *Lehmkuhl*[1]), qui censent, solum ad publicum non autem ad privatum damnum praecavendum licitum esse sacramentum administrare indigno: ubi enim sacramentum negari nequeat sine vitae periculo eius, qui sacramentum negat, potius reverentiae Christo debitae quam vitae ministri consulendum esse. Alii vero hanc causam *sufficere* arbitrantur[2]): cum enim agatur de cooperatione licet proxima ad sacrilegium suscipientis, cooperationem autem directe sola caritas prohibeat, quae per se cum gravi incommodo non obligat, ipsa cooperatio ad tantum malum effugiendum licita videtur. Idem dicendum

---

[1]) Cf. Theologia mor. II. n. 43 (n. 59).

[2]) *Lugo* disp. 8. n. 181. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 1. n. 188. *Gobat,* Experient. theol. tr. I. n. 274. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 689. *D' Annibale* III. n. 264. *Génicot,* Theologiae mor. institut. II. n. 122.

est de altera causa, ubi nempe agitur de *sola diffamatione* eius, qui sacramentum petit. Omnes tamen monent non licere sacramentum administrare indigno, si istud petatur in odium fidei vel in contemptum religionis; et pari modo in nullo unquam casu ne in mortis quidem periculo licere sacramentum administrare incapaci.

37. Regulae. Ex his principiis iam fluunt regulae, quae in administratione sacramentorum, praesertim vero *eucharistiae*, servandae sunt, si quando peccator publicus vel occultus sive publice sive occulte eam petit.

a. Peccator *publicus* seu notorius ille dicitur, cuius delictum communiter vel saltem tot personis iam notum est, ut celari amplius non possit. Peccator *occultus* dicitur, cuius crimen notum non fiet, quod ergo vel soli sacerdoti vel paucis tantum notum est; et tamdiu dicitur occultus, quamdiu spes est, fore ut eius crimen celari possit. Insuper crimen potest esse *absolute* publicum, si ad communem hominum notitiam iam devenerit, vel *relative* publicum, si ex praesentibus maior pars illud cognoverit. *Publice* petere dicitur, qui coram aliis, et *occulte*, qui coram solo ministro vel paucis aliis petit, quorum tamen nulla est habenda ratio, ut sunt pueruli.

b. Triplici modo crimen potest esse absolute publicum: α. *publicitate iuris* seu per sententiam iudicis; β. *publicitate facti*, si crimen publice patratum est; γ. *publicitate famae*, si criminis rumor in loco sparsus est et simul adsunt vehementia patrati criminis indicia.

1. *Peccatori publico, sive occulte sive publice petit, deneganda sunt sacramenta:* nulla enim in hoc casu exsistit ratio concedendi sacramenta; insuper grave scandalum pararetur fidelibus.

Ut praecaveantur dubia, quae in applicanda hac regula oriri possint, sequentia notanda sunt:

a. Si crimen petentis absolute publicum est, sacramentum negari debet, etsi ex hominibus praesentibus multi sint, qui crimen adhuc ignorent: publicus enim peccator ius ad famam iam amisit.

b. Si crimen petentis relative publicum est, sacramentum negandum est, quoties ex praesentibus solum pauci sunt, qui crimen adhuc ignorant; sed negandum non est, si multi adsunt, qui crimen adhuc ignorant, etsi ex alia parte etiam multi adsint, qui criminis notitiam habent, quia sacramentum petens ius ad famam relate ad eos, qui crimen adhuc ignorant, non amisit[1]).

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 688. *Lehmkuhl*, Theologia mor. II. n. 39, 3 (n. 55).

c. Si crimen petentis notum non est in loco, ubi petit sacramentum, hoc negandum est, ubi criminis notitia brevi etiam ad illum locum perventura est: potius enim irreverentia sacramenti et scandalum fidelium praecavendum est, quam modica diffamationis acceleratio; quodsi eo perventura non est aut solum post diuturnum tempus, sacramentum negandum non est: comparatur enim petens peccatori occulto publice petenti.

2. *Peccatori occulto occulte petenti pariter neganda sunt sacramenta:* valet enim in hoc casu utraque ratio supra exposita, *nisi eius crimen cognitum sit ex confessione:* nam propter sigillum sacramentale nunquam negandum est sacramentum ob crimen in confessione auditum.

3. *Peccatori occulto publice petenti non sunt neganda sacramenta*, ne infametur et ne fideles, qui ob occultum crimen sibi quoque repulsam timerent, a sacramentis arceantur.

a. A regula prima excipiendum est: α. sacramentum *poenitentiae*, ad quod non solum admitti debet, qui illud serio petit, sed per se quilibet etiam absolvendus est, qui iudicatur dispositus. Insuper β. excipiendum est sacramentum *matrimonii*, ad quod ineundum ecclesia ex gravissimis rationibus tum haereticos tum publicos peccatores admittit.

b. Ut igitur peccator publicus ad sacramentum *eucharistiae* admitti possit, non sufficit, ut sit dignus seu dispositus, sed insuper requiritur, ut eius dignitas aliis nota sit ad evitandum aliorum scandalum. Attamen ut eius dignitas aliis nota fiat, non requiritur aliquod tempus bonae conversationis, sed sufficit eum publice coram aliis, qui eius emendationem mox evulgabunt, confessum esse. Quare publice peracta confessione ordinarie statim etiam publice ad s. communionem admitti potest; immo etiamsi publice confessus non sit, ordinarie statim ad s. communionem admitti potest, nisi constet ipsum non esse confessum, quia confessio peracta praesumi potest et debet. Si tamen a publico peccatore removendum est publicum scandalum, quod adhuc perdurat, sive eo quod versatur in occasione peccandi, sive eo quod impiam doctrinam sparsit etc., ordinarie ab ipso exigendum est, ut doctrinam revocando vel occasionem dimittendo etc. scandalum removeat, priusquam ad s. communionem accedat, nisi occulte communicare velit aut scandalum fidelium alia ratione praecavere possit.

Num parochus assistere possit matrimonio eorum, quorum uterque aut unus est peccator publicus.

Parochus assistens tamquam testis matrimonio eorum, quorum unus saltem est indignus, cooperatur sacrilegio, quod contrahendo

committitur; at sacramentum non administrat. Atqui haec cooperatio est materialis; ergo ex iusta causa permitti potest. Causa autem iusta est bonum contrahentium, bonum partis innocentis et bonum communitatis. Num unus contrahentium alteri, qui est indignus, administrare possit sacramentum, dicetur suo loco.

38. De simulatione sacramentorum. *Definitiones.* 1. Simulatio in genere est ficta positio signi seu est positio actionis, quae aliud significat, quam agens in mente habet. *Simulatio sacramenti* est ficta positio signi sacramentalis seu est positio actionis sacramentalis, quin conficiatur sacramentum. Duplex distinguitur simulatio: *formalis,* qua deceptio praevisa aliorum, qui putant verum confici sacramentum, intenditur, et *materialis,* qua deceptio aliorum praevisa solum permittitur.

2. A simulatione sacramenti distinguenda est *sacramenti dissimulatio,* quae est positio actionis non sacramentalis in iis adiunctis, in quibus alii falso iudicant conferri sacramentum. Dissimulatio eo fine locum habere solet, ut sacramenti negatio vel ipsi suscipienti vel aliis occultetur.

a. Ergo sacramentum simulat: α. qui applicat materiam et formam sacramenti sine intentione conficiendi sacramentum; β. qui adhibet materiam ex occulto defectu invalidam; γ. qui super materiam profert formam invalidam; et (propter analogiam) δ. qui communicaturo porrigit hostiam non consecratam pro consecrata.

b. Non simulat sed dissimulat sacramentum: α. qui poenitentem indispositum cum sola benedictione dimittit, ne adstantes advertant illum sine absolutione dimitti; β. qui ex condicto cum communicaturo solum verba: *Corpus D. N. I. Ch.* profert, sacram hostiam autem ei non praebet, sed statim in ciborium reponit, quod ex gravi causa licite fieri potest[1]); γ. poenitens, qui ingreditur confessionale et confessarium alloquitur de alio negotio vel a confessario solum petit sacram benedictionem, cum ad confessionem peragendam non sit dispositus.

39. *Principia.* 1. Nunquam licet sacramentum sive formaliter sive materialiter *simulare,* ne ad mortis quidem periculum declinandum, cum simulatio quaevis etiam mate-

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 61.

rialis sit in se et intrinsecus mala[1]). Simulatio enim, etiam materialis tantum, est abusus rei sacrae a Christo ad sanctificandum hominem unice institutae; est ergo gravissima iniuria Christo irrogata. Insuper qui sacramentum simulat, committit mendacium sacrilegum graviterque nocivum. Quod si simulatio in conficienda eucharistia committitur, alii insuper ad idololatriam materialem inducuntur; et si in distribuenda eucharistia committitur, nulla quidem simulatio sacramenti, sed tamen inductio ad materialem idololatriam intervenit.

Quare nunquam licet ad evitandam sacrilegam communionem porrigere hostiam non consecratam, ne scienti quidem et consentienti, nec licet ad evitandam sacrilegam celebrationem verba consecrationis proferre sine intentione consecrandi: gravius enim peccatum est simulatio ipsa communione vel celebratione sacrilega[2]).

2. Sacramentum *dissimulare* ex iusta causa licet: in dissimulatione enim, cum deficiat materia et forma, nulla infertur iniuria sacramento, sed solum permittitur deceptio proximi circa administrationem sacramenti, id quod ex iusta causa e. g. ad infamiam vel scandalum vitandum licite fieri potest.

In audiendis confessionibus quandoque accidit, ut data simplici benedictione et quibusdam orationibus recitatis negatio absolutionis aliis occultanda sit, ne sigillum frangatur neve poenitens infametur, eo quod eius indignitas prodatur. Immo *s. Alphonsus* (n. 59) censet, posse proferri ipsam formam absolutionis submissa voce interponendo *non*, scilicet: *ego te (non) absolvo etc.*

---

[1]) Ab *Innocentio XI.* damnata est haec (29) propositio: *Urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi.*

[2]) Cf. *Viva*, Theses damnatae, in propos. 29. ab Innoc. XI. damn. n. 7. *Bucceroni*, Casus conscien.[5] (Romae. Typogr. august. 1904) n. 109, 10.

Quaestio quarta.

De subiecto sacramentorum.

40. Quis sit. *Subiectum* sacramentorum ille dicitur, qui gratiae sacramenti capax sacramentum recipit. Ex voluntate Christi, institutoris sacramentorum, solus *homo in statu viae* est subiectum capax effectus sacramentorum, cuius quidem voluntatis divinae haec est ratio, quia sacramenta instituta sunt ad gratiam primo conferendam vel augendam; in praesenti ordine providentiae autem solus homo viator capax est primae gratiae vel eius augmenti: damnati enim primae, beati in coelis et animae in purgatorio secundae gratiae non sunt capaces.

Omnia sacramenta excepta eucharistia in subiecto *conficiuntur*, cui administrantur; in sola eucharistia distinguenda est confectio sacramenti ab eius administratione.

Nota. Quid tum ad validam tum ad licitam sacramentorum (eorum praesertim, quae pro omnibus instituta sunt) susceptionem requiratur, iam paucis exponendum est. Quae tamen hic generatim dicuntur, intelligenda sunt „exceptis excipiendis", de quibus infra, ubi de singulis sacramentis agendum erit, dicetur.

Articulus primus.

De sacramentis valide recipiendis.

41. Condiciones requisitae. 1. Ad sacramenta valide suscipienda (excepta poenitentia) *nec probitas nec fides* in suscipiente requiritur; quare ecclesia baptismum et ordines haereticis vel impiis collatos semper pro validis habuit.

a. Etsi ad *valide* suscipienda sacramenta fides non requiratur, ad licite tamen et *fructuose* [redacted] suscipienda fides absolute necessaria est, quia sine fide adultus gratiae iustificationis capax non est[1]).

[1]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 7 s.

b. Excipitur *poenitentia,* quia ad valide suscipiendum sacramentum poenitentiae nonnulli actus poenitentis vel ut materia vel ut condicio necessaria praerequiruntur; actus autem praerequisiti sine fide elici non possunt.

2. Ad sacramenta valide suscipienda *nulla requiritur attentio.* Et sane in suscipiente adulto aliud non requiritur, nisi ut susceptio sit habitualiter voluntaria; ad hoc autem non requiritur attentio, ne quidem externa.

Distractiones ergo etiam voluntariae in ipso actu susceptionis non obsunt valori sacramentorum. Hinc recte notat *Gury* (n. 229), frustra scrupulis aliquando poenitentes ex eo angi, quod distractiones passi fuerint, dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint. Attamen voluntariae distractiones in susceptione sacramentorum propter reverentiam eis debitam sedulo excludendae sunt. Licet enim voluntariae distractiones in suscipiendis sacramentis horum valorem non impediant et a mortali excusari possint, a veniali tamen minime excusantur: sancta enim sancte tractanda sunt.

3. *In infantibus* et perpetuo amentibus nulla requiritur *intentio* ad suscipienda sacramenta, quorum sunt capaces; intentionem, quam habere nequeunt, supplet intentio Christi et ecclesiae.

Quatuor autem sacramentorum ipsi sunt capaces: *baptismi,* quem suscipere possunt et debent; *confirmationis,* quam suscipere quidem possunt, sed non debent; *eucharistiae,* quam nunc ex voluntate ecclesiae suscipere non possunt; *ordinis,* quem nunquam licite suscipere poterant. De his constat ex traditione, quae voluntatem Christi instituentis sacramenta nobis manifestat.

4. *In adultis* i. e. in iis, qui usum rationis adepti sunt, ad valide suscipienda sacramenta requiritur *intentio* saltem *habitualis implicita* suscipiendi tale sacramentum[1]). Quare non sufficit, ut sacramentum positive non respuant, sed omnino requiritur *positiva voluntas* suscipiendi sacramentum, eaque vera et seria: siquidem ex voluntate Christi in adultis susceptio debet esse voluntaria, quia noluit eos sanctificari sine eorum voluntate et consensu. Sufficit autem intentio *habitualis,* quia ad recipiendum donum et beneficium alia intentio praeter liberam acceptationem non

[1]) Quatenus ab hac regula excipienda sint sacramenta *poenitentiae* et *matrimonii,* suis locis dicetur.

requiritur; libera autem acceptatio etiam in voluntate habituali continetur. Immo in nonnullis sacramentis (confirmatio, viaticum, extrema unctio) sufficit intentio habitualis *implicita*, quae scilicet continetur in voluntate sive amplectendi religionem christianam, sive faciendi omnia, quae ad salutem necessaria sunt, sive vivendi et moriendi more catholico: in hac enim voluntate continetur intentio suscipiendi sacramenta, quae ad salutem sunt necessaria, vel saltem sacramenta, quae ecclesia fidelibus in mortis periculo constitutis conferre solet.

Omnes fere concedunt in voluntate *amplectendi religionem christianam* implicite contineri intentionem suscipiendi baptismi, etsi quis baptismum non cognoverit vel de eo non cogitaverit; attamen non consentiunt, num in voluntate *faciendi omnia, quae ad salutem necessaria sunt*, qualis in omni contritione continetur, intentio suscipiendi baptismi includatur. Iam vero, etsi nonnulli auctores id affirment[1]), alii tamen non sine ratione id prorsus negant, ubi agitur de homine, qui de ecclesia Christi et de baptismo nil unquam audivit[2]). Nam in contritione sive imperfecta sive perfecta continetur quidem voluntas baptismi; haec autem voluntas non est absoluta, sed solum condicionata, nec est voluntas immediata ipsius baptismi, ne implicite quidem, sed solum voluntas servandi praecepta. Et sane obligatio, quae ei incumbit, qui nec de ecclesia nec de baptismo quidquam audivit, non est suscipiendi baptismi, sed immediate est obligatio examinandi religionem christianam, quando ipsi proposita fuerit, eamque per baptismum amplectendi, si instituto examine eius veritatem ac necessitatem cognoverit. Atqui haec voluntas (votum) baptismi sufficit quidem ad iustificationem per contritionem perfectam obtinendam, at non sufficit ad baptismum valide suscipiendum: ad hoc enim requiritur intentio absoluta, et quidem ipsius baptismi, saltem implicita. Cuius rei haec est ratio. Qui baptismum suscipit, simul contrahit obligationem observandi praecepta religionis christianae; sed adultus hoc ipsum saltem implicite velle debet, quia nemo obligatur nisi voluntarie; quare idem saltem implicite cognoscere debet[3]).

---

[1]) *Coninck*, De sacram. in gen. q. 64. n. 103. *Reuter*, Theol. mor. pr. 4. n. 63, 5. *Lacroix* l. 6. pr. 1. n. 168.

[2]) *Suarez*, De sacram. in gen. disp. 14. sect. 2. n. 4. *Lugo*, De sacram. in gen. disp. 9. n. 130.

[3]) Ergo ut missionarius ethnicum vel iudaeum moribundum sensibus destitutum licite baptizare possit, non sufficit, ut prudenter praesumat eum habuisse saltem attritionem, sed requiritur, ut ex positivis indiciis prudenter iudicare possit, eum habuisse desiderium bap-

b. Ergo valide conferuntur sacramenta dormientibus, ebriis et illis, qui post adeptum usum rationis *inciderunt in amentiam.* Attamen non possunt iis valide administrari sacramenta, nisi antea habuerint voluntatem saltem implicitam ea suscipiendi. Si ergo sint, qui affirment ad sacramenta valide suscipienda sufficere etiam intentionem *interpretativam,* id concedendum est, si hoc nomine intentio habitualis intelligitur, ita scilicet, ut actualis saltem implicita praecesserit et nunquam retractata fuerit et nunc adesset, si cogitatio sacramenti incideret; si autem intentio interpretativa ea intelligitur, quae nunc adesset, si cogitatio sacramenti incideret, licet antea nulla huius sacramenti cogitatio et voluntas habita fuerit, haec intentio profecto nihil valet.

c. Infirmis *sensibus destitutis,* quod intentionem attinet, valide conferri possunt sacramenta (confirmatio, absolutio, viaticum, extrema unctio), nisi constet ipsos usque ad deliquium impoenitentes mansisse, quia recte supponuntur habere intentionem habitualem implicitam suscipiendi illa sacramenta. Vix enim erit homo fidelis pie et christiane vivens, qui nunquam habuerit voluntatem tum recipiendi media, quae fidelibus ad vitam religiosam agendam conceduntur, tum pie et christiane moriendi; sed in priore illa voluntate implicite continetur intentio confirmationis, in hac altera voluntate implicite continetur voluntas suscipiendi sacramenta, quae fidelibus in morte conceduntur. Insuper recte fideles supponuntur poenitentes, nisi manifesta signa impoenitentiae dederint; in quolibet autem actu contritionis vel attritionis implicite continetur voluntas faciendi, quae ad salutem sunt necessaria.

d. Hinc qui ficte tantum vel per iocum sibi conferri sinat sacramentum vel qui mere negative se habeat, dum ei confertur sacramentum, absque seria voluntate saltem implicita illud suscipiendi, nihil suscipit. Item si quis ignorans, quid sit sacramentum, mere materialiter sibi aliquod conferri permittat, illud non accipit. — Econtra qui *ex metu* etiam gravi et iniuste incusso recipit sacramentum, valide illud recipit, modo adsit intentio saltem implicita (excipiendum est matrimonium). In praxi tamen sub condicione iterum baptizandi sunt, qui solum ex metu baptismum susceperunt et postmodum sponte illud desiderant, quia difficulter discerni potest, utrum internus consensus in baptismum, an interna repugnantia contra baptismum adfuerit. — *Phreneticus,* qui omnibus modis repugnat volenti conferre extremam unctionem, valide eam suscipit ex intentione saltem implicita, quam ante morbum habuit.

e. Si suscipiens ex errore *duas contrarias intentiones* habet, alteram qua actu respuit, alteram qua habitu desiderat sacramentum, hoc ei

---

tismi vel propositum ingrediendi ecclesiam. *S. Officium* 18. sept. 1850; 30. mart. 1898.

conferri potest, ubi intentio illud suscipiendi praevalet. Utra intentio praevaleat, ex dispositione animi colligi debet: illa scilicet praevalet, quam retineret, si veritatem cognosceret. Finge e. g. parochum cum infirmo graviter decumbente, qui s. communionem modo devote susceperat, de suscipienda extrema unctione agentem, quam infirmus nunc suscipere recusat, cum nondum sit in mortis periculo. Hunc infirmum interea sensibus destitutum parochus sacro oleo incipit ungere atque in unctione pergit, quamvis infirmus interim ad ■ reversus agitatione capitis displicentiam suam ostendat. — Validum est sacramentum, quia intentio habitualis est intentio praedominans[1]).

5. Ad cetera sacramenta valide suscipienda *praerequiritur baptismus valide susceptus:* siquidem alia sacramenta pro solis membris ecclesiae instituta sunt; per solum autem baptismum homo fit membrum ecclesiae.

Sacramentum ergo, quod non baptizato confertur, nullum est, quia non baptizatus non est subiectum capax aliorum sacramentorum.

Articulus secundus.

De sacramentis licite suscipiendis.

42. Condiciones requisitae. 1. Ad sacramenta licite et fructuose suscipienda saltem ea *dispositio* requiritur, sine qua sacramenta effectum suum principalem, gratiam scilicet sanctificantem vel primam vel secundam, producere nequeunt; generatim ergo dicendum est:

a. Ad sacramenta *mortuorum* licite et fructuose suscipienda requiritur attritio de peccatis commissis: nulla enim a Deo conceditur remissio sine conversione et dolore de peccato.

b. Ad sacramenta *vivorum* licite et fructuose suscipienda requiritur status gratiae, ut ex rei natura patet.

Duplex exstat via, qua status gratiae recuperari possit, contritio perfecta aut absolutio sacramentalis; etsi haec posterior non semper necessaria sit, semper tamen utpote certior atque securior suadenda est.

2. Qui scienter sine debita dispositione sacramentum suscipit, gravissimum *irreverentiae sacrilegium* committit,

---

[1]) Cf. *Elbel-Bierbaum* III. pr. 8. n. 69.

idque gravius illo, quod committit is, qui sacramentum in statu peccati mortalis conficit, quia non utcumque sacramentum indigne tractat, sed etiam effectu suo frustrat.

S. Alphonsus (n. 86) duos affert casus sane raros, in quibus licet ss. eucharistiae sacramentum sumere in statu peccati mortalis: *a.* Si sacerdos ad altare vel laicus mensae communicantium accumbens recordaretur peccati mortalis a se commissi nec posset actum contritionis elicere nisi interrumpendo sacrificium missae vel recedendo a mensa communicantium cum periculo diffamationis, licite ss. sacramentum sumeret. *b.* Si hostia consecrata exposita esset periculo profanationis ex parte impiorum nec suppeteret tempus eliciendi contritionem, hostia sumi posset sine peccato, sed sumeretur etiam sine fructu.

43. *Num liceat sacramenta petere vel accipere a ministro indigno.*

Minister indignus dicitur, qui certo cognoscitur non administraturus sacramentum sine peccato mortali. Dicitur *certo:* si enim non cognoscitur certo indignus, praesumi debet dignus. Porro minister potest esse indignus aut propter peccatum mortale aut propter censuram, qua innodatus sacramenta administrare prohibetur. (Cn 2261).

1. *Per se non licet sacramenta petere vel accipere* a ministro indigno. Et sacramenta quidem *petere* non licet, quia lex naturae vetat, ne quem incitemus ad id, quod sine peccato aut facere non potest aut facturus non est; *recipere* autem non licet, quia non licet cooperari ad peccatum, quod administrans sacramentum in mortali committit.

Praeter hanc cooperationis rationem, quae potissima est, duplex alia quandoque accedit, scandalum scilicet et periculum perversionis, quam indignus minister, praesertim si sit haereticus, tentare potest. Sine causa ergo certe non licet sacramenta accipere a sacerdote indigno, etiamsi ad ea ministranda sit paratus, quin et ultro se offerat.

2. *Ex iusta causa tamen licitum est sacramenta petere et accipere* a ministro indigno, qui ea sine peccato administrare *potest.* Ex causa enim proportionate gravi licitum est petere actionem, quam alter sine peccato praestare potest, licet praevideatur commissurus peccatum; insuper licet peccato alterius ex iusta causa materialiter cooperari. Si tamen ob peculiarem censuram vel prohibitionem sacramenta sine peccato conferre *non posset,* non liceret sacramenta ab eo petere, quia nunquam licet alium ad peccatum inducere.

Causae vero iustae et proportionate graves, ob quas etiam sacerdos indignus vocari vel adiri posset, haec sunt: ad sacramenta administranda aegroto; ad confessionem et communionem paschalem peragendam; ad baptizandum infantem; ad absolutionem percipiendam, ne recipiens diutius in statu peccati versari debeat; ad indulgentiam lucrandam, ad praecavendum imminens periculum lapsus ob vehementem tentationem vel occasionem peccandi[1]).

3. Quoad *excommunicatos.* Possunt fideles *ex qualibet iusta causa* ab excommunicato sacramenta petere, maxime si alii ministri desint. Sed ab excommunicatis vitandis nec non ab iis excommunicatis, in quos lata est sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles *in solo mortis periculo* petere possunt tum absolutionem tum etiam, si alii ministri desint, cetera sacramenta.

a. Qui ergo moriturus esset sine sacramento, nisi illud peteret ab excommunicato vitando (vel ab haeretico aut schismatico) posset ab his petere non solum baptismum aut absolutionem, sed etiam extremam unctionem et viaticum.

b. Haeretici et schismatici publici non sunt quidem sensu iuridico *vitandi,* sacramenta tamen ab eis petere non licet, nisi in proximo periculo mortis. Immo ordinarie ne tunc quidem advocandi sunt, propter perversionis periculum: vix enim minister haereticus sacramenta ministrabit moribundo, nisi is fidem sectae ipsius admiserit. Quare praestat elicito actu contritionis perfectae divinae misericordiae se committere, quam tanto periculo ▬ exponere.

Quaestio quinta.

De Sacramentalibus[2]).

Articulus primus.

De natura sacramentalium.

44. Definitio. *Sacramentale* etymologice significat omne id, quod ad sacramentum pertinet, praesertim vero cere-

[1]) *S. Alphonsus* n. 89.

[2]) *Suarez,* De sacramentis disp. 15. *I. B. Pighi,* Liturgia sacramentalium. *G. Arendt* S. I. De Sacramentalibus. *Fr. Schmid,* Die Sakramentalien der kath. Kirche. *Probst,* Sakramente und Sakramentalien. *Kutschker,* Die hl. Gebräuche. *Amberger,* Pastoraltheologie. Bd. 3. Abt. 2. S. 191 ff. *Kirchenlexikon*[2], Sakramentalien.

moniam sacramentalem, quae scilicet in sacramentorum administratione observatur.

Sacramentalia vero proprie et specifice, prout in hac quaestione intelliguntur, definiri possunt: Signa sacra (res aut actiones) ab ecclesia ad aliquam sacramentorum imitationem instituta, quibus ipsa uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales[1]). Tria ergo sunt de ratione sacramentalium: *a.* ut sint signa sacra ab ecclesia instituta; quare ipsa eaque sola in sacramentalia plenam potestatem exercet: ea constituere, authentice interpretari, ex eis aliqua abolere aut mutare potest[2]); *b.* ut effectus supernaturales tum spirituales tum corporales producant; *c.* ut hos effectus producant vi impetrationis.

a. Sacramentalia, quae a theologis dicuntur *sacramenta minora*, ita definiri debent, ut hinc quidem a sacramentis differant, inde vero cum sacramentis maximam, quae admitti possit, similitudinem exhibeant.

b. Signa sacra: sacramentalia, quotquot habentur, aut res aut actiones sacrae sunt; omnia autem in communi ratione *signi sacri*, quo nempe externus cultus Deo exhibetur et quo ecclesia utitur ad effectus supernaturales conferendos, conveniunt. Sacramentalia sunt signa *practica*, quae effectus non solum significant, sed etiam producunt; eos tamen non eodem apto et determinato modo significant ac sacramenta, nec eodem modo producunt.

c. Ab ecclesia instituta: sacramentalia secundum modum et formam, qua reipsa habentur et peraguntur, ab ecclesia instituta sunt. His solum negatur sacramentalia eodem modo in specie et in individuo a Christo instituta esse, quo sacramenta ab ipso instituta sunt; at non negatur etiam sacramentalia duplici sensu a Christo instituta esse: α. *mediate*, quia ecclesia potestatem instituendi et peragendi sacramentalia a Christo accepit; β. *in genere*, quia nonnulla saltem sacramentalia Christus ipse in genere instituit et solum specificam formam ecclesiae determinandam commisit. Et sane benedictiones et exorcismos in genere Christus ipse instituit, particulares autem benedictiones et exorcismi, qui in utilitatem fidelium adhibentur, determinatam formam et modum ab ecclesia acceperunt. Ergo plane alio modo sacramentalia a potestate ecclesiae dependent ac sacramenta, quorum specifica materia et forma ab ecclesiae potestate independens est.

d. Ex sacramentalium statuta definitione consequitur ad sacramentalium numerum referenda non esse: α. orationem dominicam, ora-

[1]) Cn. 1144. [2]) Cn. 1145.

tiones fidelium, signum crucis, eleemosynam, benedictionem, qua parentes filiis bene precantur etc., tum quia ab ecclesia non sunt instituta, tum quia vim suam non habent ab impetratione ecclesiae; β. neque orationes ecclesiae, ceremonias sacrificii eucharistici, genuflexiones, tunsiones pectoris etc., quia effectus suos non producunt ex oratione ecclesiae, etsi ab ecclesia sint instituta. Opus enim, quod peculiarem effectum supernaturalem aut natura sua ut oratio dominica, quae ratione auctoris Deo eximie placet, aut ex speciali promissione divina ut eleemosyna producit, non pertinet ad sacramentalia, quae effectus suos vi orationis ecclesiae producunt.

e. Differunt sacramentalia a sacramentis: α. *ratione originis,* quia sacramenta a Christo, sacramentalia ab ecclesia instituta sunt; β. *ratione effectus,* sacramenta enim immediate gratiam producunt et peccata peccatorumque poenam remittunt, sacramentalia immediate nec gratiam conferre nec peccata remittere possunt; γ. *ratione modi operandi,* sacramenta enim effectus suos ex opere operato, sacramentalia vero ex opere (ecclesiae) operantis producunt.

45. Divisio. Sacramentalia magnae sunt multitudinis ac varietatis, adeo ut determinato numero non contineantur. Complura, quae antiquitus in usu erant, iam in desuetudinem abierunt, et exigentibus temporis adiunctis ecclesia identidem nova instituere potest; sic recenti quoque tempore nonnulla instituit, ut videre est in *Rituali romano,* in cuius appendice complures *benedictiones novissimae* continentur. Ad quaedam tamen genera omnia sacramentalia revocari possunt. Dividuntur:

1. Ratione *obiecti* in *actiones* et *res,* prout effectus immediate aliqua actione e. g. benedictione, vel mediate, scilicet mediante re benedicta, producitur.

Actiones dicuntur sacramentalia *traneuntia* et comparantur cum sacramentis, quae actione transeunte conficiuntur; *res benedictae* dicuntur sacramentalia *permanentia* et comparantur ss. altaris sacramento, quod in esse permanet et usu effectum suum producit.

2. Ratione *finis* sacramentalia transeuntia dividuntur in *benedictiones* et *exorcismos,* prout adhibentur ad effectum supernaturalem conferendum aut ad potestatem daemonis debilitandam vel frangendam. Ulteriores divisiones infra (n. 52).

3. Ratione *ministri* in *reservata,* quae solum a determinato ministro confici possunt, et *non reservata,* quae ab omnibus indiscriminatim ministris peragi possunt.

a. Sacramentalia *reservata* alia sunt *papae* reservata ut benedictio pallii, agnus Dei, rosae aureae etc.; alia sunt *episcopis* reservata, quae duplicis generis sunt: α. benedictiones reales, quae episcopis ita propriae sunt, ut sine indulto apostolico sacerdoti delegari nequeant; β. benedictiones verbales, quae in missali vel rituali habentur sub titulo: *Benedictiones reservatae ab episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendae,* quas episcopi vel iure ordinario vel delegato sacerdotibus committere possunt.

Memoranda est series benedictionum, quae certis ordinibus religiosis reservantur et in rituali habentur sub titulo: *Benedictiones propriae nonnullorum ordinum regularium.*

b. Inter sacramentalia *non reservata,* quae vi ordinis a quolibet sacerdote absque delegatione fieri possunt, notari debent ea, quae sunt *de iure parochiali,* ideoque ab alio sacerdote absque licentia parochi fieri nequeunt: benedictio nuptialis, benedictio fontis baptismalis, benedictio mulieris post partum, benedictio domorum in sabbato sancto, benedictio agrorum et frugum, si sollemniter fit; generatim non sunt faciendae benedictiones publice et sollemniter in loco, qui alterius iurisdictioni subest.

Nihil impedit, quominus simplex sacerdos sive saecularis sive regularis privato ritu agros, animalia et similia benedicere possit, cum benedictiones istae non sint iuris parochialis[1]). *Ritus privatus,* quatenus opponitur publico et sollemni, non excludit superpelliceum et stolam, sed concursum populi signo campanae convocati.

46. Minister. *Subiectum.* Sacramentalium minister legitimus in genere est *clericus,* cui ad id potestas collata est quique ab auctoritate ecclesiae non sit prohibitus[2]). Pro diversa autem dignitate sacramentalium diversi ministri assignantur:

a. Pro *consecrationibus* requiritur character episcopalis, nisi ius vel apostolicum indultum etiam sacerdoti potestatem concedat.

---

[1]) S. C. R. 13. iun. 1893 n. 3801.

[2]) Cn. 1146.

b. Benedictiones dare potest quilibet presbyter, nisi sint reservatae; sed etiam reservatae, si dantur a presbytero sine licentia, sunt *illicitae, non invalidae,* nisi aliud expressum sit.

c. Diaconi et lectores illas benedictiones tantum valide et licite dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur[1]).

d. Ministri *exorcismorum*, qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt idem, qui eorundem sacrorum rituum legitimi ministri sunt[2]).

Laici ergo sacramentalia *conficere* nequeunt; *usus* tamen quorundam sacramentalium permanentium immediate ipsis laicis permittitur ut aquae lustralis, agnus Dei, numismatis benedicti etc., alia vero sacramentalia permanentia ut cineres benedicti etc. fidelibus per ministerium sacerdotum applicari debent.

Subiectum. *a. Benedictiones,* imprimis catholicis impertiendae, dari etiam possunt catechumenis, immo, nisi obstet ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel una cum illo corporis sanitatem[3]).

Sacramentalia, quae dari possunt etiam catechumenis, intelligi debent etiam sacramentalia publica, et proinde catechumeni admitti possunt ad impositionem cinerum, traditionem candelarum et palmarum[4]).

b. Exorcismi fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos[5]).

Articulus secundus.

De effectibus sacramentalium.

47. Efficacia sacramentalium. Sacramentalibus inesse specialem vim atque efficaciam producendi quosdam effectus supernaturales sive spirituales sive corporales tum ex persuasione ecclesiae tum ex potestate eidem collata constat. De his effectibus declarandum est: *a.* quinam sint; *b.* quae sit potestas ecclesiae collata; *c.* quomodo producuntur.

a. Specialia dicitur efficacia sacramentalium, ut distinguatur tum vi et efficacia impetrandi, quae convenit orationibus fidelium, tum a vi meritoria, quae inest bonis operibas iustorum.

b. Efficacia specialis sacramentalium non in eo consistit, quod suapte natura, quatenus signa sacra sunt, pios motus excitant, quibus

[1]) Cn. 1147. [2]) Cn. 1153. [3]) Cn. 1149.
[4]) S. R. C. 8. mart. 1919. [5]) Cn. 1152.

deinde auxilium supernaturale ex opere operantis obtinetur, sed in eo, quod ipsa actione vel ipsa re benedicta vi collatae benedictionis effectus supernaturalis obtinetur.

48. Quos effectus producant. Effectus, qui a sacramentalibus producuntur, ad quatuor potissimum revocari possunt:

1. *Collatio gratiae actualis*, quae primarius et principalis sacramentalium effectus dici debet; sic benedictio abbatis, coronatio regis, ordines minores prout sacramentalia sunt, benedictio nuptialis etc. gratias actuales ad rite obeunda munera suscepta conferunt. Gratiae vero actuales non solum sufficientes sed etiam efficaces ad effectus sacramentalium censentur.

2. *Remissio peccati venialis*, quam omnes theologi sacramentalibus tribuunt, etsi disputent de modo, quo peccata venialia ab eis deleantur. Sic aqua lustralis, cineres initio quadragesimae benedicti, Confiteor cum orationibus adnexis potissimum vim habent delendi peccata venialia.

Num sacramentalia vim habeant remittendi *poenam temporalem*, non constat, „nec video, ait *Suarez*, quo fundamento sufficienti affirmari id possit“[1]).

3. *Cohibitio daemonis.* Dominium diaboli in homines ex peccato proveniens triplici potissimum modo ex permissione divina se exerit: *a.* eo quod hominibus eorumve bonis mala physica infert; *b.* eo quod interius malis tentationibus ad peccatum eos instigat; *c.* eo quod ipsa hominum corpora obsidet. Iam ad cohibendos, debilitandos repellendosve malignos hosce diaboli influxus complura sacramentalia, praesertim vero multiplices exorcismi adhibentur.

a. Hunc effectum sacramentalia pro varietate influxus diabolici variis modis producunt: vel enim angelos bonos movent, ut maiore vi et virtute malignas diaboli infestationes repellant, vel auxilia gratiae conferunt ad tentationes facilius superandas, vel impediunt, quominus mali spiritus hominibus eorumve bonis noceant, vel tandem daemonem a corporibus obsessis plane expellunt aut saltem eius influxum debilitant.

[1]) *De sacramentis* disp. 15. sect. 4. n. 9.

β. Ab exorcismo ordinario, qui ad sacramentalia numeratur, distingui debet *charisma extraordinarium*, quo Deus quandoque viris sanctis potestatem confert miraculose expellendi daemones a corporibus obsessis. Vis enim et efficacia exorcismi ordinarii, etsi semper valeat ad daemonis potestatem debilitandam, non tamen semper valet ad daemonem ipsum plene expellendum.

4. *Operatio boni temporalis* ut sanitatis aliorumve beneficiorum. Hunc effectum sacramentalia diversimode producunt: eo quod speciali Dei providentia homo eiusque bona a malis futuris praeservantur, vel eo quod mala praesentia auferuntur corporibusque sanitas restituitur, vel eo quod temporalis prosperitas confertur. Sic benedictio infirmorum et pleraeque benedictiones, quae creaturis irrationalibus conferuntur, hos effectus potissimum intendunt.

Nota 1. Non tamen singula sacramentalia omnes hos effectus producunt: nam tum ex institutione sua tum ex modo, quo peraguntur, diversa et ad diversos fines destinata sunt, ideoque diversos etiam effectus producunt. Quosnam vero fructus singula conferant, tum ex eorum institutione tum ex precibus, quibus ecclesia ea administrat, colligi debet[1]).

Nota 2. Benedictiones et consecrationes, quibus res vel personae ab ecclesia consecrantur et ad cultum divinum deputantur ut consecratio ecclesiae, consecratio calicis, benedictio abbatis vel abbatissae, prima tonsura, ordines minores etc. eatenus sacramentalia sunt, quatenus ipsa consecratio vel usus rei consecratae vim habet conferendi effectus supernaturales, non autem quatenus vim habent constituendi rem vel personam vere sacram et ad cultum divinum deputatam. Ecclesia enim res et personas non ea potestate consecrat et ad cultum divinum permanenter destinat, qua sacramentalia instituit et conficit, sed potestate, qua instructa est, regendi ordinandique Dei cultum externum in societate religiosa a Christo instituta. Equidem sacramentalia quoque ad cultum divinum ordinantur, cum suapte natura sint actus cultus divini; verum potestas regendi cultum externum ad instituenda et conficienda sacramentalia non sufficit, nisi accedat peculiaris potestas benedicendi et potestas cohibendi daemones.

49. De potestate ecclesiae. Ad instituenda et conficienda sacramentalia ecclesia duplici potestate instructa est, potestate benedicendi et potestate cohibendi daemones.

[1]) Cf. *Amberger* III. 2. S. 197 ff.

1. *De potestate benedicendi.* *a.* Hanc potestatem apostolis atque in iis ecclesiae ministris a Christo traditam esse, patet ex his scripturae verbis: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra*[1]). Verba enim: *Pax huic domui* non exhibent salutationem communiter usitatam, sed benedictionem, qua bona supernaturalia efflagitantur, ut ex sequentibus verbis patet[2]).

b. Christus apostolos exemplo suo docuit, quomodo benedicendi potestatem in utilitatem hominum exercere deberent: ipse enim parvulis manus imponens benedixit[3]), panes et pisces postea multiplicandos benedixit[4]), panem in corpus suum convertendum benedixit[5]) ac tandem ante suam in coelum ascensionem elevatis manibus apostolis et discipulis benedixit[6]).

3. *De potestate in daemones.* Hanc potestatem apostolis et discipulis atque in iis ecclesiae ministris traditam esse hisce scripturae verbis demonstratur: *Convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia*[7]).

Nota. Ecclesiam traditam sibi a Christo potestatem per sacerdotes suos potissimum exercere ex ipso sacerdotum munere iam constat et expresse significatur verbis, quibus ipsa in ordinatione presbyteri utitur: *Consecrare digneris, Domine, manus istas . . ut quaecunque benedixerint, benedicantur, et quaecunque consecraverint, consecrentur et sanctificentur.* Et quamvis clericis in ordinatione exorcistarum conferat potestatem *imponendi manus super energumenos* et per impositionem manus *coercendi spiritus immundos*, hac potestate tamen uti non licet nisi sacerdotibus[8]).

---

[1]) Luc. 10, 5. 6.
[2]) Cf. *Knabenbauer*, Commentarius in quatuor evangelia I. p. 387.
[3]) Marc. 10, 16. Matth. 19, 15.
[4]) Marc. 6, 41. Matth. 14, 19.
[5]) Matth. 26, 26.
[6]) Luc. 24, 50.
[7]) Luc. 9, 1. Coll. Matth. 10, 1. Luc. 10, 17.
[8]) *Pontificale rom.* De ordinatione presbyteri, de ordinatione exorcistarum.

50. Quomodo effectus producant. Sacramentalia effectus producunt ex *vi impetratoria ecclesiae,* quae dum sacramentalia per ministros suos conficit, Deum ipsa deprecatur pro iis, quibus sacramentalia administrantur vel qui postea eis utuntur. Ad quaestionem, utrum sacramentalia effectum producant ex opere operato an ex opere operantis, ita dicendum videtur:

a. Non ex opere operantis: hoc namque termino significatur effectum pendere a sanctitate ministri vel a dispositione subiecti; sed sacramentalia vim et efficaciam suam non habent ex sanctitate et devotione ministri neque ex dispositione subiecti, sed ex vi impetratoria ecclesiae.

α. Si quandoque legimus sacramentalia uberiores et propemodum miros effectus produxisse, ubi a *viris sanctis* peragerentur, id non ordinariae saramentalium efficaciae, sed singulari charismati determinatae personae intuitu sanctitatis a Deo collato tribuendum est. His tamen non negatur sacramentalium ordinarium effectum, etiam dempto speciali charismate, ex merito ministri, qui Deo eximie placet, augeri posse et reipsa augeri, quemadmodum fructus missae intuitu sanctitatis ministri offerentis quandoque augentur.

β. Ad percipiendos sacramentalium effectus debita *subiecti dispositio* requiritur, quemadmodum ad percipiendos fructus sacramentorum debita dispositio neccessaria est. Hinc concedendum est effectum sacramentalium ex uberiorem esse, quo perfectior est dispositio ex sanctitas, fides et devotio subiecti; vis autem hos effectus producendi inest impetrationi ecclesiae.

b. Neque ex opere operato: hoc enim termino significatur effectum produci vi institutionis divinae, adeo ut ipsum signum vi huius institutionis efficax sit ad producendos effectus; sacramentalia autem non vi institutionis, sed vi orantis et impetrantis ecclesiae efficacia sunt.

c. Sed ex opere operantis ecclesiae. Modus, quo sacramentalia operantur, in eo convenit cum modo operandi sacramentorum, quod eorum efficacia non pendeat a merito ministri neque a sanctitate subiecti; sed in eo differt a modo operandi sacramentorum, quod eis efficacia non competat vi institutionis, sed vi impetrationis ecclesiae sacramentalia peragentis. Quamvis ergo vere affirmari possit, sacramentalia agere ex opere operato, si huius termini

sola vis negativa consideretur; aptius tamen sacramentalia effectus producere dicuntur *ex opere operantis ecclesiae*, ut modo singulari, quo sacramenta operantur, etiam singularis terminus *ex opere operato* reservetur.

51. *Effectus sacramentalium dicendus est infallibilis:* effectus enim producitur deprecatione ecclesiae; sed ecclesiae orationes semper audiuntur. Si tamen effectus, qui intenditur, ex administratione vel ex usu sacramentalium reipsa non semper provenit, id ex duplici condicione potissimum explicari debet, a qua infallibilis efficacia omnium orationum dependet. Si enim bona temporalia efflagitantur ut sanitas corporis, abundantia frugum etc., fieri potest, ut eorum largitio ad salutem animae non conducat; et si bona supernaturalia petuntur, fieri potest, ut eorum concessio ordini divinae providentiae et praedestinationis non sit conformis.

a. Etsi *subiectum proximum* et immediatum sacramentalium, sit diversissimum, creatura nempe tum rationalis tum irrationalis, subiectum tamen *remotum* et ultimum semper est homo viator, in cuius spiritualem utilitatem cedit omnis effectus per sacramentalia productus.

b. Ex his conficitur illa sacramentalia (qua sacramentalia) nihil valere, quibus non assistit impetratio ecclesiae; haec autem illis non assistit, quae non peraguntur cum ea materia et forma, quam ipsa praescribit. Sacramentalia ergo, in quorum confectione vel [redacted] non observantur condiciones ab ecclesia designatae, nullum effectum habent; et in hac re neque ignorantia inculpabilis nec bona fides quidquam supplere possunt: tota enim benedictionum ecclesiasticarum vis, ait *Gardellini*, posita est in oratione et invocatione ecclesiae, quae fit per suos ministros, qui non aliis uti verbis aut formulis debent, quam iis, quae ab ecclesia sunt constituta[1]). Et cn 1148, 2 haec habet: Consecrationes et benedictiones sive constitutivae sive invocativae *invalidae* sunt, si adhibita [redacted] fuerit formula ab ecclesia praescripta.

Articulus tertius.

De benedictionibus et exorcismis.

Cum benedictiones et exorcismi sint duo magna genera, ad quae omnia sacramentalia transeuntia revocantur, pauca quaedam in specie de iis addere iuvat.

[1]) Decreta authent. S. C. R. (Ed. *Gardellini*. Romae. 1857) nota ad n. 4782.

§ 1. De benedictionibus.

52. Notio et divisio. 1. *Benedictio* est oratio movens alium ad conferendum alicui bonum.

Benedictio alia dicitur *laicalis*, quae fit a persona saeculari, praesertim si habeat aliquem titulum in rem vel personam benedicendam, ut habet pater et mater in filios; alia dicitur *ecclesiastica*, quae fit a persona ecclesiastica nomine ecclesiae. Benedictiones, quae peraguntur a laicis, non sunt sacramentalia, cum ab ecclesia non sint institutae nec fiant auctoritate ecclesiae.

2. Benedictiones ecclesiasticae, quae sunt quamplurimae, dividuntur: *a.* Ratione *effectus* in *constitutivas* (Weihesegen), quibus res vel personae mutato earum statu verae sacrae fiunt; et *invocativas* (Bittsegen), quibus rebus vel personis non mutato earum statu speciale aliquod bonum imploratur. Ad illas pertinent prima tonsura, ordines minores, consecratio virginum, consecratio calicis vel ecclesiae, benedictio „agnus Dei" vel aquae lustralis etc.; ad has autem simplices benedictiones personis vel rebus collatae ut benedictio infirmi, novae domus, vinearum, medicinae etc.

Benedictiones constitutivae duplicis generis sunt: *a.* aliae, quibus personae vel res benedictae vel consecratae solum ad cultum divinum deputantur et sacrae fiunt, quarum nonnullae ordinantur ad alia sacramentalia conficienda ut chrisma, oleum sacrum; *b.* aliae, quibus res benedictae fiunt sacramentalia permanentia, quando nempe res eo fine benedicuntur, ut ex earum applicatione vel pio usu aliquod bonum in hominem redundet vel aliquod malum ab ipso propulsetur ut aqua lustralis, agnus Dei etc.

b. Ratione *formae* in *reales* et *verbales* seu in consecrationes et simplices benedictiones: in illis unctio adhibetur ut in consecratione calicis, hae solis verbis et signis perficiuntur ut benedictio ciborii, aquae lustralis.

§ 2. De exorcismis.

53. Notio et divisio. Nomine *exorcismi* significatur adiuratio imperativa daemonis.

Distinguitur: *a.* Exorcismus *sollemnis*, qui fit ad expellendos daemones, et exorcismus *simplex*, qui solum fit ad virtutem daemonis compescendam, ne personis vel rebus noceat.

b. Exorcismus *publicus,* qui fit ab ecclesiae ministris nomine et auctoritate ecclesiae, et *privatus,* qui fit proprio nomine exorcizantis.

Exorcismus proprie dirigitur in *daemonem,* qui imperative adiuratur, ut a corporibus obsessis recedat; sed quandoque dirigitur etiam in *personas* vel in *res* ut in animalia nociva, in aquam, in sal, ne ipsae vel earum usus hominibus noceant. Cum enim omnes creaturae etiam irrationales maledicto peccati ideoque daemonis potestati subsint, ecclesia simplici exorcismo daemonem passim repellit eiusque influxum prohibet.

54. Asserta. 1. *Exorcismus sollemnis* a solis ecclesiae sacerdotibus fieri potest, atque id supposita expressa Ordinarii licentia: peragitur enim nomine ecclesiae; ecclesia autem prohibet, ne ullus sacerdos sive saecularis sive regularis id faciat sine licentia.

a. Potestatem exorcizandi accipiunt clerici per ordinem exorcistatus; sed eorum potestas impedita est, quia iuxta praesentem ecclesiae disciplinam ea uti non possunt: etenim exorcismum sollemnem peragere non licet absque speciali licentia; haec licentia autem ad praecavendos abusus non conceditur nisi sacerdotibus.

b. Formula exorcismi sollemnis continetur in *rituali romano* (tit. X. c. 1.), ubi etiam habentur praecepta in usu exorcismi sollemnis servanda. Cavetur ibi (n. 14), ne exorcista curiosos et inutiles sermones cum daemone obsidente misceat; unam tamen alteramve inutilem interrogationem facere veniale non excedit.

c. Lex universalis, quae *licentiam episcopi* exigit, haec est: Exorcismos in obsessos nemo proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit. Quae concedenda non est, nisi sacerdoti pietate, prudentia [redacted] vitae integritate praedito. Cn. 1151.

2. Exorcismus sollemnis adhibendus non est, *nisi de facto obsessionis certo constet.* Cn. 1151, 2.

a. Etsi factum obsessionis daemoniacae propter evangeliorum testimonia citra peccatum haeresis negari non possit, id tamen concedi debet, obsessiones nunc temporis multo rariores esse, immo complura phaenomena, quae antiquitus pro signis obsessionis habebantur, non daemoni, sed morbis naturalibus tribuenda esse. Quare in diiudicandis factis obsessionis magna cautela et discretione opus est.

b. Rituale romanum (n. 3) haec signa obsessionis recenset: „ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere; distantia et oc-

culta patefacere; vires supra aetatis seu condicionis naturam ostendere et id genus alia"; haec tamen et eiusmodi non sunt signa *certa* obsessionis, sed monente ipso rituali quaedam *indicia*, quae eo maiora sunt, quo plura simul occurrunt: sunt enim morbi naturales, praesertim hysteria et daemonomania, in quibus eiusmodi phaenomena cernuntur[1]). In dubio de facto obsessionis expedit consulere medicum peritum et probe catholicum, qui non a priori ipsum factum obsessionis reiiciat.

c. Etsi ad exorcismum licite peragendum probabilitas obsessionis per se sufficiat, nunc tamen solum exsistente morali certitudine adhibendus est. Id exigit „tum scandalum, quod hodie facilius enasci solet ob impiorum irrisiones, tum ipsius exorcizandi salus, cui exorcizatio praesertim crebrior plurimum nocere poterit, si reapse morbo tantum naturali laborat"[2]); id exigit etiam *cn* citatus.

3. *Exorcismus simplex* peragi potest ab omnibus potestatem ad id habentibus i. e. a sacerdotibus; et absolute peragi posset etiam ab exorcistis, nisi obstaret vigens ecclesiae disciplina.

Eiusmodi exorcismus e. g. ille est, qui in ritu baptizandi vel conficiendi aquam benedictam occurrit.

4. *Exorcismus privatus* peragi potest ab omnibus fidelibus: etenim ad tentationes aut vexationes daemonis avertendas quilibet per Deum aut per Iesum Christum daemoni imperare potest, ne sibi vel aliis noceat.

Effectus huius exorcismi non derivatur ab auctoritate et precibus ecclesiae, cum non fiat nomine ecclesiae, sed [illegible] virtute nominis Dei et Iesu Christi. „Daemones enim, ait *Pesch* (l. c. n. 342), naturaliter horrent mysteria fidei, quibus [illegible] victos esse sciunt; ideo viso signo crucis et audito nomine Iesu aliisque similibus torquentur et fugiunt."

Nota 1. *Usus sacramentalium* nullibi quidem praecipitur, enixe tamen hortandi sunt fideles, ut ea frequenter ac devote usurpent ad multiplices eorum effectus percipiendos. Ideo animarum pastores sacramentalium naturam fidelibus exponant et recto eorum usu eos apte instruant, ut ii, qui sapientiores sibi videntur, ea non contemnant, rudiores vero non superstitioso modo iis utantur.

Nota 2. Sacerdotes meminerint ipsam benedictionem sacerdotalem esse sacramentale quod privatim nota formula: *Benedictio Dei omni-*

---

[1]) Cf. *Olfers*, Pastoralmedicin S. 128 ff. *Heyne*, Über Besessenheitswahn (Paderborn. Schöningh. 1904).

[2]) *Génicot* I. n. 300, 3.

potentis etc. vel: *Benedicat te etc.* passim adhibere licet. Potestas benedicendi in ipsa ordinatione una cum potestate consecrandi ab ecclesia sacerdotibus confertur, qui usu huius potestatis multa mala ingruentia ab hominibus avertere et uberem benedictionem in ipsos diffundere possunt, praesertim vero in infantes atque infirmos, quibus divinus salvator toties ex corde benedixit. Effectus benedictionis sacerdotalis eo copiosior erit, quo firmior est fides et fiducia sacerdotis benedicentis.

Nota 3. Valde suadendum est ecclesiae ministris, ut *exorcismum simplicem* saepius peragant memores verbi domini: *in nomine meo daemonia eiicient;* praesertim vero super eos, qui vehementi tentatione vexantur, et super poenitentes, quos advertunt difficultates experiri in eliciendo dolore et proposito de peccatis vel in peccatis suis sincere manifestandis. Uti possunt hac vel simili formula: *In nomine Iesu praecipio tibi, spiritus immunde, ut recedas ab hac creatura Dei.*

Liber secundus.

De baptismo[1]).

Quaestio prima.

De natura baptismi.

55. Definitio. 1. Baptismus est sacramentum, quo per ablutionem corporis in aqua sub praescripta verborum forma confertur gratia regenerationis.

In hac definitione prima verba: *baptismus est sacramentum* exhibent notam genericam, in qua omnia sacramenta conveniunt; verba autem, quae sequuntur, exhibent notam differentiam specificam, qua hoc sacramentum ab aliis distinguitur. Duo autem differentiam specificam constituunt: materia et forma huius sacramenti: *per ablutionem corporis in aqua sub praescripta verborum forma*, et peculiaris eius effectus: *gratia regenerationis*.

2. A baptismo *fluminis* distinguitur baptismus *flaminis* et baptismus *sanguinis*.

a. Baptismus flaminis (seu Spiritus Sancti) est caritas vel contritio perfecta, in qua continetur desiderium in re suscipiendi sacramentum baptismi; caritas autem et contritio perfecta vim habent conferendi gratiam sanctificantem. Attamen *characterem* baptismus flaminis non imprimit et pari modo non semper omnem reatum culpae venialis et poenae temporalis delet, sed pro intensitate actus amoris modo maiorem, modo minorem, modo etiam omnem remittit.

[1]) *S. Thomas* III. q. 66—71. *S. Alphonsus* l. 6. n. 94—160. *Sporer-Kazenberger*, Supplementum theologiae moralis sacramentalis c. 1. sect. 1—4. *Gobat*, Theologia experim. de sacram. tract. 2. de baptismo. *Tamburini*, Explicatio moralis de sacramentis c. 2. de baptismo. *Ballerini-Palmieri*, IV. n. 717—784. *Lehmkuhl*, Theologia moralis II. n. 55 - 88 (n. 75—119). *Génicot*[7], Theologiae mor. institut. II. 127—158. *Gassner*, Pastoral (Salzburg. Mittermüller. 1881) Cap. 13.

b. Baptismus sanguinis est martyrium fidei causa toleratum. Martyrium vim habere remittendi omnem culpam omnemque poenam tam in adultis quam in infantibus passim affirmant sancti patres provocantes ad privilegium, quod Christus martyrio concessit, producendi scilicet eundem effectum iustificationis, quem producit baptismus[1]). *Characterem* baptismalem martyrium non imprimit, efficit autem, ut omnis culpa et poena deleatur.

3. Distinguitur *baptismus sollemnis*, qui cum omnibus ritibus et ceremoniis praescriptis confertur, nihil autem refert, utrum in ecclesia an in domo privata administretur; et *baptismus privatus* seu non sollemnis, qui sine ritibus et ceremoniis administratur. Cn. 737, 2.

Sic si is, cui baptismus sollemnis collatus est, propter dubium de eius valore sub condicione rebaptizatur. Frequentissimus casus, in quo baptismus privatim sine ritibus et ceremoniis confertur, est casus necessitatis in periculo mortis, ideo baptismus privatus ordinarie *baptismus necessitatis* (Nottaufe) vocatur.

56. Effectus. *Effectus* huius sacramenti quadruplex est: *a.* remissio *omnis peccati* tum originalis tum personalis ante baptismum commissi; *b.* remissio *omnis poenae* non solum aeternae, verum etiam temporalis; *c.* infusio *gratiae sanctificantis*, donorum et gratiae sacramentalis, quae est ius ad omnes illas gratias actuales, quibus baptizatus vitam christianam ducere possit; *d.* impressio *characteris*, quo homo baptizatus fit membrum ecclesiae, corporis Christi mystici, et capax aliorum sacramentorum[2]). *Dispositio* autem in adulto, qui peccata personalia commisit, ad hos effectus obtinendos necessaria praeter fidem est attritio de peccatis commissis.

Quare fieri potest, ut in adulto non omnis culpa nec omnis poena statim remittatur: [illegible] enim poena remitti non possit nondum remissa culpa, et cum culpa non remittatur sine attritione, si adultus ad baptismum accedit sine attritione alicuius peccati venialis, quo gravatur, hoc in baptismo non remittitur; elicito autem postea dolore peccatum vi baptismi suscepti tum quoad culpam tum quoad poenam deletur.

57. Necessitas. 1. Baptismus (fluminis) in re vel saltem in voto susceptus *necessarius est necessitate medii*

[1]) Cf. *De principiis*[12] n. 282. [2]) Cf. *Concilium trid.* sess. 5. can. 5.

(hypothetica) ad salutem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*[1]).

Necessitate medii necessarium ad salutem illud dicitur, quod est medium obtinendi aeternam salutem adeo necessarium, ut eo etiam sine culpa omisso, salus non obtineatur. Haec necessitas dicitur *absoluta*, si medium necessarium nullo alio medio suppleri potest; et dicitur *hypothetica*, si in certis condicionibus alio medio suppleri potest. Necessitas igitur baptismi hypothetica est, quia in adiunctis, in *quibus baptismus reipsa suscipi nequeat*, alio medio suppleri potest[2]).

2. In *infantibus* nulla re nisi martyrio suppleri potest sacramentum baptismi; illis ergo excepto casu martyrii sacramentum *in re* susceptum necessarium est. In *adultis* autem sacramentum baptismi praeter martyrium suppleri potest etiam per baptismum flaminis; adulto ergo, qui baptismum in re suscipere nequit, excepto casu martyrii, necessarium est sacramentum saltem *in voto* susceptum.

Votum baptismi dicitur actus perfectae caritatis vel contritionis perfectae, quia in hoc actu votum baptismi continetur: qui enim eiusmodi actum elicit, voluntatem habet faciendi omnia, quae Deus praecepit; sed Deus omnibus praecipit susceptionem baptismi; ergo voluntatem habet suscipiendi baptismi. Qui ergo actum caritatis vel contritionis elicit, saltem implicite votum baptismi habet. (Cf. tamen n. 41, 4).

Quaestio secunda.

De materia et forma baptismi.

Articulus primus.

De materia baptismi.

58. Materia remota valida baptismi est sola aqua naturalis, quae tum in se tum in communi aestimatione hominum talis sit. Constat ex verbis s. scripturae: *Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc.*[3]). Haec verba de aqua vera et naturali intelligenda esse novimus ex definitione ecclesiae[4]). Quaenam ergo aqua habenda

[1]) Ioan. 3, 5. [2]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 7.
[3]) Ioan. 3, 5. Cf. Act. 8, 36. [4]) *Conc. trid.* sess. 7. can. 2. De bapt.

sit materia valida, non tam ex chimicorum analysi, quam ex usu et aestimatione hominum desumendum est: cum namque Christus materiam sacramentorum determinaret, secundum notiones vulgi et sensum communem locutus est.

Materia certo valida est: *a.* aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacum, cisternarum; *b.* aqua pluvia, distillata, arte chimica effecta, resoluta ex glacie, nive vel grandine; *c.* aqua sulphurea vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis etc.; *d.* aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe praedominans, etiamsi quoad colorem, odorem, saporem alterata sit. Nec refert utrum aqua frigida an calida sit.

Materia certo invalida est: *a.* lac, sanguis, sputum; *b.* vinum, oleum, cerevisia, ius densum ex adipe etc.; *c.* lutum, atramentum; *d.* succus e frugibus e. g. pomis, piris etc. expressus: haec enim omnia nec re nec nomine aqua sunt; *e.* lacrimae, sudor, saliva: haec enim re quidem, non autem nomine nec communi aestimatione hominum aqua sunt.

Materia dubia est: *a.* iusculum valde tenue, lixivium, cerevisia valde tenuis, potus ex faba caffaei vel ex foliis theae confectus, aqua ex sale soluto; *b.* humor fluens e vite aliisque plantis; *c.* aqua rosacea vel alii liquores e plantis expressi; *d.* nix vel glacies nondum resoluta: licet enim in hoc statu non sint aqua naturalis, cum tamen per contactum resolvantur, et sic haberi possit quaedam ablutio, ea a nonnullis tamquam materia dubia admittuntur.

59. Materia remota licita. Facta distinctione inter baptismum sollemnem, privatum et necessitatis (n. 55) ad instar regulae sit hoc: In quovis baptismo praeferenda est aqua consecrata, at non in quovis praescribitur, sed adhiberi potest aqua lustralis (benedicta), vel etiam naturalis (non benedicta), etsi adsit consecrata. Itaque

1. In *baptismo sollemni* materia licita est sola aqua *consecrata* et *munda* sine alienae materiae admixtione.

2. *In baptismo privato* conveniens est, ut adhibeatur aqua consecrata, si adsit, vel saltem lustralis seu benedicta, attamen non peccat nec sacerdos nec laicus, qui utitur aqua naturali, etsi adsit consecrata vel benedicta, nisi statuto dioecesano (ut in Anglia) haec praescribatur.

3. *In baptismo necessitatis* i. e. in periculo mortis quaecunque materia, dummodo non sit certo invalida, adhiberi

potest et debet sub hac condicione: *si haec materia valet.* Si autem ille, qui eiusmodi materia baptizatus est, supervixerit, et haberi possit materia certo valida, iterum baptizandus est sub hac condicione: *si non est baptizatus.* Sicut ad baptismum conferendum sub prima condicione sufficit tenuis probabilitas de validitate materiae, ita ad rebaptizandum sub altera condicione sufficit tenuis probabilitas de invaliditate baptismi: agitur enim de sacramento maxime necessario.

a. Licet modica *alienae substantiae admixtio* aquam baptismi non reddat materiam invalidam, ea tamen, sive consecrata est sive non consecrata, ob reverentiam sacramenti debet esse munda ab aliena substantia, nisi adsit causa excusans. Quocirca si in casu necessitatis infantes in utero matris baptizandi sunt, licet uti aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (una parte chlorati hydrargyrici cum mille partibus aquae) permixta (Quecksilberchlorid, Sublimat), quando ex aqua pura verum morbi periculum in matre timendum est, ea vero uti non licet, quando nullum adest in matre morbi periculum[1]).

b. Graviter peccat, qui extra casum necessitatis utitur *aqua turbida*, lutulenta [illegible] coenosa, etsi materia valida sit, quia graviter laedit reverentiam sacramento debitam.

c. Aqua simpliciter *benedicta* non consecrata, etsi materia valida sit, in baptismo sollemni tamen extra casum necessitatis graviter illicita est. Si in casu necessitatis desit aqua consecrata, adhiberi debet aqua benedicta, (iuxta breviorem formulam consecrata) si fieri potest, secus adhibenda est aqua naturalis[2]).

d. Si ipsa *aqua consecrata*, quae conservatur in fonte baptismali, appareat *faeculenta* et foetida, sumenda est in casu necessitatis aqua pura non consecrata vel, si adsit, lustralis seu benedicta, etsi aqua foetida materia valida sit. Extra casum necessitatis nova aqua benedicenda est ex formula in rituali romano praescripta[3]).

e. Si aqua baptismi *nimis frigida* est, ad ignem vel fornacem admota calefieri, vel etiam parum aquae naturalis calefactae ei admisceri potest, ne aqua frigida parvulo noceat. Si parentes petunt, ut infans baptizetur *aqua Iordanis*, quam sibi compararunt, aquae consecratae modica quantitas illius aquae admisceri potest.

f. In baptismis, qui in nonnullis regionibus contra praescriptum ecclesiae domi habentur, adhiberi debet aqua consecrata: eiusmodi enim baptismi, qui a sacerdotibus extra casum necessitatis cum omnibus ceremoniis sacris peraguntur, rationem baptismi sollemnis habent.

---

[1]) *S. Officium* 21. aug. 1901.
[2]) *S. Officium* 22. iun. 1883.
[3]) *S. Officium* 17. apr. 1839.

60. De consecratione aquae baptismi. 1. Ex praescripto ecclesiae aqua baptismi consecrari debet in vigilia paschatis et in vigilia pentecostes[1]). Haec *obligatio gravis* censetur, quia magni momenti est, ut in baptismo sollemni adhibeatur aqua speciali benedictione in hunc finem consecrata, oleo chatechumenorum et sacro chrismate permixta.

Ideo ex mente ecclesiae censeri debet abusus omnino eliminandus, si sabbato pentecostes consecratio fontis baptismalis omittatur[2]). Missionarii iubentur aquam consecrare vel consecratam secum deferre, quotiescunque id absque gravi incommodo facere possunt[3]). Ne unquam deficiat aqua baptismalis, ea confici *potest* quovis tempore, quo necessitas id postulat, sed iuxta formulam, quae in rituali romano habetur[4]). Et si aqua praescripto tempore consecrata defectura videatur, alia non benedicta ei admisceri potest, in minore tamen quantitate[5]).

2. In consecratione aquae baptismalis *a.* utendum est oleis ipso anno ab episcopo in coena Domini benedictis. *b.* Si sacerdos olea recentia sibi comparare non possit, benedicat fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae postea privatim omissas preces recitans in aquam benedictam infundat. *c.* Quodsi antea, quam olea accipere possit, aliquem baptizare debeat, in ipsa benedictione sollemni vetera olea anni praecedentis infundat[6]).

61. Materia proxima baptismi est ablutio corporis, quae ab ipso ministro ita fieri debet, ut baptizatus morali hominum iudicio censeatur vere ablutus, alias verba formae non verificarentur.

1. Tribus modis ablutio fieri potest: *immersione, aspersione* et *infusione;* ex hodierna tamen praxi ecclesiae romanae baptismus conferendus est trina ablutione seu infusione, et licet unica infusio ad validitatem sufficiat, trina tamen, saltem ubi de baptismo sollemni agitur, sub gravi in rituali romano praescribitur.

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 4.
[2]) S. C. R. 7. dec. 1844 n. 2878; 13. apr. 1874 n. 3331.
[3]) S. C. de prop. fid. 8. sept. 1869.
[4]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 6. et c. 7.
[5]) Ibid. tit. 2. c. 1. n. 5. Cn. 757, 2.
[6]) S. C. R. 31. ian. 1896 n. 3879.

2. Ut igitur baptizandus vere ablutus censeatur, ideoque baptismus certo validus sit, requiritur:

a. Ut aqua fluat: hinc si una vel altera gutta aquae tantum adhibetur, quae cuti inhaeret, quin fluat, baptismus dubius et solum in casu necessitatis licitus est.

α. Qui ergo digitum vel manum madefactum vel sudarium madidum fronti solum tangendo applicat, valide non baptizat, quia infantem non abluit. Si quis *per modum unctionis* in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto baptizat, baptismus dubius est, quia non habetur vera ablutio[1]). Qui vero manu vel sudario madefacto frontem baptizandi *successive contingit*, ex communi sententia auctorum certo valide baptizat, quia vera ablutio habetur[2]).

β. Determinata *aquae quantitas* ad validum baptismum non requiritur, proindeque non videtur adesse ratio dubitandi de valore baptismi, in quo una alterave gutta tantum adhibetur, modo guttae vere fluant: cum tamen complures auctores de hoc baptismo dubitent, sub condicione iterandus esset.

b. Ut immediate tangat baptizandum: hinc si aqua tangat vestes tantum, certe invalidus, et si crines tantum tangat, aliquatenus dubius est baptismus.

α. Baptismum *super crines collatum* alii dicebant validum, quia, cum crines sint pars infantis, infans abluitur, cuius crines abluuntur; alii econtra illum affirmabant invalidum, quia crines non sunt pars infantis ideoque non abluitur infans, cuius crines abluuntur. Iam vero negari vix potest crines vere esse partem hominis, sicut ungues vere sunt hominis pars, etsi ab anima non informentur. Crines in homine se habent sicut lana in ovibus vel pennae in avibus; dicimus autem ovem vel avem ablui, quarum lana vel pennae abluuntur. Quamvis ergo vix non certus sit valor huius baptismi, cum tamen complures et magni auctores consideratis rationibus internis de eius valore dubitent, sub condicione iterari potest et debet[3]). Quodsi caput infantis sit crinibus opertum, debet sacerdos super crines baptizans, dum dextra manu aquam fundit super verticem capitis, sinistra manu crines discriminare, aut curare, ut aqua per tempora capitis defluat.

β. Baptismus collatus *super secundinas* invalidus est. — Infans usque ad partum velamento involvitur composito ex tribus membranis plane distinctis. Membrana externa, quae *decidua* vocatur, ex interiore parte uteri formatur, ideoque nulla ratione pars infantis haberi potest. Et super hanc quidem aqua effunditur, si infans super secundinas bap-

[1]) *S. Officium* 14. dec. 1898.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 107.

[3]) Cf. *Lugo*, Responsa moralia l. 1. dub. 1.

tizari dicitur. Duae membranae interiores, quarum altera *amnion*, altera *chorion* appellatur, vulgo vero *secundinae* dicuntur, ex ovo nascuntur et propterea aliquo modo pars infantis vocari possunt; minime vero partem integralem infantis, sed eius involucrum in partu abiiciendum constituunt. Ideo nedum in decidua sed neque in secundinis validus baptismus conferri potest[1]).

γ. Baptismus collatus super caput *crusta ulcerosa opertum* validus est: crusta enim, super quam effunditur aqua, non est nisi cutis infantis ex morbo foede deturpata, ideo infantem abluere dicitur, qui eius caput crusta obductum abluit; alias homo, cuius totum caput variolis obductum est, nec ablui nec valide baptizari posset.

δ. Baptismus infanti collatus super caput *sordibus ante lotionem adhuc obductum* validus est: eo enim quod aqua super sordes effunditur, caput infantis ablui dicitur, quod plane ideo abluitur, ut a sordibus purgetur.

c. *Ut in capite effundatur:* etenim ut baptizandus censeatur ablutus, necesse non est, ut totum corpus abluatur, sed sufficit et requiritur, ut caput abluatur. Si ergo in parte minus principali (manu, pede, brachio etc.) effunditur aqua, probabilius invalidus, et si in parte principaliori (pectore, collo, scapulis) probabilissime validus, semper tamen aliquatenus saltem dubius est, et ideo si fieri possit, sub condicione iterari debet aut saltem potest.

α. Sunt, qui dicant aquam baptismalem infundendam esse *in vertice* baptizandi, verum nullibi id praecipitur; econtra ad excludenda dubia de valore baptismi, qui parvulo, cuius caput crinibus obductum est, in vertice confertur, praestat baptizare in fronte.

β. Baptismus *in principaliore parte* (collo, pectore, scapulis) collatus ex communissima doctorum magni nominis sententia *(Busenbaum, Suarez, Holzmann, Tanner, Lacroix* etc.), validus est; nec *s. Alphonsus* de eiusdem validitate serio dubitat, cum non dicat baptismum in hunc modum collatum repetendum esse, sed solum ad maiorem cautelam *licite repeti posse* (n. 107. q. 4). Et sane, homo in tali parte ablutus simpliciter ablutus dicitur, sicut in ea laesus simpliciter laesus dicitur. Ex quibus sequitur iterationem baptismi in collo vel in pectore collati tuto omitti posse, ubi sine difficultate peragi nequeat.

γ. Si quis pronuntiat formam, *dum infans labitur in aquam,* invalidus est baptismus, quia infantem non ipse abluit, qui baptizat.

δ. Si quis puerum *aquae natura fluenti e. g. pluviae cadenti supponit,* valide baptizat, quia baptizandum vere abluit, et quidem ipse

[1]) Cf. *Capellmann,* Medicina pastoralis p. 106.

abluit, qui formam profert. Quod si puerum supponit aquae ab homine effusae, distinguendum est: si ad baptizandum utitur aqua, quam vel in alium finem vel solum ut effundendo aquam adiuvet baptizantem alter effundit, valet baptismus, quia unus est qui baptizat; si autem scienter utitur aqua, quam alter effundit eo fine, ut baptizantem applicando materiam adiuvet, invalidus est baptismus, quia alius applicat materiam et alius pronuntiat formam.

ε. Num validus sit baptismus, *si quis infantem proiicit in aquam et simul formam pronuntiat.* — Validus et in casu extremae necessitatis, quo nempe alias sine baptismo moriturus est infans, etiam licitus esse videtur. Et *validus* quidem, quia aeque habetur ablutio atque in baptismo per immersionem collato, neque ulla est necessitas, ut immersionem sequatur emersio; *licitus* autem, quia non est directa infantis occisio, sed directa immersio ad conferendum baptismum, ex qua per accidens mors infantis consequitur: qui enim infantem submergit, non voluntate occidendi sed baptizandi, non dicitur infantem directe occidere, etsi ex eadem actione praeter intentionem mors sequatur infantis[1]).

η. *De baptismo in utero matris* collato sunt, qui dubitent, an sit validus, tum quia renasci non potest, qui nondum natus est, tum quia infans in utero ablui non potest, quippe quem in secundinis involutum aqua immediate attingere nequeat. *Ballerini* (ad n. 239) talem baptismum quidem iudicat certo validum, tum quia infans in utero matris exsistens iam est homo viator et aliquo sensu iam vere natus dicitur, tum quia ipse ope instrumenti recentius inventi immediate attingi potest. Attamen huius baptismi valor non est adeo certus, ut infans si postea nascatur, non debeat sub condicione rebaptizari[2]). Sed si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus[3]).

Articulus secundus.

De forma baptismi.

62. Forma baptismi est: *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Ut forma sit valida, quinque enuntiari debent: *a.* persona, quae baptizat (saltem implicite); *b.* persona, quae baptizatur; *c.* actus baptizandi cum essentiali effectu; *d.* unitas divinae naturae, quae voce *in nomine* significatur;

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 720. *Lehmkuhl*, II. 62 (n. 86).

[2]) S. C. C. 12. iul. 1794. Nuper adhuc 16. mart. 1897 eadem congregatio baptismum in hoc casu iterandum mandavit.

[3]) Rituale rom. tit. q. c. 1. n. 16.

c. distinctio personarum nominibus propriis exprimendarum, quae distinctio particula *et* significatur.

Valida est forma, qua graeci baptizant: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quia persona ministri implicite continetur in verbo *baptizatur,* quod, cum actionem sacramentalem assertive pronuntiet, idem valet ac *baptizatur a me.*

a. Nemo se ipse valide baptizare potest, quia persona baptizantis omnino diversa esse debet a persona baptizanda: nam Christus instituens baptismum manifesto distinguit inter ministrum et subiectum baptismi *(baptizantes eos);* insuper dicendo *baptizo me* forma substantialiter mutaretur; tandem baptismus est regeneratio spiritualis; sicut ergo nemo seipsum generare, ita nec seipsum regenerare potest[1]).

b. Vox *Amen,* cuius omissionem *s. Alphonsus* putaverat esse peccatum veniale, formae addenda non est[2]).

c. In forma nihil omitti potest, quin desinat esse certo valida, excepto pronomine *ego,* si baptismus in lingua confertur, in qua sicut in latina verbum sine pronomine personam ministri determinat, particula *et* ante invocationem Filii[3]) et adiectivum *Sancti;* cetera omnia essentialia sunt; quare si aliquid eorum omitteretur, forma substantialiter mutata esset.

d. Utrum verba formae *in nomine* significent: auctoritate an sub invocatione seu sub professione, certo non constat. Ex eo, quod S. C. C. declaravit hanc formam: ego te baptizo *cum nomine* Patris etc. sine mala intentione adhibitam valere, sequi videtur *in nomine* idem esse atque *auctoritate* Patris etc.[4]).

e. Num plures simul baptizari possint hac forma: ego vos baptizo etc. Valet quidem baptismus, si ipse baptizans, simul aquam effundat vel aspergat et singuli vere abluantur; at illicitus est extra casum necessitatis, ubi scilicet tempus non suppetit singulos baptizandi.

63. Formae baptismi diversae. Formae baptismi, quae ab ea, quam Christus instituit, plus minusve discrepant, ad quatuor genera revocari possunt: ad validas, invalidas, dubias et ambiguas.

1. *Validae* sunt, in quibus certo accidentalis tantum mutatio locum habet. Qui eiusmodi forma utitur, valide

[1]) Cf. C. Debitum 4 *De baptismo et eius effectu* (III. 42).

[2]) S. C. R. 9. iunii 1853 n. 3014.

[3]) S. C. C. 12. sept. 1801 prohibuit, ne baptismus hac forma: *ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti* collatus iteraretur, ne sub condicione quidem.

[4]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 735.

baptizat et postea nihil supplere debet; attamen peccat, sed ordinarie venialiter tantum, quia mutatio, utpote accidentalis, non est gravis, nisi sit notabilis.

a. Validae sunt: Ego baptizo *dominationem vestram* in nomine Patris etc. — Ego *lavo, abluo* te in nomine etc. — Ego te baptizo in nomine *Spiritus S. et Patris et Filii,* quia haec transpositio verborum non mutat sensum substantialem formae. — Ego te baptizo *in nomine Patris ingeniti et Filii unigeniti et Spiritus Sancti ab utroque procedentis,* quia haec additio sensum formae non corrumpit, cum ex se non sit apta ad sensum erroneum vel haereticum exprimendum. — Ego te baptizo *in nomen* (εἰς τὸ ὄνομα) *Patris etc.,* tum quia haec forma ad verbum exhibet graecam formam s. scripturae, tum quia non fundit sensum essentialiter diversum. — Ego te baptizo *in nomine Patris et Filii et Spiritus:* omissio enim vocis *Sancti* non mutat sensum formae, cum etiam in s. scriptura tertia ss. Trinitatis persona simpliciter Spiritus appelletur[1]).

b. Gentes slavicae, quae baptismum sollemnem ritu slavico administrant, utuntur voce: *te krstim*, et angli, qui lingua vernacula baptizant, voce: *I christen*, quae voces etymologice significant: *ego te christianizo* seu christianum facio. Quia ergo haec formae verba non actionem sacramentalem, sed effectum sacramenti significant, forma posset videri invalida. Nihilominus de valore baptismi hac forma collati dubitandum non est: nam ex usu communi illa verba in collatione baptismi ad significandam ipsam actionem sacramentalem scilicet ablutionem sacram, quam alii per verbum baptizo exhibent, usurpantur[2]).

2. *Invalidae* sunt formae, in quibus aut non continentur, quae necessario exprimi debent, aut aliquid falsi vel haeretici continetur. Baptismus eiusmodi forma collatus, utpote certe invalidus, absolute iterandus est.

Invalidae sunt: Ego te baptizo *in nomine ss. Trinitatis — in nomine Dei unius et trini — in nomine Iesu Christi,* quia non exprimuntur singulae Trinitatis personae[3]). — Ego te baptizo *in nominibus* Patris et Filii et Spiritus Sancti, quia multiplicatur essentia

---

[1]) Ioan. 7, 39.

[2]) Cf. *Lugo,* Responsa moralia l. 1. dub. 3. *Pesch,* Praelect. dogm. VI. n. 396.

[3]) Nec dicatur apostolos baptizasse *in nomine Iesu Christi*: ubi enim s. scriptura loquitur de baptismo in nomine Iesu Christi collato (Act. 8, 12; 19, 5), non significat formam, qua collatus est baptismus, sed ipsum baptismum Spiritus Sancti a Christo institutum, prout distinguitur a baptismo poenitentiae s. Ioannis. Immo vix non certum est apostolos eadem forma baptizasse, quam Christus instituit, in

divina. — Ego te baptizo in Patre et Filio et Spiritu Sancto, omisso *in nomine*, quia haec forma multiplicat essentiam divinam vel saltem eius unitatem non clare significat. — Ego *volo tibi ministrare sacramentum baptismi in* nomine etc., quia non exprimitur actus praesens baptizandi, sed voluntas baptizandi[1]).

3. *Dubiae* sunt formae, quas certo non constat aut omnia exhibere, quae necessario exprimi debent, aut aliquid falsi vel haeretici continere. Baptismus eiusmodi forma collatus sub condicione iterari debet, quia eius valor dubius est.

Dubiae sunt: Ego te baptizo *in virtute, in maiestate* Patris etc., quia significat quidem baptismum conferri *auctoritate* Patris etc., at satis clare non significat baptismum conferri *sub invocatione* Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Ego te baptizo *in nomine Patris et Filii, Spiritus Sancti* (omisso *et*), quia ultima verba ex [redacted] potius significare videntur proprietatem Filii quam distinctam personam, praesertim si *et* ante nomen Filii interponitur. — Ego te baptizo *in nomine genitoris et geniti et spirati* (procedentis), quia personae Trinitatis propriis quidem nominibus, at non iis, quibus communiter significari solent, exhibentur; atqui ex institutione Christi probabiliter haec nomina adhiberi debent[2]). — Ego te baptizo in nomine *Patris nostri* et Filii et Spiritus Sancti, quia verbum Patris in forma baptismi significat personam Patris, qui pater est respectu Filii; additum verbum *nostri* efficit, ut significet creatorem omnium sine respectu ad filium et proinde sine distinctione personarum[3]).

4. *Ambiguae* sunt formae, quae necessario neque invalidae neque dubiae sunt, quae ergo ex se tum sensu apto tum etiam falso vel haeretico accipi possunt. Valor baptismi eiusmodi forma collati pendet ab intentione baptizantis; quare non est iterandus, si baptizans nihil falsi vel haeretici verbis formae subiecit; at vero absolute iterandus est, si baptizans verba formae falso vel haeretico sensu accepit.

Ambiguae sunt: Ego te baptizo *in nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus Sancti,* quia repetitio termini *in nomine* non necessario significat multiplicationem essentiae divinae, etsi bis repe-

---

nomine scilicet ss. Trinitatis. Cf. *Scherer*, Über die Taufe im Namen Iesu (Passauer Monatsschrift XII. 262 ff.).

[1]) *S. Officium* 23. maii 1840.

[2]) *S. Thomas* III. q. 66. a. 5. ad 7.

[3]) Cf. tamen *Génicot*, Casus II. p. 143. *S. Officium* 27. ian. 1892.

tatur[1]). — Ego te baptizo *in nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Spiritus Sancti*, quia haec repetitio non magis multiplicationem essentiae divinae significat, quam repetitio termini *in nomine*, praesertim cum unitas essentiae termino *in nomine* satis exprimatur[2]). — Ego te baptizo *nomine* vel *cum nomine* Patris et Filii etc.[3]).

Nota. Ut valida sit forma sacramentalis, requiritur, ut verba ex se apta sint ad significandum id, quod Christus instituit, et ut minister hoc ipsum significare intendat; si minister aliud significare intendit, invalidum est sacramentum, etsi verba sint ea ipsa, quae Christus instituit. Hinc error privatus ministri non impedit valorem sacramenti, dummodo verba tum ex se tum ex intentione (saltem praevalenti) ministri significent id, quod Christus intendit (n. 15). Ex his deducitur invalide baptizare eum, qui utitur legitima forma, eam tamen alio sensu adhibere intendit, si e. g. voce *Patris* nollet significare Patrem aeternum, sed Patrem, qui non sit aeternus[4]).

Quaestio tertia.

De ministro baptismi.

64. Minister baptismi alius est ordinarius, alius extraordinarius; et minister extraordinarius alius est baptismi sollemnis, alius baptismi privati.

1. Minister *extraordinarius* baptismi *privati* est quilibet homo ratione utens, sive vir sive mulier, sive catholicus sive haereticus, sive fidelis sive infidelis, qui semper quidem valide, licite vero solum in casu necessitatis et deficiente ministro ordinario baptizat, ut constat ex doctrina et praxi ecclesiae.

a. Patri tamen vel matri propriam prolem baptizare non licet, nisi in mortis periculo, quando alius non adest, qui baptizet. Cn. 742, 3.

[1]) Hanc formam *Bonacina* invalidam habet, quia per eam non significatur unitas, sed pluralitas essentiae divinae; *s. Alphonsus* eam habet ut dubiam, quia non constat per eam multiplicari essentiam divinam; *s. Officium* 13. ian. 1882 declaravit eam per se validam esse, quia ex se non necessario significat pluralitatem essentiae divinae.

[2]) Cf. *Bucceroni*, Casus conscientiae[5] n. 111, 4.

[3]) S. C. C. pluries (ultimo 16. aug. 1828) declaravit hanc formam sine mala intentione adhibitam valere.

[4]) Cf. *Lugo* disp. 2. n. 113 ss.

b. Casus necessitatis adesse censetur, si homo nondum baptizatus in periculo mortis versatur; non autem si sacerdos ob distantiam, intemperiem vel infirmitatem haberi non potest nisi post diuturnum tempus. Quare munus baptizandi in hisce adiunctis non potest committi laico, excepto semper periculo mortis.

c. In locis tamen missionum probatur consuetudo, vi cuius a catechistis aliisve probatis laicis absente sacerdote infantibus recenter natis licet bona valetudine utentibus illico administretur baptismus, (etsi sacerdos solum ad breve tempus absens sit), quia vita infantium continuis est obnoxia periculis[1]).

d. Si in casu necessitatis privatim confertur baptismus, adhibendi sunt, si fieri potest, duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit. Cn. 742, 1.

2. Minister *extraordinarius* baptismi *sollemnis* est diaconus, qui tamen sollemniter solum ex delegatione Ordinarii vel parochi, quae ex iusta causa concedenda est, licite baptizare potest. Causa sufficiens, ob quam diacono munus baptizandi committi potest, haec censetur, si parochus abest vel aegrotat, vel si contione habenda vel audiendis confessionibus etc. occupatus est. Si necessitas urget, licentia legitime praesumitur.

a. Num diaconus licite baptizet in casu levioris necessitatis, sed sine commissione parochi, controvertitur. Sententiam affirmantem tenet *Suarez*, quia exsistente necessitate sufficit commissio rationabiliter praesumpta[2]). Ratio *s. Alphonsi*, qui sententiam negantem tenet (n. 116), haec est, quia diaconus solum sacerdotis vice sollemniter baptizare potest.

b. Diacono, etsi sollemniter baptizet, non licet sal aut aquam benedicere[3]).

c. Clericus diacono inferior, qui sollemniter baptizat, incurrit *irregularitatem*, quia exercet ordinem, quem non habet; diaconus, qui sine commissione sollemniter baptizat, peccat quidem, quia ius parochi laedit, irregularitatem autem non videtur incurrere, quia non exercet ordinem, quem non habet, cum vi ordinationis sollemniter baptizare possit.

3. Minister *ordinarius* baptismi *sollemnis* est omnis et solus sacerdos, qui tamen, excepto casu necessitatis, potestate sua licite uti nequit, nisi facultatem ordinariam vel delegatam ad id possideat.

a. Ergo *episcopus* eos solum licite baptizare potest, qui in sua dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habent; et *parochus* eos

---

[1]) S. C. de prop. fide 11. febr. 1804.

[2]) *Suarez* disp. 23. sect. 2. n. 10.

[3]) S. C. R. 10. febr. 1888 n. 3684.

solum licite baptizare potest, qui intra limites suae parochiae domicilium vel quasi-domicilium habent; alienos autem, qui quasi domicilium non habent in sua parochia, licite baptizare nequit sine licentia proprii illorum parochi, nisi sint peregrini vel vagi. Extra suam parochiam parochianos suos licite baptizare nequit sine licentia parochi loci.

b. Peregrini a proprio parocho in sua parochia baptizari debent, si id facile et sine mora fieri potest; secus a quolibet parocho in suo territorio baptizari possunt. Ergo infans, quem parit mulier, quae moratur extra patriam, vel quem mulier casu parit in loco non suo, deferendus est ad proprium parochum, nisi longe distet vel infans vitae periculo exponatur vel baptismus ideo diutius differri deberet. Cn. 738, 1. *Vagi* baptizari possunt a quovis parocho, quem ipsi elegerint, si adulti, vel eorum parentes, si infantes sint.

c. Graviter peccant sacerdotes, qui infantes ex aliena parochia sibi oblatos sine iusta causa baptizant, quia ius proprii parochi infantis laedunt. Exsistente autem iusta causa infans extraneus licite baptizari potest ex licentia parochi infantis rationabiliter praesumpta. Pari ratione peccant parentes, qui extra casum necessitatis vel sine licentia parochi prolem deferunt baptizandam ad alienos sacerdotes, quia ius proprii pastoris violant.

d. Adultorum baptismus ex rituali romano et ~~~ Codice iur. can. ad episcopum deferendus est, si commode fieri potest[1]). In plerisque autem dioecesibus statuitur, ne ullus adultus extra casum necessitatis baptizetur, ne sub condicione quidem, absque ordinarii licentia.

65. **Ordo servandus inter diversos ministros** in baptismo privato ita describitur in *rituali romano:* „si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi“[2]).

„Attamen (ait *Lehmkuhl* n. 67 [93]) haec regula ita intelligitur, ut *a.* quilibet fidelis in unione cum ecclesia exsistens, sive vir sive femina, modo satis sciat modum baptizandi, praeferendus sit omnino cuilibet haeretico . . etiam sacerdoti; *b.* ut femina extranea praeferatur patri infantis: siquidem parentes infantem proprium baptizare non debent, nisi in defectu alterius.“

[1]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 3 n. 3. Cn. 744.

[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 13. Cn. 742, 2.

Graviter peccat laicus, qui contra hunc ordinem baptizat praesente sacerdote, cui soli competit haec facultas tamquam propria vi ordinationis; nec potest sacerdos iure suo cedere, quod ex divina institutione ei convenit, nisi ratione decentiae e. g. ad baptizandum foetum in utero matris. In aliis autem casibus hunc ordinem invertere gravi culpa vacat, adeo ut laicus praesente diacono baptizans ex sententia probabili graviter non peccet[1]).

Quaestio quarta.

De subiecto baptismi.

Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus. *Omnis:* quia omnes indigent regeneratione utpote peccato originali infecti. *Solus:* quia pro solis hominibus viatoribus instituta sunt sacramenta et ipsis solis patet aditus in ecclesiam. *Nondum baptizatus:* hoc enim sacramentum nec licite nec valide iterari potest. Agendum est: *a.* de baptizandis infantibus; *b.* de baptizandis foetibus; *c.* de baptizandis adultis; *d.* de baptizandis sub condicione.

Articulus primus.

De baptizandis infantibus.

66. De infantibus catholicorum. 1. *Infantes* parentum christianorum *quamprimum* ad ecclesiam deferendi sunt, ut baptizentur[2]).

Non solum propter mortis periculum, quod in infantibus multo maius est quam in adultis, sed etiam propter universalem consuetudinem in ecclesia vigentem, quae iam diu vim legis obtinuit, parentes

[1]) Cf. *Suarez* disp. 31. sect. 4. n. 7 ss.

[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 15. Cn. 770 hanc obligationem statuit eamque dicit *gravem.*

curare tenentur, ne infantium suorum baptismus nimium differatur, nisi gravis aliqua causa excuset.

2. Non exsistit *lex universalis,* quae accuratius determinet tempus, ultra quod parvulorum baptismus citra peccatum differri non liceat. In plerisque vero locis exsistit *lex particularis* praecipiens, ne infantium baptismus ultra unam alteramve hebdomadam differatur. Ultra tempus ab episcopo praescriptum sine iusta causa notabiliter differre baptismum, grave peccatum est; ubi vero non urget lex particularis, dilatio baptismi, etsi notabilis, non videtur arguenda gravis peccati, modo adsit seria voluntas non negligendi baptismi nec mortis periculum vere timendum sit[1]).

Rigoristae tenent grave peccatum committi, si baptismus ultra quinque vel sex dies, quin et si ultra unum alterumve diem differatur. Alii censent gravem esse dilationem, si baptismus ultra mensem sine causa differatur[2]).

67. De infantibus haereticorum. 1. Certum est, ecclesiam ius habere baptizandi filios haereticorum atque impediendi, quominus parentum erroribus imbuantur, quia haeretici ab ecclesia, cuius subditi sunt, ad legem divinam servandam compelli possunt. Ecclesia tamen non utitur iure suo, quia impedire nequit, quominus filii haereticorum in haeresi educentur.

2. Quare si non versantur in mortis periculo vel in tali vitae discrimine, ut prudenter praevideantur morituri ante usum rationis, non licet filios haereticorum baptizare, nisi adsit aliqualis spes probabilis, fore ut postea in vera fide educentur[3]).

a. Si *coniuges haeretici* vel schismatici deficiente ministro proprio exhibeant parocho aliive sacerdoti catholico proprium infantem baptizandum, declarantes se per hoc nolle obligari ad eum educandum in religione catholica, parochus non potest eum baptizare, ut interim in tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, praescindendo ab eo, quod in futuro evenire possit, quando ad aetatem discretionis perve-

[1]) *Ballerini-Palmieri* IV. 745. *Génicot,* Theol. mor. inst. II. 146

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 118.

[3]) *S. Officium* 26. aug. 1885. Cn 750. 751.

merit, nisi sit in mortis periculo[1]). Quod ne tum quidem licet, cum futurum praevideat, quod infans perpetuo carere debeat baptismo.

b. Si parentes catholici, qui nunc *nullius sunt confessionis religiosae* (konfessionslose), aut parentes, quarum una pars est apostata, altera vero iudaea, filiorum suorum baptismum petunt, monendi quidem et hortandi sunt parentes de prolis educatione in religione catholica, filii tamen baptizari *possunt* et *debent*, nisi praevideatur extraordinarium et fere certum perversionis periculum. Cum iudicium de gravitate periculi seria difficultate non careat, parochus inconsulto ordinario rem ne dirimat[2]).

c. Licet parocho baptizare puerum consentiente uno e parentibus catholico, etiamsi certe sciat alterum postea curaturum, ut infans baptizetur a ministro haeretico; sed coniux catholicus tenetur monere coniugem haereticum filium iam esse legitime baptizatum[3]). Haec namque dispositio partis catholicae satis fundatam spem praebet futurae educationis catholicae.

68. De infantibus infidelium. 1. Per se non licet baptizare filios infidelium *insciis vel invitis parentibus:* nam si baptizati subtrahuntur parentibus, horum ius naturale violatur, si autem sub potestate parentum relinquuntur, fit iniuria sacramento propter certum periculum defectionis[4]). Relate ad filios *hebraeorum* insuper exstat specialis prohibitio ecclesiae, ne scilicet invitis parentibus baptizentur[5]).

Ubi agitur de baptizandis filiis infidelium, ecclesia, quae in eos potestatem non habet, ad duo potissimum attendit: imprimis ut ii, qui christianum baptismum suscipiunt, etiam in vera religione educentur et instruantur et more catholico vivant, deinde ne laedantur iura naturalia parentum; competit enim parentibus ius et officium naturale curam gerendi filiorum suorum, donec ratione utantur.

2. Quandoque tamen infantes infidelium *insciis vel invitis parentibus* baptizari possunt, quin et debent: *a.* si

---

[1]) *S. Officium* 26. aug. 1885.

[2]) Cf. *E. Müller* III. tr. 2. § 72. *Bucceroni*, Casus consc.[5] n. 113, 3.

[3]) S. C. de prop. fid. 20. nov. 1672.

[4]) Cf. *s. Thomas* III. q. 68. a. 10. *Benedictus XIV.* constit. *Postremo mense* 28. febr. 1847.

[5]) Constit. *Iulii III.* et S. C. C. 16. iul. 1639. Cf. *Benedictus XIV.* constit. *Postremo mense* (28. febr. 1747), qui n. 27. constitutionem *Iulii III.* et plura S. C. C. de hac quaestione responsa citat.

in mortis periculo sunt; *b.* si extra parentum vel tutorum potestatem positi sunt, ita ut catholice educari possint.

a. Si in *certo* et *proximo periculo mortis* sunt, ex praecepto caritatis baptizari *debent*, si id perfici data occasione possit, quin infidelium odium in christianam religionem concitetur. Si in *probabili* mortis periculo versantur, baptizari licite *possunt*, etsi mors longius adhuc distet[1]). Periculum autem mortis debet esse *proprium* eius, qui baptizatur, ideo saeviente lue non licet infantes sine discrimine baptizare, etsi maxima eorum pars morituri praevideantur[2]).

b. Si baptismus sive parvulo sive adulto, sive in periculo mortis sive extra illud conferri nequeat, quin infidelium odia et persecutiones in religionem christianam concitentur, baptismus differri aut penitus omitti potest, quia bonum commune rei christianae bono privato quantumvis maximo praeferri debet.

Nota. Si proles acatholica insciis vel invitis parentibus sive licite sive illicite baptizata fuit, filius infidelium et hebraeorum quidem parentibus subtrahendus est ob proximum perversionis periculum; filius haereticorum autem in parentum potestate relinqui potest, si ipsi fidem in Christum non negant. Cum potestas civilis nunc impediat, quominus parentibus infidelibus vel hebraeis proles in periculo mortis baptizata, si convalescat, subtrahatur, ipsa quantum fieri potest diligenter observari debet, ne forte postea iterum baptizetur.

69. 3. *Consentientibus parentibus* infidelibus non licet eorum filios baptizare, si futurae perversionis *periculum sit speciale* et extraordinarium; licet autem, si non praevideatur nisi periculum in eiusmodi adiunctis omnibus *commune:* in hoc enim casu habetur, in priori non habetur spes probabilis perseverantiae in fide. Episcopi autem vel praefecti apostolici est iudicare, utrum in particulari casu adsit probabilis spes christianae educationis an certum periculum perversionis.

a. In praxi nulla est difficultas, si parentes infideles, qui filii baptismum petunt, in catholicam filii educationem extra domum paternam consentiant. Ordinarie vero maximum timendum est perversionis periculum, quando filius baptizatus manere debet sub potestate parentum infidelium, qui ambo sunt infideles Nihilominus etiamsi filius

---

[1]) *S. Officium* 18. iul. 1894.

[2]) Cf. Instructio S. C. de prop. fide 17. aug. 1777.

catholice baptizatus postea in domo paterna sub parentum potestate manere debeat, non illico semper supponendum est grave perversionis periculum; sed quandoque baptizari possunt eiusmodi quoque filii, praesertim ubi ipsorum parentum rationabiliter sperari possit futura conversio vel ubi saltem non praevideatur ullum speciale perversionis periculum[1].

b. Ordinarie licet baptizare infantem, qui saltem matrem fidelem habet, quamvis pater sit iudaeus, infidelis, apostata, quia fere semper providentia matris sufficit, ut probabilis spes concipiatur catholicae infantis educationis[2].

c. Infantem baptizare licet, si *unus parentum*, altero invito aut ille, qui loco parentum paterna potestate utitur (avus paternus, avia paterna) utroque parente invito infantem baptizandum offert, quia hinc quidem illae personae aliquid participant de paterna potestate earumque consensus in favorem fidei praeponderare censetur perversae voluntati aliorum, inde vero iste consensus aliquam spem praebet christianae educationis[3].

Articulus secundus.

De baptizandis foetibus.

70. De foetu abortivo baptizando. Omnes foetus abortivi etiam minimi baptizandi sunt, nisi certo constet eos esse exanimes: cum enim probabiliter individua humana sint in proximo mortis periculo constituta et baptismus eis absolute necessarius sit ad salutem, patet urgens eos baptizandi obligatio. Cn. 747.

a. Cumprimum foetus humanus anima rationali informatur, ipse aptum baptismi subiectum est. Quamvis nunc inter philosophos aeque ac theologos fere communis sit sententia, foetum mox ab ipsa conceptione vivere anima rationali, haec tamen sententia probabilitatem non excedit. Nihilominus urgenda est obligatio foetus abortivos baptizandi: sicut enim foetum probabiliter animatum non licet occidere, ita non licet eum sine baptismo abiicere. Quamobrem monendi sunt medici, obstetrices et matres, caute tamen et prudenter, de obligatione baptizandi minimos etiam foetus abortivos, ne non baptizati proiiciantur[4].

---

[1]) Cf. *S. Officium* 22. iul. 1840 et 11. dec. 1850.

[2]) *S. Officium* 17. sept. 1671.

[3]) Cf. litterae Benedicti XIV. *Probe te meminisse* 15. dec. 1751.

[4]) Cf. Kölner Pastoralblatt: Die Taufe des Abortivfötus 1902. S. 9 ff.

b. Si foetus exigui sunt, difficillime dignosci potest, utrum adhuc vivant an vitam iam amiserint. Imperitis non est aliud mortis signum certum excepta ipsa putrefactione, quae maculis et foetore se manifestat. Nisi ergo peritus medicus certam mortem testetur, baptizandi sunt etiam illi foetus, qui aliquod mortis signum prae se ferant.

c. Foetus abortivi iam formati absolute baptizandi sunt, ubi certa dant signa vitae, et sub condicione baptizandi sunt, si signa vitae dubia sunt. Foetus autem abortivi nondum formati saltem sub condicione *(si capax es)* baptizandi et in loco sacro sepeliendi sunt, quaecunque sit forma, quam praeseferunt, nisi constet eos esse exanimes.

d. Quoniam autem eiusmodi foetus in secundinis inclusi eiiciuntur, baptizandi sunt per immersionem in vase aqua tepida repleto idque in hunc modum: utriusque manus indice et pollice apprehendendae sunt secundinae et in aqua caute aperiendae, ut materia ovi (liquor amnis) effluat et aqua totum foetum abluat, dum forma dicitur: *si vivis, ego* etc. Neque enim est terendum tempus in inquirendis signis vitae, sed si ovum apparet recens et foetus albus, statim baptizandus est[1]).

71. De baptizando foetu nondum edito. Foetus nondum editus non debet baptizari nisi in periculo mortis; atqui periculum mortis in triplici diverso casu imminet: *a.* ubi coepto iam partu aliqua pars infantis in lucem prodiit; *b.* ubi nulla quidem pars infantis apparet, at vero uterus coepto iam partu reseratus est, adeo ut infans manu vel ope instrumenti ablui possit; *c.* ubi mater praegnans defuncta est.

1. Si periculum mortis immineat et infans caput emiserit, baptizandus est in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum baptizandus erit. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo sub condicione baptizandus est, et tunc, si natus vixerit, erit sub condicione *(si non es baptizatus)* rebaptizandus[2]).

2. Si nulla pars infantis in lucem prodiit, in periculo mortis infans, si fieri potest, sub condicione baptizandus est in utero matris; et si postea natus fuerit, iterum sub condicione baptizandus est (60. c. η.). Num mater teneatur

[1]) *Capellmann*, Medicina past. p. 115 nota.
[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 16. Cn. 746.

sectionem caesaream pati, ut proles ex utero extrahi et gratia baptismi donari possit, alibi dictum est[1]).

3. Mortua matre praegnante exsistit gravis obligatio caritatis faciendi sectionem caesaream, etiam invitis propinquis, ad aeternam salutem infantis procurandam. Foetus autem, qui aperto matris utero extrahitur, absolute baptizandus est, si certo vivit[2]).

a. Obligatio perficiendi incisionem ex praecepto caritatis desumitur, qua omnes tenentur aeternae saluti infantis consulere, et si foetus vitalis est (sexto praegnationis mense), accedit alia ratio, scilicet conservandi vitam temporalem infantis. Quae quidem obligatio eo maior est, quo maior est spes obtinendi effectum. Nulla autem est obligatio peragendi sectionem, si morali certitudine constat foetum iam obiisse aut si vix ulla spes est vivum extrahendi. Haec spes valde exigua est ante quartum praegnationis mensem completum; completo autem quarto praegnationis mense spes ista crescit, quo maior evasit foetus.

b. Cumprimum igitur ex testimonio peritorum vel, ubi leges civiles id exigunt, ex testimonio legali de morte matris constat, de hac obligatione monendi sunt illi, ad quos pertinet, cognati et medici vel chirurgi. Et quandoquidem experientia constat foetus etiam teneros post mortem matris per plures horas quandoque vivere, obligatio peragendi incisionem diutius post mortem matris adhuc urgenda est. Ut vita infantis facilius conservetur, uterus matris defunctae pannis tegendus est, ut calorem retineat; os autem matris aperire, ne infans defectu respirationis pereat, nullius utilitatis est.

c. Incisionem imprimis illi perficere tenentur, qui in hac arte periti sunt: medici et chirurgi; his autem deficientibus alii, quibus inest tanta rerum chirurgicarum peritia, ut sectionem sine infantis periculo perficere possint. Sacerdos tamen nunquam ad id tenetur, tum propter indecentiam tum propter periculum maioris mali, quod ex oblocutionibus malevolorum religioni oriri potest; pro viribus autem curare debet, ut incisio ab aliis perficiatur, nisi auctoritas civilis eam ab alio, qui non sit medicus, fieri sub poenis prohibeat[3]).

72. De monstris baptizandis. Physiologi distinguunt monstra *simplicia,* si unicus infans deformatus nascitur, et *duplicia,* si duplex nascitur, quorum unus alteri diverso

[1]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 344.

[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 17.

[3]) *S. Officium* 15. febr. 1780 et 13. dec. 1899. *Olfers,* Pastoralmedicin S. 25 f. *Capellmann,* Medicina past. p. 29.

modo adhaeret. Duo igitur hic in quaestione versantur; *a.* num monstrum sit homo; *b.* num unum vel plura individua humana sit.

1. Monstrum ex muliere natum semper baptizandum est, et absolute quidem, si certo vivit, sive caput est humanum et membra ferina, sive caput ferinum et membra humana: ex homine enim naturaliter non potest nasci nisi homo, isque ex congressu viri cum femina. Quod autem antiqui theologi addunt de monstris ex congressu hominis cum bestia ortis, tum philosophiae tum physiologiae adversatur[1]).

2. Monstrum, quod distincte prae se fert duo capita aut duo pectora, duplex persona est, ideoque duplex baptismus, uterque absolute, eidem conferendus est. Si dubitatur, num duplex persona sit, quia aut unum caput aut unum tantummodo pectus, aut duo capita et duo pectora non satis distincta habet, duplex item baptismus conferendus est, alter absolute, alter sub condicione *(si non es baptizatus)*[2]).

Nec *foetus acardiaci,* qui solum constant ex ventre et pedibus, nec *molae,* quae non sunt nisi caro informis, in qua foetus praemature mortuus absorptus seu resolutus est, individua humana sunt. In dubio, utrum foetus an mola sit, baptismus sub condicione conferendus est.

Articulus tertius.

De baptizandis adultis.

73. Asserta. 1. Adultus, qui obligationem baptismi cognovit, tenetur eum quamprimum commode potest suscipere: unusquisque enim iure divino tenetur ecclesiam ingredi; sed ecclesiae ianua est baptismus. Baptizandus autem non est nisi sciens et volens et probe instructus.

Quaenam baptismi dilatio, quam iusta causa non excuset, habenda sit gravis, nequit determinari. Sunt, qui opinentur baptismi dilationem usque ad periculum mortis per se non esse grave peccatum, nisi fiat ex contemptu[3]). Verum incredibile videtur, posse hominem principalem

[1]) *Olfers,* Pastoralmedicin. S. 30 ff.

[2]) Cf. *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 18 s. Cn. 748.

[3]) *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 149.

vitae humanae obligationem Deo serviendi ac tendendi in finem ultimum toto vitae suae cursu negligere. Insuper voluntas Christi est, ne sine causa necessitatis baptismus per totam vitam differatur: vult enim Christus fideles in hac vita in ecclesiam visibilem congregare, quam ingredi debent per baptismum. Ideo sancti ecclesiae patres morem differendi baptismum usque ad (maturiorem) provectam aetatem vel usque ad mortem graviter reprehendunt et plerique theologi gravem obligationem affirmant baptismum sine mora suscipiendi, nisi moralis impossibilitas excuset. Cum primum ergo moraliter potest, tenetur homo hanc obligationem implere. Sed concedi debet ecclesiam nunquam determinasse nec determinare posse tempus baptismi suscipiendi pro infidelibus, quippe qui ecclesiae non subsint[2]).

2. In periculo mortis saltem sub condicione baptizandi sunt, quicunque praesumuntur habere intentionem baptismi, praemissa (quoad fieri potest) instructione de mysteriis necessitate medii necessario credendis.

a. De exsistentia dispositionum, quae ad valide et fructuose recipiendum baptismum necessariae sunt (intentio, fides, scientia, contritio), non requiritur certitudo, sed sufficit probabilitas, etiam tenuis tantum: cum enim sacramenta sint propter homines, ei, qui in vitae periculo constitutus est, administrari possunt etiam cum tenui probabilitate de eorum valore.

b. Num missionarius licite baptizare possit, quem reperit *moribundum infidelem iam sensibus destitutum.* — Cum non liceat sacramentum frustrare, infidelis autem nullum habens baptismi desiderium illius sit incapax, quaeritur quomodo constare debeat missionario de exsistentia intentionis, quae ad valide suscipiendum baptismum requiritur (n. 41, 3): utrum nempe ad licite baptizandum infidelem positivum signum intentionis requiratur, an vero intentio praesumi possit, ad eum modum, quo in hominibus catholicis sensibus destitutis intentio sacramenti (absolutionis, extremae unctionis) praesumitur. — Ad sacramentum licite administrandum requiritur probabile iudicium de intentione sacramenti in subiecto. Iam vero in adulto catholico hoc iudicium fundatur in ipsa religione, quam profitetur: recte enim praesumitur catholicum in periculo mortis exsistentem velle iuvari mediis a Christo ad bene moriendum institutis. Ideo praxis nunc in ecclesia viget absolvendi atque extreme ungendi omnes moribundos sensibus destitutos, nisi moraliter constet eos sacramenta positive respuere[2]). In infidelibus autem probabile illud iudicium (etsi tenue tantum) aliter formari non

---

[1]) Cf. *Laymann* l. 5. tr. 2. c. 6. n. 8. *Suarez* disp. 31. sect. 2. n. 3.

[2]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II. n. 45. *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 150.

potest nisi ex circumstantiis loci, personae, condicionis etc. Ideo non licet omnes indiscriminatim paganos sensibus destitutos in mortis periculo baptizare, sed eos tantum, quos missionarius *consideratis omnibus adiunctis prudenter iudicaverit habere voluntatem saltem implicitam suscipiendi baptismi*[1]. Hinc si ipsi ignotus sit moribundus, missionarius interroget, quantum fieri potest, alios, num de eius dispositionibus aliquid sciant, num forte baptismum petiverit vel instructionem christianam audiverit vel saltem bene vivendo salutis suae curam ostenderit. Quoad ceteros non restat, nisi ut eos divinae misericordiae commendet. Ubi deinde sic baptizatus ad se rediret, sub condicione iterum baptizandus esset, nisi testetur se habuisse firmum propositum recipiendi baptismi.

c. Infideles moribundi sensibus non destituti de intentione quidem ipsi interrogandi sunt, licite autem, etiam petentes sacramentum, baptizari non possunt, si careant necessariis dispositionibus, debita nempe scientia et contritione. Quare de necessariis necessitate medii nec non de obligatione contritionis instruendi sunt[2].

d. Ut *amentes, qui aliquando usum rationis habuerunt,* valide baptizari possint, requiritur, ut ante amentiam voluntatem recipiendi baptismum conceperint; ut reipsa sanctificentur, insuper requiritur, ut actum fidei et dolorem de peccatis supernaturalem elicuerint. Si consideratis adiunctis moraliter non constat de defectu illius voluntatis, in praxi semper sub condicione baptizandi sunt sive in mortis periculo sive etiam extra illud, ubi nulla spes recuperandae rationis affulget, quia tenuiter saltem supponuntur habuisse desiderium saltem implicitum baptismi; quodsi *lucida intervalla* habent, baptizandi sunt, si velint, dum mentis compotes sunt.

3. Filii infidelium, qui usum rationis habent et baptismum petunt, baptizari possunt et per se debent etiam invitis parentibus, modo sufficienter instructi sint et firmam catholice vivendi voluntatem ostendant: qui enim usum rationis adeptus est, in actionibus suis moralibus plene sui iuris est neque ab alio quopiam in procuranda aeterna salute praepediri potest.

Cum iuvenes, qui invitis parentibus baptizantur, ordinarie a parentibus separari nequeant, et sub eorum potestate relicti variis iisque magnis periculis exponantur in pristinos errores relabendi, eorum constantia bene probanda est, antequam ad baptismum admittantur. Et quia ex eo, quod filii invitis parentibus baptizantur, rei catholicae quandoque gravia incommoda procreantur, in eis ad baptismum admittendis magna prudentia opus est. Ubi propter baptismum invitis parentibus collatum aut defectio baptizati aut aliud grave malum iure

[1]) *S. Officium* 30. mart. 1898. [2]) *S. Officium* 1. apr. 1898.

merito timere debet, ordinarie praestabit baptismum usque ad maturiorem aetatem differre.

Nota. Codex iuris canonici cn. 753 duo monet: *a*, Tum sacerdotem, qui adultos baptizaturus est, tum ipsos adultos, qui sani sint, *decet esse ieiunos*. *b*. Adultos baptizatos statim *missae* sacrificio assistant et sacram *communionem* suscipiant, nisi graves causae obsint.

Articulus quartus.

De baptizandis sub condicione.

Duplex potissimum casus accidit, in quo de baptismo sub condicione iterando agitur: *a*. si qui ab haeresi convertuntur; *b*. si parvuli propter mortis periculum privatim baptizantur.

74. De haereticis conversis. Licet baptismus ab haereticis collatus per se validus sit, attamen crescente in dies ministrorum acatholicorum incredulitate nunc temporis valde timendum est, ne ministri acatholici propter defectum condicionis essentialis invalide baptizent. Nihilominus ecclesia morem ab haereticis baptizatos indiscriminatim sub condicione denuo baptizandi nunquam non improbavit atque in singulis casibus in validitatem baptismi, quaecunque sit secta, a qua venerint acatholici, inquirendum praecipit, nisi inquisitio sit moraliter impossibilis vel ex adiunctis constet aut sectam nullum conferre baptismum, aut inquisitionem nullam suppeditare certitudinem de valore baptismi[1]). Iam vero:

a. Si inquisitione facta de valore baptismi collati certo constat, nullatenus rebaptizandi sunt.

b. Quodsi de valore baptismi superest dubium non prorsus inane, sub condicione rebaptizandi sunt.

c. Si autem certo constat sacramentum fuisse invalidum, absolute rebaptizandi sunt.

d. Si tandem aut nulla inquisitio institui aut circa valorem baptismi nihil resciri potest, hodie recte praesumitur esse invalidus ideoque sub condicione iterandus[2]).

[1]) *S. Officium* 21. febr. 1883.

[2]) Cf. decretum S. O. 30. nov. 1878, quod simul casum (de baptismo VIII. 2.) a *Gury* propositum corrigendum mandavit.

In quibus adiunctis sub condicione baptizandus sit adultus. Si dubium versatur circa dispositiones subiecti, baptismus *absolute* conferendus est: in hoc enim casu baptismus valide collatus postea, quando baptizatus debitam dispositionem sibi comparat, reviviscit; at reviviscere non posset, utpote invalidus, si sub condicione collatus fuisset. Solum si dubium versatur circa condicionem ad valorem requisitam (intentio), baptismus *sub condicione (si capax es)* conferendus est, quia in hoc casu reviviscere non potest, cum aut validus aut invalidus sit[1]).

75. De infantibus privatim baptizatis. Non licet infantes ab obstetricibus vel aliis laicis domi baptizatos omnes sine discrimine denuo baptizare, cum id adversetur dogmatibus catholicis. Quare in singulis casibus, etiam auditis testibus si adfuerint[2]), diligenter inquirendum est, num baptismus domi collatus validus fuerit. Quodsi dubium non prorsus inane de eius valore supersit, sub condicione iterandus est; si autem valide collatum fuisse constiterit, solum ceremoniae suppleri debent[3]). Et sane ubi obstetrix vel alia persona, quae sit bonae famae, fide digna, circumspecta et in ritu baptizandi instructa, asseverat infantem a se rite baptizatum esse, non est, cur de valore baptismi dubitetur; iterare autem baptismum, ubi nullum dubium de eius valore exstat, certe graviter illicitum est[4]).

Ut iudicium de valore baptismi formari possit, interrogandum est: *a.* quis baptizaverit et in quibus adiunctis: si enim baptismum contulit persona, quae anxia, perturbata et perplexa esse solet vel si baptismus collatus fuit a persona quidem prudenti, at in adiunctis

[1]) *S. C. de prop. fide* 6. iun. 1860.

[2]) Ideo cn 742, 1 praescribit ut in baptismo privato adhibeantur duo testes vel saltem unus.

[3]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 53. S. C. C. 27. mart. 1883.

[4]) Ex praescripto ritualis romani (c. 1. n. 13) parochus curare debet, ut obstetrices rectum baptizandi ritum probe teneant et servent. Unde parochus eas diligenter instruere et examinare tenetur in iis, quae necessaria sunt circa materiam, formam, intentionem et modum conferendi baptismi, praesertim etiam foetibus abortivis et nondum editis. In hunc finem usui esse possunt libelli: Unterricht über die Nottaufe (München, Selbstverlag der erzb. Ordinariatskanzlei); Unterricht über die Spendung der Nottaufe (Freiburg. Herder); Unterweisung der kath. Hebamme (Klagenfurt. Vereins-Buchdruckerei). *Aem. Berardi* Examen obstetricum circa baptismum (Faventiae. Novelli. 1895).

difficilibus, in quibus ob repentini casus tumultum vel ob matris et infantis periculum omnia festinate et perturbate peragenda erant, facilius est dubitandi locus; *b.* quam formam pronuntiaverit; *c.* quam et quantam aquam et ubi infuderit; *d.* num simul formam protulerit et abluerit; *e.* quam intentionem habuerit.

76. **Notae.** 1. Non licet *ante ordinationem* sub condicione baptizare eos, qui de baptismo sibi collato ideo solum dubitant, quia nullum illius positivum documentum vel testimonium habere potuerunt, vel quia baptizati sunt a catechistis aliisve christianis minus instructis. Qui enim a parentibus christianis nati et ab iis christiano more educati sunt, baptizatos fuisse omnino praesumendum est. Idem in altero quoque casu praesumi debet, quamdiu nonnisi dubia negativa proferantur, cum constet catechistas caute eligi atque ad hoc munus diligenter instrui[1]).

2. Nec licet sacerdoti catholico *in casu matrimonii mixti* ante matrimonium sub condicione baptizare partem acatholicam propter dubium de valore baptismi, si in haeresi se manere velle declaret[2]). In ordine enim ad matrimonium contrahendum non requiritur certitudo de valore baptismi suscepti.

3. Infantes *expositi et inventi* ne sub condicione quidem baptizandi sunt, si reperti sint cum schedula, quae de baptismo eis collato testetur, et schedula scripta sit ab homine noto et fide digno; sub condicione autem baptizandi sunt, si schedulam de collato baptismo testantem non habent, vel schedulam scriptam ab homine ignoto vel parum fide digno cn. 749.

Quaestio quinta.

De patrinis baptismi.

77. Ab antiquissimis temporibus ecclesia in collatione baptismi patrinos adhibuit, qui baptizandum offerrent, de moribus eius testimonium dicerent, in defectu parentum rudimenta fidei eum docerent et vitae christianae ab eo

[1]) *S. C. de prop. fid.* 30. sept. 1848.
[2]) *S. Officium* 13. apr. 1878.

ducendae veluti pro eo sponsores exsisterent. Lex de patrinis nunc in ecclesia vigens a *concilio tridentino* lata et novo *Codice iuris can.* modificata est[1]).

Lex vigens. 1. In *baptismo sollemni* sub gravi adhiberi debet saltem unus patrinus, sive vir sive mulier est, nec possunt licite adhiberi plures quam duo.

Saltem unus: sufficit unus, qui indiscriminatim vir vel mulier esse potest; si autem duo adhibentur, vir et femina esse debent. Ceterum cum munus patrini etiam per procuratorem exerceri, et procuratoris officium vir pro muliere et vice versa agere possit, de facto accidere potest, ut duo viri vel duae mulieres adsint patrini.

Non plures: ecclesia plures duobus patrinis non admittit, ne multiplicentur cognationes; si igitur parochus plures patrinos admitteret, graviter utique peccaret, quia grave ecclesiae praeceptum laederet.

Vir et femina: censet *s. Alphonsus* (n. 155), ubi duo viri aut duae feminae admittantur, grave peccatum committi, si sint sexus a baptizando diversi, veniale autem, si sint eiusdem sexus ac baptizandus, quia solum in priore non item in posteriore casu contra mentem tridentini multiplicantur cognationes.

2. Etiam in *baptismo privato* adhibendus est patrinus, si facile haberi possit. Si non interfuerit, adhibendus est in supplendis baptismi ceremoniis. Sed in hoc casu nullam contrahit spiritualem cognationem.

3. Si baptismus *sub condicione* iteratur, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in primo baptismo forte adfuit. Extra hunc casum in baptismo condicionato patrinus non est necessarius[2]).

In baptismo sub condicione iterato cognatio spiritualis solum contrahitur, si idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit; ergo eam non contrahit nec patrinus, qui priori, nec qui posteriori adfuit[3]).

78. Condiciones requisitae, ut quis valide patrinus sit[4]):

1. *Ut usum rationis* et *voluntatem* habeat patrini munus gerendi, quia obligationem suscipere nequit, qui animum eam suscipiendi non habet.

---

[1]) Sess. 24. c. 2. De ref. matr. Cn. 762—769. Cf. *Rituale roman.* tit. 2. c. 1. n. 22 - 26.

[2]) Cn 763, 1.

[3]) Cn 763, 2.

[4]) Cn 765.

2. *Ut baptizatus sit,* quia non potest esse pater, qui ipse nondum est natus.

3. Ut ab ipso baptizando vel ab eius parentibus vel tutoribus aut in horum defectu a ministro sit *designatus.*

a. Penes hos quidem ius est designandi patrinos, semper autem ministri est designatos *admittere,* et qui a ministro non admittitur, patrinus non est[1]).

b. Si nullus nec a parentibus nec a parocho designatus est, nullus est patrinus, etsi quis animo gerendi munus patrini infantem tetigerit.

4. Ut ad nullam pertineat sectam haereticam vel schismaticam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus.

Si haereticus vel schismaticus a parentibus iam designatus absque magna offensione removeri nequeat, admitti posset tamquam testis, quin admoneretur de tangendo infante in actu ablutionis. Immo si absque gravi malo impediri non posset, quominus infantem tangat, ad evitandum tantum malum id quoque permitti posset, cum res non sit intrinsecus mala, nulla autem oriretur cognatio, cum non sit patrinus

5. Ut non sit pater vel mater vel coniux baptizandi, quia id esset contra finem huius institutionis, cum parentes munus educandi iam habent.

Si conferendus sit baptismus sollemnis et nemo adsit, qui baptizandum teneat nisi pater (id quod in regionibus missionum accidere potest), hic patrini vices gerat, filium suum materialiter tenendo et baptizanti pro eo respondendo, cognationem autem spiritualem seu impedimentum petendi debiti non contrahit, cum non fiat patrinus.

6. Ut per se vel saltem per procuratorem physice *teneat* vel *tangat* baptizandum, non sufficit mera assistentia.

7. *Ut validus sit baptismus:* quare patrinus non efficitur, qui munere patrini fungitur, ubi solae ceremoniae supplentur et ubi baptismus quacunque de causa invalidus est.

79. Obligationes patrini. *a.* Officium patrini est, ut curam spiritualem filioli sui agat eumque *in fide et moribus christianis instituat.* Obligatio haec gravis est, cum de re gravi agatur; munus curandi, ut filius spiritualis talem se exhibeat, qualem futurum esse spoponderat, ad *totam vitam* se extendit[2]).

[1]) *Conc. trid.* sess. 24. c. 2. De reform. matr. [2]) Cn. 769.

b. E munere patrini in baptismo tum sollemni tum privato oritur *cognatio spiritualis* inter patrinum et baptizatum. Quodsi munus patrini per procuratorem exercetur, officium educandi et cognatio spiritualis non a procuratore sed a mandante contrahitur[1]).

80. Condiciones requisitae, ut quis licite patrinus sit[2]).

1. Ut *decimum quartum* aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur.

2. Ut non sit *indignus,* quales sunt: qui propter notorium delictum excommunicati vel exclusi sunt ab actibus legitimis vel infames infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, interdicti aut alias publice criminosi vel infames infamia facti.

3. Ut *fidei rudimenta* noverit.

4. Ut non sit in aliqua *religione* novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis.

5. Ut non sit in *sacris ordinibus* constitutus, nisi accedat ordinarii proprii licentia.

a. Nomine *religionis* intelligitur quaevis societas religiosa ab ecclesia approbata, in qua emittuntur vota publica, perpetua vel temporaria elapso tamen tempore renovanda[3]).

b. Nullibi in iure ipse *baptizans* prohibetur esse patrinus, etsi id consuetudini in ecclesia vigenti adversetur. In hoc casu baptizans per procuratorem ea, quae patrini sunt, in baptismo sollemni peragere deberet[4]).

Num catholico liceat patrinum esse infantis haereticorum baptizante ministro haeretico. — *S. Officium* 10. maii 1770 decrevit: „absolute non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur".

Sunt quidem auctores, qui id permittunt, ubi illa actio censeri non possit approbatio ritus acatholici. Putabant nimirum hi auctores, in eiusmodi adiunctis spem futurae educationis infantis in vera fide

[1]) Cn. 768. [2]) Cn. 766.

[3]) Cn. 488, 1.

[4]) Quoad sacramentum confirmationis S. C. R. id expresse declaravit 14. ian. 1873 n. 3305.

rationem esse sufficientem, ob quam communicatio illa cum haereticis permitti possit. Verum praecisione facta a vetita communicatione in sacris nunquam licet petere, quod alter sine peccato praestare non potest; patrinus autem petit baptismum, quem minister haereticus sine peccato conferre nequit[1]).

Nota. In reiiciendis indignis a munere patrini parochus valde prudens et cautus sit oportet, ne alios offendat neve sibi molestias creet. Hinc *a.* quando petitur baptismus, interroget, quinam sint patrini, et si advertit [redacted] praescripto ecclesiae reiici illos debere, antea de hac re moneat, ne reiiciendi se conferant ad ecclesiam. *b.* Sedulo abstineat a quovis verbo iniurioso et caveat, ne reiectionis causam aperiat, sed suavi modo id tantum dicat, se illum ex praescriptis ecclesiae ut patrinum admittere non posse. *c.* Si impedire non potest, quominus haereticus ad ecclesiam veniat patrinum acturus, imprimis roget, ut virum catholicum eligant tamquam patrinum, haereticum autem tamquam testem adhibeant. Quodsi hoc nolint, curet, quantum potest, ne infantem in actu baptismi tangat. Quodsi hoc nulla ratione impediri potest, praestat id admittere, quam baptismum omittere vel ansam dare, ut ab acatholico ministro infans baptizetur.

Quaestio sexta.

De ceremoniis baptismi.

81. De ipsis ceremoniis. 1. Baptismus extra mortis periculum *sollemniter* conferri debet tum parvulis tum adultis.

Ne loci Ordinarius quidem permittere potest, ut extra mortis periculum baptismus privatim conferatur, nisi haereticis, qui in adulta aetate sub condicione baptizantur, cn 759, 2.

2. In mortis periculo baptismum *privatim* conferre licet, et quidem si minister nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae ad sacramenti validitatem necessaria sunt, quodsi minister sacerdos vel diaconus sit et tempus suppetat, ponendae sunt etiam ceremoniae, quae baptismum sequuntur, cn 759, 1.

[1]) Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 71 (n. 99).

3. Ceremoniae baptismi aliae sunt pro parvulis, aliae pro adultis, ut videre est in Rituali.

a. In baptismo eorum, qui rationis usum habent ceremoniae pro adultis praescriptae adhiberi debent, nec licet per ■ uti ceremoniis pro baptismo parvulorum praescriptis. Quoad baptismum enim adulti censentur, qui rationis usu fruuntur. Cn 745, 2. Attamen loci Ordinarius gravi et rationabili de causa indulgere potest, ut in baptismo adultorum adhibeantur ceremoniae pro baptismo parvulorum praescriptae. Cn 755, 2.

b. Infantes in haeresi dubie baptizati sub condicione cum ceremoniis in Rituali romano praescriptis baptizandi sunt, sed *secreto*[1]).

4. Gravis est obligatio servandi in baptismo sollemni ceremonias in rituali romano praescriptas; quare aut omnes aut earum aliquam notabilem omittere vel eas notabiliter mutare grave peccatum est.

a. Ceremoniae notabiles, quarum omissio grave peccatum constituit, illae censentur, quae ob gravem finem praescriptae sunt vel peculiarem effectum producunt, praesertim vero unctio olei catechumenorum et unctio chrismatis, insufflatio, impositio salivae et salis, usus aquae consecratae, professio fidei vel etiam plures simul ceremoniae levioris momenti.

b. Graviter quidem prohibetur *usus veteris chrismatis vel olei,* ubi novum haberi potest, si autem recens consecratum nondum adsit, non debet chrismatis vel olei unctio omitti, nec ea de causa baptismus in aliud tempus differri, sed oleum et chrisma anni praecedentis adhiberi debent, quae propterea conservanda sunt, donec nova advenerint.

c. Interrogationes, quae ex rituali romano patrinis fieri debent, per se in lingua latina faciendae sunt. Attamen prohibitum non est, ut sacerdos interrogationes, quas ex rituali romano latine protulit, pro patrinis lingua vernacula repetat eorumque responsiones eadem lingua excipiat[2]); quem agendi modum etiam diversa concilia provincialia Romae approbata innuunt. Nuper tandem nonnullis dioecesibus concessum est, ut interrogationes simpliciter lingua vernacula fierent[3]).

d. Nullum quidem exsistit praeceptum *nomen alicuius Sancti baptizando imponendi,* quare peccatum non est nomen profanum vel ethnicum eidem imponere, nisi sit nomen hominis impii. Parochus

---

[1]) *S. Officium* 2. apr. 1879.

[2]) *S. Officium* 23. aug. 1880.

[3]) *S. Officium* 7. iul. 1910 declaravit, in Austria tolerari posse, ut interrogationes sacerdotis et responsa patrinorum in lingua vulgari tantum fierent.

autem pro viribus curare debet, ut nomina sanctorum imponantur; si tamen impedire non potest, quominus nomen impii alicuius imponatur, ideo baptismus negandus vel differendus non est, „sed puer baptizandus est addito submissa voce nomine alicuius Sancti“[1]).

Ius eligendi nomen baptismale competit parentibus, deinde patrino aliisque personis, quae locum parentum supplent, id quod valet etiam de prole illegitima, cui primo loco mater nomen baptismale imponere potest.

Mutatio nominis in baptismate impositi lege ecclesiastica quidem non interdicitur, lege civili autem (in Austria) non permittitur (nisi regularibus), et in omnibus documentis publicis adhiberi debet nomen libro baptismali inscriptum.

82. De loco baptismi. 1. Baptismus *sollemnis* conferendus est *in ecclesia* vel in *oratorio publico,* modo habeat fontem baptismalem. Quamvis sacristia participet aliquo modo sanctitatem ecclesiae, tamen non licet baptismum sollemnem administrare in sacristia, „nisi adsit rationabilis causa ab episcopo approbanda“[2]), qui in casu extraordinario ex iusta et rationabili causa etiam hoc permittere potest, ut in domo privata administretur[3]).

a. Ab hac lege in iure (cn. 776) excipiuntur filii aut nepotes eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, qui in sacello domus paternae vel in alio loco decenti sollemniter baptizari possunt. Ubi viget consuetudo legitima, mos domi sollemniter baptizandi secundum *s. Alphonsum* (n. 118.) etiam ad alios nobiles extendi potest.

b. In nonnullis locis consuetudo invaluit, *domi baptizandi* infantes sive nobilium et divitum sive omnium legitime parientium. Non est necesse, ut haec consuetudo abrogetur, quatenus rationabilis videatur: ordinarii enim permittere possunt, ut parvulis ex iusta et rationabili causa domi baptismatis sacramentum administretur[4]).

c. Sunt ritualia dioecesana Romae approbata, quae non solum permittunt, ut tempore magni frigoris baptismus conferatur in sacristia calefacta, sed etiam, ubi eiusmodi sacristia non habetur, in loco decenti aedium parochialium.

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 54. *S. Officium* 13. ian. 1883. Cn 761.

[2]) S. C. R. 14. mart. 1861. n. 3194.

[3]) Cn 776. 2.

[4]) *S. C. de Sacr.* 20. dec. 1912.

2. Baptismus *privatus* in casu necessitatis domi vel quovis alio loco, ubi necessitas exigit, administrandus est. Casus necessitatis habetur:

a. Si infans in periculo mortis versatur.

b. Si infans ad ecclesiam deferri nequit sine periculo gravis damni e. g. infamiae parentum.

c. Si parentes procul ab ecclesia habitant, adeo ut infans sine magno periculo vel incommodo ad eam deferri nequeat.

„Pro aliquali norma in hac re notandum est, quod statuit concilium baltimorense II. (n. 337): „Quod si ob aëris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam vel alias graves causas hoc fieri nequeat (ut infantes baptizandi ad ecclesiam adducantur), tunc missionarii prudentiae et conscientiae relinquimus, ut eos domi cum omnibus ecclesiae ceremoniis baptizet".

Nota. In nonnullis locis invaluit consuetudo baptizandi filios illegitimos et a fortiori spurios abque sollemnitate externa, adhibitis solum ceremoniis in rituali praescriptis, dum econtra infantes legitimi sollemniter baptizantur cum concursu populi atque organi campanarumque sonitu. Hanc consuetudinem s. sedes declaravit iustam et rationabilem[1]), qua scandalum illiciti concubitus minuatur et reverentia sacramento matrimonii debita augeatur..

83. De supplendis ceremoniis baptismi. Si baptismus privatim collatus fuit, ceremoniae ex praecepto ecclesiae suppleri debent[2]). Obligatio haec gravis est et urget quamprimum. Ut sciatur, quaenam ceremoniae in diversis casibus suppleri debeant, sequentia notentur:

1. Si *infans* privatim absque ceremoniis baptizatus fuit, omnes ceremoniae, prout in rituali pro baptizandis parvulis habentur, suppleri debent, idque in ecclesia.

2. Si in *adulto catholico,* qui post nativitatem valide quidem sed privatim baptizatus fuerat, suppleri debent ceremoniae, adhibendus est ritus, qui pro baptismo par-

---

[1]) S. C. C. 31. iulii 1867.

[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 15.

vulorum in rituali habetur: suppleri enim debent ceremoniae, quae in ipso baptismo peragendae fuissent[1]).

3. Si in *adulto haeretico* valide baptizato, qui ad ecclesiam redit, suppleri debent ceremoniae baptismi, adhibendus est ritus, qui pro baptismo parvulorum in rituali habetur: ceremoniae enim sequuntur baptismum.

Attamen consuetudo invaluit non supplendi ceremonias baptismi in iis, qui ex haeresi redeunt, si constat eos valide baptizatos esse.

4. Si *infans* sollemniter quidem, sed ex defectu essentiali *invalide baptizatus* denuo baptizari debet, omissis ceremoniis solum ritus essentialis repeti debet.

5. Si ex errore omissio notabilis alicuius ritus vel permutatio olei accidit, error reparandus est, nisi adiuncta aliud suadeant. Vix ulla est errorem reparandi difficultas, si error deprehenditur, antequam patrini abscedant, si autem iam abscesserunt, difficultas redeundi, scandalum vel murmuratio, quae exinde oriri potest, ab obligatione errorem reparandi excusabunt.

De adnotatione baptismi[2]). 1. Parochi nomina baptizatorum etc. in libro baptismali sine ulla mora referant.

2. Ubi de filiis *illegitimis* agitur, baptizatus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum perentum inscribatur. Attamen nomen *matris* inserendum est, si publice eius maternitas nota est, vel ipsa sponte aut scripto aut coram duobus testibus id petat. Item nomen *patris*, si ipse sponte a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico et authentico documento notus sit.

3. Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato proprium parochum baptizati quamprimum certiorem reddat.

---

[1]) S. C. R. 27. aug. 1836. n. 2743.

[2]) Cn 777—778.

Liber tertius.

De confirmatione[1]).

Quaestio prima.

De natura confirmationis.

84. Definitio. *Confirmatio* est sacramentum, quo per unctionem chrismatis et manus impositionem sub certa verborum forma confertur Spiritus Sanctus ad roborandam fidem in baptismo susceptam.

a. Confirmatio est complementum baptismi, quo per uberiora Spiritus S. dona augetur et perficitur vita supernaturalis in baptismo infusa. Ideo primis ecclesiae saeculis simul cum baptismo conferebatur etiam confirmatio.

b. De tempore institutionis alii (Scotus) docent confirmationem institutam esse a Christo Domino post resurrectionem suam, quando apostolis plenitudinem potestatis episcopalis contulit illis verbis: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos . . Accipite Spiritum Sanctum*[2]). Alii autem opinantur hoc sacramentum institutum fuisse in ultima coena, quando Christus longiorem sermonem ad apostolos habuit[3]). Cum enim

---

[1]) *S. Thomas* III. q. 72. *S. Alphonsus* l. 6. n. 161—188. *Suarez*, De sacramentis disp. 32—38. *Coninck*, De sacramentis q. 72. n. 1—115. *Sporer-Kazenberger*, Supplementum theol. sacram. c. 2. n. 1—49. *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. IV. n. 785—807. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 89—104 (n. 120—144). *Heimbucher*, Die hl. Firmung (Augsburg. Huttler. 1889). *Dölger*, Das Sakrament der Firmung (Wien. Mayer. 1906). Codex iuris can. 780—800.

[2]) Ioan. 20, 21. 22.

[3]) Ioan. 14—17.

Christus in hoc sermone saepius promittat se missurum esse Spiritum S. tum apostolis tum aliis fidelibus, non est incredibile ipsum simul docuisse, quo modo Spiritus Sanctus singulis conferendus sit. Unde consuetudo invaluit et conservatur in ecclesia conficiendi chrisma in coena Domini. Attamen concedunt patroni huius sententiae Christum in ultima coena apostolos solum docuisse materiam et formam confirmationis, potestatem vero conferendi hoc sacramentum eis non dedisse, quia apostoli tunc temporis nondum erant instituti episcopi, ad quos solos spectat ministrare hoc sacramentum[1]). Hinc orta est tertia opinio, quae tenet institutionem huius sacramenti in ultima coena inchoatam post resurrectionem vero completam fuisse, quando apostolis collata est plena potestas ordinis sacerdotalis et episcopalis[2]).

85. Effectus huius sacramenti sunt: *a. augmentum* gratiae sanctificantis virtutum et donorum Spiritus Sancti: est enim sacramentum vivorum, quod gratiam primam supponit; *b. gratia sacramentalis: ius* ad speciales gratias actuales, quibus fides in baptismo suscepta contra tentationes internas et externas servari et invicte propugnari possit; *c. impressio characteris,* quo homo baptizatus constituitur *miles Christi,* summi ducis in pugna contra hostes salutis; hinc est, quod hocce sacramentum nec licite nec valide iterari possit.

Primis ecclesiae temporibus sacramentum confirmationis effectus prorsus extraordinarios produxit, gratias scilicet gratis datas seu charismata, praesertim vero charisma linguarum[3]). Cum hi effectus, qui eo potissimum tendebant, ut Spiritum S. ecclesiam Christi vivificantem ac regentem infidelibus ostenderent, solum in primordiis ecclesiae necessarii essent, postea cessarunt.

Quaestio secunda.

De materia et forma confirmationis.

86. De materia remota. Materia *remota valida* confirmationis est chrisma ex oleo olivarum et balsamo con-

[1]) *Suarez* disp. 32. sect. 2. n. 4. *Sporer-Kazenberger* n. 5.
[2]) *Coninck* n. 23.
[3]) 1. Cor. 12, 4—11.

fectum et ab episcopo benedictum[1]) speciali chrismatis benedictione.

1. *Chrisma* est mixtum compositum ex oleo et balsamo. Oleum *olivarum* certo ad valorem sacramenti requiritur: solum namque oleum olivarum est et dicitur simpliciter oleum. *Balsamum* certo *necessitate praecepti* admisceri debet; etiam *necessitate sacramenti* admiscendum esse, demonstrari nequit. Chrisma esse materiam huius sacramenti ex verbis *Eugenii IV.* et ex constanti ecclesiae traditione constat.

a. Balsamum necessitate praecepti; non autem necessitate sacramenti admiscendum videtur. Oleum enim speciali benedictione confirmationis consecratum primis temporibus chrisma dicebatur. Insuper ante saeculum quintum non reperitur documentum, ex quo constet, oleo confirmationis admixtum fuisse balsamum. Tandem ad quaestionem, num iterari debeat confirmatio oleo sine balsamo administrata, *Innocentius III. nihil iterandum esse* respondit[2]).

b. Nihil refert, utrum balsamum huius an illius speciei seu regionis admisceatur; in tanta autem quantitate admisceri debet, ut oleum odorem balsami spargat, at necesse non est, ut singulis olei partibus misceatur.

c. In ecclesia graeca ex antiquo usu chrismati complura alia admiscentur aromata; ideo tamen materia confirmationis non fit invalida nec illicita, dummodo oleum et balsamum adsint, quae sola necessaria sunt[3]).

2. Chrisma debere esse *ab episcopo consecratum* ad valorem sacramenti necessarium est, etsi sacramentum a presbytero conferatur. Id recte ex eo deducitur, quod haec propositio: „sacramentum extremae unctionis oleo, episcopali benedictione non consecrato, valide ministrari posse“ — tamquam temeraria et errori proxima damnata fuit: idem enim a fortiori de confirmatione valet[4]).

Plerisque certum esse videtur simplicem sacerdotem, ne ex delegatione quidem summi pontificis, chrisma valide consecrare posse. In

[1]) Ex decreto *Eugenii IV.* pro Armenis. Cn. 780. 781.

[2]) Cf. *Dölger* S. 192 f.

[3]) *Benedictus XIV.* constit. *Ex quo primum* 1. mart. 1756.

[4]) *S. Officium* 13. ian. 1611; 14. sept. 1842. Cf. *Lehmkuhl*, Theol. m. II. n. 93 (n. 126). *Ballerini-Palmieri* IV. n. 788 cn. 781.

decreto enim *Eugenii IV.* dicitur materiam confirmationis esse chrisma *ab episcopo* benedictum. Insuper licet simplici sacerdoti quandoque conferatur potestas administrandi confirmationem, semper tamen praecipitur, ut non utatur nisi chrismate ab episcopo benedicto[1]). De factis autem, quae in contrarium afferuntur, dicunt certo non constare[2]). Attamen vix dubitari potest, quin *Eugenius IV.* 28. ian. 1444 vicario (provinciali) fratrum minorum bosnensi potestatem dederit conficiendi chrisma[3]).

3. Ut sit materia certo valida, chrisma benedictum esse debet *speciali chrismatis benedictione*, qua constituitur materia huius sacramenti; aliud oleum ab episcopo benedictum est materia dubia sacramenti confirmationis[4]).

Ideo confirmatio administrata cum oleo catechumenorum vel infirmorum dubia est, quia benedictione, quae pro chrismate praescribitur, consecratum non est. Cum tamen sacramentum non sit certo invalidum, in articulo mortis, vel si quis alias semper careret hoc sacramento, deficiente chrismate, confirmatio cum alio oleo sub condicione conferri posset; et pari modo, si fieri potest, sub condicione iteranda est confirmatio, quae cum solo oleo collata fuit[5]).

4. Ad *licite* administrandam confirmationem ex praecepto ecclesiae adhiberi debet *chrisma recens* i. e. in Coena Domini proxime elapsa consecratum; solum ubi novum chrisma haberi non potest, et adest urgens causa confirmationem conferendi, licitum est uti vetere chrismate.

---

[1]) *Benedictus XIV.* De synodo l. 7. c. 8. n. 1. s.

[2]) Cf. *Benedictus XIV.* l. c. l. 7. c. 7. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 789.

[3]) Cf. Linz. Quartalschrift. 1904. S. 805 ff.

[4]) Triplex oleum ab episcopo in Coena Domini benedicitur, quodvis speciali benedictione pontificalis romani: oleum infirmorum (O. I.) oleum catechumenorum seu salutis (O. S.) et sanctum chrisma (S. Ch. vel Ch.). *Oleum infirmorum* adhibetur in administratione extremae unctionis et in consecratione campanarum pro unctione exteriore; *Oleum catechumenorum* adhibetur in baptismo pro unctione, quae fit ante ipsum baptismum, in ordinatione presbyteri et in aliis nonnullis consecrationibus e. g. in consecratione regum; *Chrisma* adhibetur in confirmatione, in baptismo post collatum ipsum baptismum, in consecratione episcopi et in variis consecrationibus e. g. calicis, patenae, altaris, campanae (interius) etc.

[5]) *S. Alphonsus* n. 162.

87. De materia proxima. Materia *proxima* est *unctio* confirmandi in fronte per modum crucis immediate applicata *per manus impositionem.*

Utramque hanc actionem, unctionem nempe et manus impositionem, theologi quandoque nomine *chrismationis* significant; ordinarie vero solam unctionem hoc nomine designant.

1. *Unctionem chrismatis* ad valorem sacramenti necessariam esse dubitari nequit. Quamvis pauci quidam theologi opinarentur solam manus impositionem ad valorem sacramenti sufficere, ex eo tamen, quod *chrisma* sit materia essentialis, sequitur *chrismationem* quoque ad valorem necessariam esse.

2. Unctionem faciendam esse *immediate* a ministro, certo de essentia sacramenti est: alias enim deesset manus impositio, quae essentialis est; quapropter invalida est confirmatio, in qua unctio fit medio instrumento[1]).

3. Unctionem *in fronte* et *per modum crucis* fieri debere, probabilius pariter ad valorem sacramenti necessarium est: ecclesia enim unctionem frontis semper propriam confirmationis et unctionem verticis propriam baptismi unctionem reputavit. Si ergo unctio fit in maxilla vel in ore, confirmatio videtur esse invalida. Unctionem *ad modum crucis* fieri debere patet ex forma, quae alias vera non esset.

4. Tandem etiam *impositio manus,* quam ipsi apostoli leguntur adhibuisse ad conferendum Spiritum Sanctum[2]), essentialis est. Impositio autem ea intelligitur, quae ungendo fit. Eo ipso ergo, quod episcopus manu sua ungens tangit confirmandum, ei manum imponere censetur.

Duplex manus impositio in confirmatione habetur, altera in principio sacri ritus, ubi episcopus manus extendit super confirmandos et orationem *Omnipotens* recitat; altera, quae ab unctione non est distincta. Haec altera, non prima essentialis est: cum enim graeci primam manuum impositionem non habeant, dicendum esset eos non habere sacramentum confirmationis, si ipsa necessaria affirmaretur[3]). Et sicut prima manus impositio, ita etiam benedictio, quae in fine datur, non requiritur neque

[1]) Cn. 781, 2.

[2]) Cf. Act. 19, 6. Cn. 780. 781, 2.

[3]) Cf. *S. C. de prop. fide.* 6. aug. 1840.

ex necessitate sacramenti neque ex praecepto ecclesiae: verba enim pontificalis romani, quibus confirmandi monentur, ne ante benedictionem recedant, non sunt praeceptiva. Etsi ergo confirmandi, quantum fieri potest, ad primam manus impositionem adesse neque ante benedictionem recedere debeant, id tamen vi praecepti necessarium non est.

88. De forma. Forma confirmationis consistit in his verbis: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* In hac forma *a. Signo* actionem sacramentalem *signandi* et simul essentialem sacramenti effectum significat, hominem scilicet christianum fieri militem Christi; *b. confirmo* actionem sacramentalem *ungendi* et simul effectum pariter essentialem denotat, uberius scilicet Spiritus Sancti robur et gratiam; *c.* verbum *te* subiectum designat.

Forma Graecorum haec est: (Accipe vel datur tibi *Signaculum doni Spiritus Sancti.* In hac forma, quae certo valida et ex concessione romani pontificis in ecclesia graeca etiam licita est, continetur minister principalis sacramenti: *Spiritus Sanctus,* actio sacramentalis applicata ad personam, quae confirmatur, et effectus essentialis, communicatio scilicet Spiritus S., qui est robur animae ad generose profitendam fidem.

In forma confirmationis igitur essentialia non sunt: *a.* verbum *signo* vel *confirmo:* alterutrum enim sufficit; *b.* verba *signo crucis; c.* verba *chrismate salutis; d.* invocatio *ss. Trinitatis:* in forma enim graecorum haec non habentur; forma autem graecorum nequit dici invalida. Argumenti, quo nonnulli conantur ostendere invocationem ss. Trinitatis necessariam esse necessitate sacramenti, scilicet confirmationem esse complementum baptismi; in baptismo autem necessariam esse invocationem ss. Trinitatis; ergo etiam in confirmatione, — huius inquam argumenti neganda est consequentia: ex eo enim quod in baptismo, qui est initium fidei, illa necessaria est, non sequitur etiam in confirmatione eam necessariam esse. Invocatio ergo ss. Trinitatis solum necessaria est *necessitate praecepti.* — Ceterum consideratis diversis formis, quibus sacramentum confirmationis aliis atque aliis locis et temporibus administrabatur, dicendum videtur, quaelibet verba validam formam constituere, quae essentialem rationem sacramenti exhibent, scilicet confirmationem et perfectionem fidei et communicationem Spiritus Sancti.

Quaestio tertia.

De ministro confirmationis.

89. Minister ordinarius et extraordinarius. 1. Minister *ordinarius* confirmationis est *solus episcopus*, adeo ut simplex sacerdos ex se valide confirmare non possit. Et sane in *sacra scriptura* soli apostoli confirmationis sacramentum administrasse leguntur[1]); quare *ecclesia* semper tenuit solos episcopos ex se valide confirmare posse[2]).

2. Minister *extraordinarius* confirmationis est simplex *sacerdos* qui vel iure communi vel particulari s. Sedis indulto ad confirmandum delegatus est. Hanc porro delegationem solus summus pontifex (sive de iure sive de facto) valide confert[3]).

a. Ipso iure potestatem confirmandi habent Cardinales, Praelati vel Abbates *nullius*, Praefecti et Vicarii apostolici. Ea tamen valide uti non possunt, nisi in suo territorio et durante munere, in proprio autem territorio etiam alienos subditos confirmare possunt[4]).

b. Quaerunt theologi, quae sit illa *potestas* simplici sacerdoti a s. Pontifice concessa, vi cuius valide confirmare possit: utrum sit potestas iurisdictionis an potestas ordinis. Res in hunc modum explicari potest. Fideles christiani componentes ecclesiam militantem constituunt veluti exercitum Christi, cuius exercitus duces sunt episcopi et sacerdotes, illi quidem superiores, hi vero inferiores. Per confirmationem fideles designantur milites Christi. At vero milites conscribere nec indiscriminatim omnes, nec omnes duces possunt, sed solum duces superiores et principes; quare confirmationem administrare possunt soli episcopi.

Sed supremus dux exercitus ex iusta causa extraordinarie etiam duces inferiores ad munus conscribendi milites delegare potest, quare nihil impedit, quominus ex delegatione summi Pontificis extraordinarie etiam simplices sacerdotes sacramentum confirmationis administrare possint.

Potestas, qua summus pontifex sacerdotes ad confirmandum delegat, est potestas iurisdictionis; potestas autem, qua episcopi et sacerdotes delegati confirmant, non est potestas iurisdictionis, sed potestas

---

[1]) Act. c. 8. et c. 19.

[2]) *Concilium trid.* sess. 7. can. 3. De reform. Cn 782, 1.

[3]) Cf. Zeitschrift f. k. Th. 1882. S. 567 ff.

[4]) Cn 782, 2.

ordinis: confirmatio enim non per modum iudicii sed per modum consecrationis confertur.

Potestas ordinis per sacramentum ordinis confertur, sed nondum tota ac plena, quia non sufficit ad omnia sacramenta administranda; per ordinem episcopatus autem tota communicatur, adeo ut episcopus potestatem ordinis plenam eamque indelebilem possideat, quae sufficiens sit ad omnia sacramenta administranda, quae non exigant iurisdictionem. Iam vero potestas ordinis in ordinatione collata non solum per internam consecrationem, ut in episcopis, sed etiam per externam delegationem, saltem ex parte, quantum scilicet ad confirmandum requiritur, compleri potest. Potestas itaque confirmandi, quae episcopo vi ordinationis perpetuo inhaeret, sacerdoti vi delegationis transeunter confertur[1]).

c. Gravis est controversia, utrum *de iure* et ex institutione divina solus summus pontifex, an etiam episcopus simplicem sacerdotem valide ad chrismandum delegare possit. Practicum momentum haec controversia non habet, quia certum est summum pontificem *de facto* hanc facultatem sibi reservasse, adeo ut invalida sit confirmatio a simplici sacerdote cum sola episcopi delegatione collata[2]).

d. In *ecclesia graeca orientali* omnes sacerdotes ex antiqua consuetudine valide confirmant tum catholici tum schismatici, quamdiu confirmandi potestas non fuerit expresse revocata[3]). Haec potestas sacerdotibus graecis tum catholicis tum schismaticis certe adempta est in Bulgaria, in Albania, in Cypro, in Italia et insulis adiacentibus atque inter Maronitas libanenses[4]). — Si qui ergo a schismate ad unitatem catholicam redeant, iterum absolute confirmandi sunt, ubi veniant ex regione, in qua presbyteris schismaticis ablata est facultas confirmandi; ubi autem veniant ex regione, in qua haec facultas ablata non est, sequenda est norma, quam hisce statuit ipsa s. Sedes: „Non expedit, ut confirmati (a presbyteris schismaticis) iterum ab episcopo inungantur, nisi ad tonsuram et ordines promovendi sint vel ipsi aut eorum parentes id petant ac nisi facta inquisitione circa modum collationis confirmationis reperiatur penicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub condicione. Quodsi dubium manet de revocatione facultatis in illo loco vel de ipso facto confirmationis collatae, recurrendum est ad s. Sedem"[5]).

3. *a.* Tum episcopus tum etiam sacerdos apostolico privilegio locali donatus in suo territorio non solum sub-

[1]) Cf. *Pesch*, Praelect. dogm. VI. n. 554.

[2]) Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 7. c. 8. n. 3 ss.

[3]) *S. Officium* 15. ian. 1766 declarat sacerdotibus schismaticis generatim non fuisse ademptam potestatem confirmandi.

[4]) *S. Officium* 3. iul. 1853.

[5]) *S. Officium* 14. ian. 1885; *S. C. de prop. fide* 5. iul. 1886.

ditos suos, sed etiam extraneos confirmare potest, nisi proprius episcopus positive contradixerit, ex consuetudine et tacito consensu proprii extraneorum episcopi.

b. Episcopus, ut in aliena dioecesi licite confirmare possit, indiget licentia episcopi loci saltem rationabiliter praesumpta. Sacerdotibus raro conceditur, ut extra suum territorium confirment.

c. Episcopus in aliena dioecesi propriis subditis confirmationem privatim et sine baculo et mitra conferre potest.

d. Episcopus potestatem habet administrandi confirmationem in locis quoque exemptis intra fines suae dioecesis.

90. Obligatio confirmandi. 1. Episcopus *sub gravi tenetur* suis subditis aliquoties opportunitatem praebere sacramentum confirmationis accipiendi. Ad idem tenetur sacerdos apostolico privilegio donatus erga eos, in quorum favorem concessa est facultas.

2. Ordinarius legitime impeditus aut potestate confirmandi carens tenetur, si fieri possit, saltem intra quodvis quinquiennium providere, ut suis subditis hoc sacramentum administretur[1]).

3. Tenetur *sub levi* confirmare rationabiliter petentes, si commode possit et ad aliud tempus proximum confirmationem differre nequeat. Ex communi autem sententia non tenetur confirmare moribundum petentem: nam, ut sapienter notat *Lehmkuhl* (n. 100, n. 137), „si id cui faciat, alteri neget, ratio scandali erit; si vero omnibus satisfacere velit, grave onus ipsi imponetur".

Anno 1884, grassante Neapoli morbo asiatico, concessa est archiepiscopo facultas delegandi sacerdotes, qui hoc sacramentum moribundis ministrarent.

Quaestio quarta.

De subiecto confirmationis.

91. Quis confirmationem suscipere possit. 1. Subiectum, *validae* confirmationis est omnis homo baptizatus

[1]) Cn 785, 3.

et nondum confirmatus licet carens usu rationis. Confirmatio enim est naturale complementum vitae spiritualis, quae in baptismo confertur, et pari modo ac baptismus pro omnibus instituta est.

2. Ordinarie tamen *confirmandi non sunt* parvuli *ante usum rationis;* quando autem adepti sunt usum rationis, quamprimum hoc sacramentum suscipiant[1]). Ratio *primi* est, quia non convenit, ut homini complementum vitae spiritualis ad pugnandum pro fide communicetur, antequam ad hanc pugnam aptus exsistat. Ideo praxis ecclesiae latinae fere ubique vigens id habet, ut pueri nec ante nec multo post aetatis annum septimum vel octavum confirmentur. Ratio *secundi* est, quia homo per confirmationem tum ad capienda praecepta vitae christianae tum ad vitam iuxta illa dirigendam aptior evadit.

a. Nihilominus parvuli ante usum rationis confirmari possunt: α. si vitae periculum immineat, β. si episcopus occasionem recipiendi hocce sacramentum raro tantum praebere possit, γ. si alicubi (ut apud Graecos, in Hispania et in America latina) exsistat consuetudo confirmandi infantes.

b. Primis duodecim saeculis in universa ecclesia confirmatio infantibus conferebatur statim post baptismum. Quam quidem consuetudinem ecclesia graeca retinuit, latina autem mutavit, ita ut infantibus confirmationem ordinarie ante usum rationis non conferat; idque sapienti consilio institutum est[2]).

c. Ergo valide et licite confirmari possunt: α. *perpetuo amentes,* ubi primum se obtulerit suscipiendi sacramenti opportuna occasio; β. *moribundi,* quamvis usum rationis nondum sint adepti, ut in resurrectione perfecti appareant nec tanto gratiae et gloriae augmento priventur.

d. Confirmandi non sunt neophyti, qui in articulo mortis plane rudes baptizantur nec satis instrui possunt, ut intentionem huius sacramenti recipiendi eliciant[3]).

e. Quantum fieri potest pueri ad suscipiendum confirmationis sacramentum instruendi atque ducendi sunt, quando ad s. communionem suscipiendam admittuntur. Cum ex recenti lege de prima puerorum communione mox postquam adepti sunt usum rationis ad s. mensam admittendi sint, sacramenta ex mente ecclesiae hoc ordine conferuntur: baptismus, eucharistia, confirmatio.

---

[1]) Cf. *Benedictus XIV.* constitut. *Eo quamvis* 4. mai. 1745. Cn. 788: Sacramenti huius administratio in ecclesia latina convenienter differtur ad septimum circiter aetatis annum.

[2]) Cf. *Catechism. rom.* p. 2. c. 3. q. 17. [3]) *S. Offic.* 10. apr. 1861.

92. Obligatio suscipiendi confirmationem. Per se *non exsistit obligatio gravis* suscipiendi confirmationem. Hisce non negatur eum, qui oblata occasione renuat suscipere confirmationem, ratione contemptus graviter peccare posse, ratione ipsius sacramenti autem gravis necessitas illud suscipiendi non est.

a. Gravem obligationem, sive occasionem quaerendi sive oblata occasione sacramentum suscipiendi, non exsistere complures docuerunt praesertim ex antiquioribus theologis cum *s. Thoma*[1]). Recentiores vero theologi, qui *s. Alphonsum* (n. 181) sequuntur, gravem obligationem plerumque affirmant; argumentum tamen, quo eam clare demonstrent, non proferunt.

α. *Non ex lege naturae:* si enim ex natura rei haec obligatio probaretur, confirmatio necessaria esset necessitate medii; atqui sacramentum quod statum gratiae supponit, nequit esse necessarium necessitate medii. Deinde in hunc modum argumentantur: lege naturae quilibet tenetur hoc sacramento se munire ad superandas tentationes in vita spirituali contra fidem orituras. — Verum cum plura alia adsint media in hunc finem instituta, hoc argumento non probatur sacramenti necessitas. — Et sane sacramentum confirmationis gratiam confert necessariam ad fidem in periculis conservandam, ad eam exterius confitendam atque ad vitam secundum fidem instituendam; sunt tamen et alia media (usus sacramentorum, oratio, opera pietatis etc.), quibus finis sacramenti obtineri potest. Ideo tota quaestio huc reducitur, num Deus illis, qui data opportunitate confirmationem non suscipiunt, veluti in poenam talis negligentiae gratias necessarias neget. Atqui id affirmari nequit. Imprimis enim communior theologorum sententia tenet, Deum gratias necessarias ideo non negare, cuius sententiae est etiam *catechismus romanus*[2]). Neque fidelibus persuasum est, se praecepto sive divino sive ecclesiastico ad suscipiendum hocce sacramentum teneri. Quodsi ss. Patres et antiqua concilia quandoque necessitatem huius sacramenti suscipiendi affirmare videntur, notandum est, olim confirmationem statim post baptismum collatam fuisse ideoque Patres et concilia ratione baptismi, a quo confirmatio practice non distinguebatur, huius suscipiendae obligationem urgere. Ideo affirmari posse videtur strictam obligationem non demonstrari, ideoque statuendam non esse[3]).

β. *Non ex lege divina:* praeceptum enim divinum suscipiendi confirmationem non exsistit, siquidem verba Christi: *ut exspectarent*

---

[1]) *Summa* III. q. 72. a. 1. ad 3.

[2]) Cf. pr. 2. c. 3. q. 15 s.

[3]) Cf. *Dölger* S. 179 ff.

promissionem Patris[1]) i. e. Spiritum Sanctum, solos apostolos respiciunt. Nec maiorem vim hoc alterum argumentum habet, ipsa nempe institutione sacramenti Christum eiusdem usum praecepisse: instituendo enim sacramentum voluit, ut omnes fideles consequerentur perfectionem vitae spiritualis, quae solum hoc sacramento confertur. — Verum Christus voluit quidem, ut omnes consequerentur perfectionem *essentialem*, quae in statu gratiae consistit; num vero Christus voluerit etiam, ut omnes fideles consequerentur perfectionem *accidentalem*, quae per confirmationem confertur, in quaestione est, ideoque probari deberet; ex ipsa institutione autem non probatur, quia non omnia, quae Christus instituit, praecepta sunt.

γ. *Non ex lege ecclesiastica:* ad hanc scilicet demonstrandam duo potissimum argumenta afferuntur. Et primo quidem nonnulla verba ex constitutione Benedicti XIV. *Etsi pastoralis:* „Monendi sunt (graeco-itali) eos gravis peccati reatu teneri, si, quum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt." — Atqui haec verba *peculiaria* prorsus adiuncta respiciunt, quapropter lex *universalis* ex iis inferri nequit[2]). Deinde vero afferunt instructionem, quae in appendice ritualis romani reperitur, quaeque haec verba continet: „etsi enim hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio", quam quidem instructionem *Clemens XIV.* approbavit[3]). — Ex his autem id unum infertur, patres congregationis de propaganda fide, qui hancce instructionem pro missionariis exararunt, illius fuisse sententiae, quam his verbis significant, nullatenus vero eos legem universalem condidisse, quippe qui potestate legifera careant. Neque approbatio s. pontificis actus legislationis est.

δ. Ex eo, quod novus *Codex* de obligatione suscipiendi sacramentum confirmationis loquens utatur verbis ambiguis: nemini licet (sub gravi? sub levi?) illud negligere[4]); iure merito infertur, ipsum a dirimenda quaestione inter theologos controversa consulto abstinuisse. Quam ob rem hodie quoque valet sententia negans gravem obligationem.

b. Practicum momentum sententia proposita habere potest, si quis dubitet, num iam valide confirmatus sit, vel si quis in provectiore iam aetate constitutus magno pudore deterreatur a petenda confirma-

---

[1]) Act. 1, 4.

[2]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 270.

[3]) Instructio est *s. congregationis de prop. fide* 4. mai 1774; in alia instructione *s. Officii* 20. iun. 1866 haec obligatio negatur.

[4]) Cn. 787.

tione in loco, in quo reliqui omnes in pueritia vel infantia confirmari solent. Hi monendi et hortandi, non autem obligandi sunt ad sacramentum confirmationis suscipiendum[1]). — Ex eadem sententia non sequitur parentes gravi obligatione non teneri, ut filios suos data occasione confirmandos curent: cum enim spiritualem eorum curam habeant, ex pietate eis, si possunt, procurare tenentur, quod vitam spiritualem tantopere promovet.

93. Condiciones requisitae. Ad *valide* suscipiendam confirmationem requiritur baptismus susceptus et in adultis intentio saltem habitualis, quae in voluntate christiane vivendi implicite continetur. Ad *licite* et fructuose suscipiendam confirmationem requiritur status gratiae. Qui ergo ante confirmationem in grave peccatum lapsus est, potest quidem vel per confessionem vel per perfectam contritionem gratiam sibi comparare, confessio tamen valde suadenda est et ex consuetudine ubique praemittitur.

Confirmandum debere esse ieiunum vel (si per aetatem licet) s. eucharistia refectum nullibi praecipitur, laudabiliter autem observatur, ubi confirmatio iis confertur, qui ad s. communionem iam admissi sunt.

Quaestio quinta.

De ceremoniis confirmationis.

94. De ritu servando. Ritum in confirmatione servandum exhibet pontificale romanum, qui ritus in rebus maioris momenti sub gravi obligat.

1. Confirmatio ordinarie conferenda est *in ecclesia*; exsistente tamen causa aliqua arbitrio episcopi diiudicanda etiam extra ecclesiam in loco decenti conferri potest, ut si confirmandi sunt aegrotantes vel adulti, qui ex iusta causa ad ecclesiam accedere nequeunt.

[1]) Cf. *Génicot*, Theol. mor. inst. II. n. 164.

2. Cum confirmatio ex pontificali minus sollemniter quocunque die, hora et loco conferri possit, nihil impedit, quominus episcopus ex rationabili causa absque mitra et baculo solum adhibito rochetto et stola in quovis sacello confirmet; immo ex iusta causa id etiam privatim solum adhibita stola facere potest[1]).

3. „Alapa", quae dicitur, non videtur esse aliud, quam signum caritatis et pacis. Antiquitus enim episcopus confirmans dicens *Dominus tecum* vel *Deus humilium sit tecum* osculatus est confirmandum. Cursu temporis in locum osculi decentiae causa successit lenis tactus, quem scholastici „alapam" dixerunt[2]).

4. Frons confirmati ex pontificali ligari debet *fascia*, tum ne chrisma defluat, tum ut significetur gratiam acceptam diligenter conservandam esse. Haec fascia, quae olim per plures dies ferebatur, nunc plerumque non adhibetur.

5. Potest confirmandus in confirmatione, quando episcopus dicit: *N. signo te signo crucis*, praeter nomen suum baptismale aliud nomen Sancti sibi imponi curare[3]).

95. De patrinis confirmationis[4]). 1. Ex antiqua consuetudine atque ex praescripto canonum in confirmatione aeque atque in baptismo adhibendus est *patrinus*, si haberi possit.

2. *a. Unus* tantum pro singulis confirmandis sit patrinus.

b. Patrinus *unum* tantum vel *duos* praesentet, plures autem solum de licentia episcopi.

Plane interdicitur, ut unus patrinus omnes pueros et una matrina omnes puellas teneat, nisi adsit indultum apostolicum.

3. Ex valida confirmatione oritur *cognatio spiritualis* inter confirmatum et patrinum atque *obligatio* confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi[5]).

96. De condicionibus ad munus patrini requisitis. 1. Ut quis *valide* sit patrinus, requiritur: *a.* Ut usum rationis habeat atque *intentionem* hoc munus gerendi.

b. Ut sit *confirmatus*.

---

[1]) *S. Officium* 12. febr. 1851. [2]) Cf. *Dölger* p. 155.
[3]) S. C. R. 20. sept. 1749 n. 2404. [4]) Cn. 793—797. [5]) Cn. 797.

Quia contingere potest, ut in locis missionum nullus adsit confirmatus, qui agat patrinum, permittitur in hoc casu, ut primum aliqui sine patrino confirmentur, qui deinde ipsi patrini aliorum esse possint[1]).

c. Ut nulli haereticae vel schismaticae *sectae* sit adscriptus etc. ut supra n. 91.

d. Ut non sit pater, mater, coniux confirmandi.

e. Ut a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel his deficientibus a ministro vel a parocho sit *designatus.*

f. Ut confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice *tangat.*

Antiquitus quidem consuetudo erat, ut confirmandus pedem dexterum suum poneret super pedem dexterum patrini; nunc autem iuxta probatam consuetudinem patrinus manum dexteram ponit super humerum dexterum confirmandi.

97. Ut quis *licite* sit patrinus, requiritur: *a.* Ut sit *diversus* a patrino baptismi, nisi minister ex rationabili causa aliud permittat aut statim post baptismum confirmatio conferatur.

b. Ut sit *eiusdem sexus* ac confirmandus, nisi minister in particulari casu ex rationabili causa aliud permittat.

c. Ut *decimum quartum* aetatis annum attigerit, nisi aliud ex iusta causa ministro videatur.

d. Ut *non sit indignus,* ut supra n. 92.

e. Ut *rudimenta fidei* noverit.

f. Ut non sit in aliqua *religione* novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis.

g. Ut non sit in *sacris ordinibus* constitutus, nisi accedat ordinarii proprii licentia.

Sacerdos, qui ex indulto apostolico administrat sacramentum, non potest simul agere patrinum[2]). Si episcopus confirmans vellet esse patrinus confirmandi, id agere deberet per procuratorem[3]).

De adnotatione confirmationis[4]). 1. Parochus nomina ministri, confirmatorum etc. in peculiari libro inscribat.

2. Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat.

[1]) *S. C. de prop. fide* 4. maii. 1774. [2]) *S. C. de prop. fide* 21. sept. 1843.
[3]) S. C. R. 14. iun. 1873. [4]) Cn 798—799.

Liber quartus.

De eucharistia[1]).

98. Eucharistia duplici modo considerari potest, relate ad homines ut *sacramentum*, et relate ad Deum ut *sacrificium*. Rationem sacramenti habet, quatenus ritu visibili per consecrationem conficitur, post consecrationem sub speciebus visibilibus manet et in s. communione sumitur: de ratione enim sacramenti est, ut hominem sanctificet; eucharistia autem sanctificat, eo quod sumitur. Rationem sacrificii habet, quatenus per consecrationem Deo offertur: nam de ratione sacrificii est, ut in Dei cultum cedat eumque offensum oblatione placatum reddat; Deus autem colitur et placatur, eo quod eucharistia in sacrificium ei offertur. Ratio tamen sacramenti a ratione sacrificii separari non potest: ipsa enim consecratione conficitur sacramentum et offertur sacrificium.

---

[1]) *S. Thomas* III. q. 73—83. *S. Alphonsus* l. 6. n. 189—424. *Suarez*, De sacramentis eucharistiae et de missae sacrificio disp. 46—88. *De Lugo*, De sacramento eucharistiae. *Zach. Pasqualigo*, De sacrificio novae legis. *Io. Dicastillo*, De sacramentis. *Sporer-Bierbaum*, Theologia sacrament. pr. 2. c. 2—6. *Coninck*, De sacramento eucharistiae. q. 73—83. *Pet. Gasparri*, Tractatus canonicus de ss. eucharistia 2 vol. (Parisiis. Delhomme. 1890). Codex iuris canonici. Cn 801—869.

Caput primum.

De eucharistia ut sacramentum est.

Quaestio prima.

De natura et effectibus eucharistiae.

Articulus primus.

De natura eucharistiae.

99. Definitio. 1. *Eucharistia* definiri potest sacramentum, quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini continetur ad spiritualem animae refectionem.

Hac definitione eucharistia exhibetur prout est *sacramentum permanens:* eius enim essentiam constituunt species panis et vini prout continent corpus et sanguinem Christi; ergo tamdiu sacramentum est, quamdiu sub speciebus manet corpus et sanguis Christi. Porro institutum est hoc sacramentum per *modum convivii* ad animam spiritualiter reficiendam, cum Christus dicat: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*[1]).

2. Distingui debet sacramentum *in fieri,* quod in consecratione consistit, et sacramentum *in facto esse,* quod consistit in sacramento post consecrationem permanenti; a sacramento autem in fieri et in facto esse distinguendus est usus sacramenti seu sacramentum *in usu,* quod in sumptione seu manducatione consistit. Sumptio autem condicio est, ut sacramentum suum effectum in anima producere possit. Quare proprium est huius sacramenti, ut ante usum iam perfectum sit sacramentum et effectum suum non producat ut alia sacramenta, quando conficitur, sed quando iam confectum sumitur.

3. Tria sunt dogmata, quae de ss. eucharistiae sacramento definita sunt: *a.* in sacramento totum Christum vere, realiter et substantialiter praesentem esse; *b.* totum Christum sub utraque specie et sub qualibet speciei parte praesentem esse; *c.* Christum praesentem fieri per trans-

[1]) Ioan. 6, 56.

substantiationem, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi mirabiliter convertitur. Horum dogmatum explicationem et probationem exhibent dogmatici[1]).

100. De gratia per sumptionem utriusque speciei collata. Corpus Christi sub speciebus panis et sanguis Christi sub speciebus vini sunt quidem materialiter duo signa physice distincta, quorum alterum significat refectionem per modum cibi, alterum per modum potus; singula tamen verum sacramentum constituunt et singula eandem rem significant, plenam refectionem spiritualem ad modum convivii conferendam. Qui ergo eucharistiam recipit sub sola specie panis, eandem gratiam seu plenam animae refectionem recipit atque ille, qui sub utraque specie communicat, quia sub utraque specie verum et integrum sumitur sacramentum, et sub utraque specie est totus et integer Christus cum corpore et sanguine; in cibo ergo continetur etiam potus et vicissim in potu etiam cibus spiritualis.

Num communicantes sub una specie *ex opere operato eundem effectum* percipiant, ac si sub utraque specie communicarent, inter theologos controversum est. Alii enim putant, eum, qui sub utraque specie communicat, maiorem et, secundarie et accidentaliter quidem, sed tamen qualitative, diversam gratiam percipere: aliquis enim effectus (licet secundarius tantum) correspondet calici, qui nullatenus respondet hostiae[2]). Alii opinantur eum, qui sub utraque specie communicat, *per se* et ex opere operato extensive maiorem gratiam recipere, quemadmodum specie quidem eandem, extensive autem maiorem gratiam recipit ille, qui bis vel ter communicat, quam ille, qui semel communicat. Alii tandem huius sunt sententiae, sacerdotem in sumptione sanguinis solum *per accidens* et ex opere operantis maiorem effectum percipere, si nimirum in sumptione secundae speciei melius dispositus sit[3]). — Qui vero plures hostias consecratas sumit, certe maiorem non recipit gratiam, quam qui unam sumit: nam una communio et una refectio est, sive una sive plures particulae sumuntur. *Bellarminus* hanc sententiam certam iudicat, eum nempe, qui sub utraque specie communicat, nullatenus (neque extensive neque quantitative) maiorem gratiam percipere, quam illum, qui sub una specie tantum communicat[4]).

[1]) Cf. *Pesch*, Prael. dogm. VI. 576 ss. *Hurter*, Comp. theol. dogm. III.

[2]) Cf. *Lugo*, De euch. disp. 12. s. 3. n. 68, qui hanc *Vasquesii* sentent. probabiliorem dicit. — [3]) Cf. *Suarez* disp. 63. s. 6. n. 9, qui sequit. *s. Thom.* et *s. Bonavent.* — [4]) De euchar. l. 4. c. 23.

101. Quando gratia conferatur suscipienti. Eucharistia gratiam confert in ipsa manducatione seu quando species sacramentales ex ore in stomachum traiiciuntur. Nam ut eucharistia producat effectum, ex voluntate Christi tamquam condicio requiritur sacramenti sumptio, et ea quidem, quae in manducatione consistit, cum Christus dicat: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*[1]*); manducantibus* ergo promittitur et confertur gratia. Manducare autem non dicitur, qui cibum mere in os sumit, sed ille tantum, qui cibum ex ore per fauces in stomachum demittit; ergo gratia sacramenti non confertur, quando sacrae species sunt in ore, sed quando recipiuntur in stomachum.

a. Qui ergo species recipit quidem, sed iterum exspuit, quin eas deglutiat; qui species tamdiu in ore retinet, donec dissolvantur; infirmus, qui moritur, antequam hostia in stomachum descendat: non recipit effectum et gratiam sacramenti, quia non vere et complete Christum manducat. Qui vero species sacramentales deglutit, etsi postea evomat, percipit gratiam sacramenti, quia vere Christum manducat[2]).

b. Num sacramentum post sumptionem, quamdiu Christus in communicante praesens est, *per se et ex opere operato conferat gratiam,* non constat. Etsi enim sacramentum gratiam conferat, quando applicatur, eucharistia autem applicetur sumptione, multis nihilominus affir-

[1]) Ioan. 6, 58. 59.

[2]) *Mazzotta,* De sacram. tr. 5. disp. 4. q. 1. c. 1. Etsi concedenda sint, quae habet *Olfers* (Pastoralmedizin[3] p. 47), digestionem nempe iam in ore incipere, manducare tamen non ille dicitur, qui cibum in os recipit ad inchoandam, sed ille, qui cibum in stomachum demittit ad continuandam digestionem. Huius enim actionis natura in re sacramentaria non ex factis physiologicis et chimicis, sed ex communi hominum iudicio determinatur; atqui vulgo manducare dicitur, non qui cibum in sumit, sed qui cibum sumptum deglutit. — Proposita quaestione, num viaticum administrari possit introducendo sacras species directe in stomachum infirmi, cui medico via infra pectus aperta sit ad cibum et potum excipiendum, *s. Officium* 27. ian. 1886 respondit: *Sicut exponitur non expedire.* Etsi ex hac decisione ad solvendam quaestionem de condicione requisita, ut sacramenti effectus percipiatur, nihil colligi possit, recte tamen infertur s. communionem artificiali modo nunquam administrandam esse, cum s. Officium ne viaticum quidem hoc modo administrari permiserit.

matur, hoc sacramentum augere gratiam ex opere operato, quamdiu Christus praesens est in sumente, si hic se interim disponat ad maiores gratias recipiendas. Ideo censent: α. eum, qui indispositus communicavit, sed per contritionem se disponit, quamdiu sacrae species sunt incorruptae, percipere effectum sacramenti; β. in eo, qui tempore, quo Christus sub sacris speciebus in stomacho praesens est, melius disponitur, augeri etiam gratiam sacramenti[1]).

102. De praesentia sacramentali. 1. Cum Christus separatione facta praesens maneat *sub singulis cuiusque speciei partibus*[2]), omnes particulae etiam minimae, quae sensibus percipiuntur, tractandae sunt ut consecratae.

Certum est etiam minutissimas particulas manere consecratas, quae in se sensibus percipi possunt; at certum non est eas quoque manere consecratas, quae sensibiles non sunt et nihilominus substantiam panis retinent. Quodsi consecratae sunt, tamen dicendum est Christum Dominum non exigere, ut ministri de his etiam particulis non sensibilibus solliciti sint.

2. Christus in eucharistia realiter praesens manet, *quamdiu sacrae species manent integrae,* et desinit esse praesens, simul ac species corrumpuntur. Quamdiu autem sacrae species post sumptionem maneant integrae, generali regula determinari nequit.

Id a vi digestiva stomachi, quae in variis varia est, pendere manifestum est; ideo fieri potest, ut in infirmo post dimidium horae species nondum sint corruptae. Verum etiam quoad sanos, qui fere eandem vim digestivam habere supponuntur, periti diversae sunt opinionis: alii enim putant post minutum species iam esse corruptas[3]); alii autem censent eas post semihoram adhuc esse integras[4]). Media via incedendum atque dicendum videtur, post octo vel decem minuta species ordinarie etiam in sacerdote, qui maiorem hostiam et utramque speciem sumit, esse corruptas.

103. De consecratione unius speciei sine altera. Declarationis causa haec praemittenda sunt. Ex voluntate et institutione Christi sacramentum eucharistiae confici nequit, nisi in sacrificio eucharistico: voluit enim Christus, ut tum solum consecra-

---

[1]) Cf. *Suarez* disp. 63. sect. 7. *Lugo* disp. 10. sect. 2. n. 46 s.

[2]) *Concilium trid.* sess. 13. can. 3.

[3]) *Olfers,* Pastoralmedizin[5] p. 48.

[4]) *Capellmann,* Medicina pastoral. p. 124.

retur, quando sacrificium offertur, et vicissim, ut sacrificium offerretur, quoties consecratio fit. Ratio igitur sacramenti in eucharistia ex voluntate Christi separari nequit a ratione sacrificii eodem prorsus modo, quo ex voluntate eiusdem Christi Domini ratio sacramenti pro fidelibus a ratione contractus matrimonialis seiungi nequit. Quoties autem sacrificium offertur, ex voluntate et institutione Christi requiritur consecratio utriusque speciei. Christus enim in ultima coena utramque speciem consecrans praecipit: *hoc facite in meam commemorationem*[1]); ergo apostolis et eorum in ordine sacerdotali successoribus praecipit, ut sub utraque specie consecrarent. Immo vix non certum est utriusque speciei consecrationem ad ipsam sacrificii eucharistici essentiam requiri, ut infra n. 164. dicetur.

Ergo ipsa ratio sacrificii, non solum praeceptum Christi, exigit utriusque speciei consecrationem. Ratio autem sacramenti in eucharistia per se non postulat consecrationem utriusque speciei: sacramentum enim non est signum, quod commemorat et repraesentat sacrificium crucis, sed est signum, quod repraesentat et efficit nutritionem animae; atqui id obtinet etiam in una specie, aiente Domino: *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Insuper forma, qua una species consecratur, independenter ab altera significat et causat suum effectum; ideo panis valide consecratur, antequam consecretur vinum. Quare una species sine altera absque dubio valide consecrari potest. Quodsi una tantum species consecratur, offertur quidem sacrificium, sed inchoatum et imperfectum per consecrationem secundae speciei complendum et perficiendum. Itaque

1. *Valida* est consecratio unius speciei sine altera sive sacerdos per errorem sive ex industria unam tantum speciem consecrat, modo debitam intentionem habeat. Si quis igitur alterutram speciem sine altera consecrat, perficit quidem sacramentum, sed non offert completum sacrificium[2]).

Sunt, quibus non omnino certum videatur, quod valida sit consecratio unius speciei sine altera, quando sacerdos unam tantum speciem consecrare intendit. Verum de valore huius consecrationis dubitari nequit, sive dicatur ad validam consecrationem sufficere, ut minister cum intentione consecrandi pronuntiet formam super materiam, sive dicatur ad validam consecrationem requiri intentionem offerendi sacrificium: qui enim consecrare intendit ut alias consecravit seu ut Christus instituit, intentionem habet sacrificandi quantum potest i. e. saltem inchoandi sacrificium.

---

[1]) 1. Cor. 11, 24. 25. Cf. cn. 817.

[2]) Cf. *Missale rom.* De defectibus IV, 5. 8.

2. Sed iure divino et ecclesiastico[1]) *nunquam licitum est* consecrare unam tantum speciem, neque ex gravissima causa e. g. ad communicandum infirmum, qui alias sine viatico decederet. Immo tam grave theologis videtur esse hoc praeceptum divinum utramque speciem consecrandi, ut dicant ecclesiam in hac re nunquam dispensare nec dispensare posse, quia naturam sacrificii a Christo instituti mutare non potest.

Si peracta consecratione ratione materiae dubium oritur de valida consecratione alterutrius speciei, sumenda est alia materia, quae *absolute* consecrari potest. Absolute quidem, ut sacerdos sciat, quam hostiam ante sacrum sanguinem sumere debeat. Neque dicatur, si prima species, de cuius valida consecratione dubium exsistit, valide consecrata sit, hac nova eaque absoluta consecratione inchoari novum sacrificium, quod contra praeceptum divinum incompletum maneat. Nova enim consecratio, quae necessario nexu cum priore cohaeret, non est consideranda ut inchoatio novi sacrificii, sed ut complementum sacrificii iam peracti[2]).

3. *Per accidens* tamen quandoque fit, ut reipsa una species sine altera consecretur: *a.* si periculum mortis e. g. ab incendio vel a ruina templi subito immineat; *b.* si sacerdos deprehendat in consecratione adhibitum non fuisse vinum, neque aliud adsit vinum; *c.* si sacerdos aquam pro vino consecrasset, et defectum non adverteret, nisi postquam ab ara iam recessit, nec sacrificium sine scandalo vel sine irreverentia complere posset; *d.* si sacerdos hostia iam consecrata deficiat neque adsit alius, qui sacrificium compleat.

Articulus secundus.

De effectibus eucharistiae[3]).

104. Qui sint effectus. Effectus eucharistiae, ut sacramentum est, complures numerantur, quorum duo (nutritio animae et unio cum Christo) sunt essentiales, alii vero accidentales.

---

[1]) Cn. 817 haec habet: „Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra missae celebrationem consecrare.“ — [2]) Cf. *Missale rom.* De defect. tit. 3. n. 6. 7. tit. 4. n. 5. — [3]) *M. Heimbucher,* Die Wirkungen der hl. Kommunion. (Regensburg. Manz. 1884). *I. Behringer,* Die hl. Kommunion in ihren Wirkungen und ihrer Heilsnotwendigkeit. (Regensburg. Pustet. 1898). *Nicolussi,* Die Wirkungen der hl. Eucharistie. (Bozen. Emmanuel. 1918).

1. *Nutritio spiritualis animae*, quae consistit in augmento gratiae sanctificantis, virtutum et donorum Spiritus Sancti cum iure ad speciales gratias actuales, quae intuitu eucharistiae perceptae conceduntur ad vitam supernaturalem per bona opera conservandam, augendam et perficiendam: *qui manducat me, et ipse vivet propter me*[1]).

Cum hoc sacramentum rationem habeat refectionis spiritualis, illos effectus producit in anima, quos cibus et potus materialis producit in corpore: vires reparat, conservat et auget.

2. *Intima animae coniunctio cum Christo* et cum corpore eius mystico per gratiam et caritatem, quae unio in hoc sacramento per se et ratione sui intenditur et proinde eiusdem effectum essentialem constituit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*[2]).

Haec unio non est tantum moralis, qualis inter amicos per amorem consistit, sed intimior atque perfectior est et *naturalis* vocari potest. A ss. Patribus variis analogiis declaratur: sicut fermentum cum farina, palmes cum vite, ignis cum ferro ignito, ita anima communicantis unitur et similis fit Christo Domino. In rebus creatis non est unio tam perfecta atque inter Christum et animam communicantis.

Non solum inter animam et Christum, sed etiam inter singulos homines et inter gentes et nationes producit vinculum unionis et caritatis, est signum et medium unionis fidelium universae ecclesiae inter se. In speciebus sacramentalibus a Christo electis unum aliquid ex multis redigitur: panis ex multis granis, vinum ex multis acinis in unum redigitur.

Praeter unionem spiritualem Christi cum anima suscipientis in hoc sacramento habetur etiam coniunctio physica corporis Christi cum corpore nostro, quatenus caro Christi per species eucharistiae contactu physico corpori nostro coniungitur illudque influxu corporis sui speciali modo sanctificat. Haec sanctificatio ex reali contactu cum carne Christi proveniens duplicem effectum constituit, quem hoc sacramentum in corpore suscipientis producit ut inferius dicetur.

3. *Imminutio fomitis concupiscentiae* seu mitigatio libidinis: ex hoc enim convivio germinant virgines.

Hunc effectum non solum eo producit, quod gratiam confert ad vincendas tentationes ex concupiscentia oriundas, neque eo solum, quod speciali modo caritatem auget, quod augmentum caritatis mentem ad superna dirigentis indirecte motus concupiscentiae imminuit, sed etiam eo quod directe concupiscentiam imminuit atque restringit, idque tum moraliter tum physice. Sanctificatio enim corporis nostri ex intima

[1]) Ioan. 6, 58. [2]) Ioan. 6, 57.

unione cum carne Christi gloriosa proveniens imprimis in eo consistit, quod Christus carnem nostram ut suam et ut sibi affinitate quadam coniunctam considerat, eam amat et protegit sibique conformem efficit, et proinde speciali providentia pravos motus carnis imminuit et reprimit. Sunt autem, qui ulterius opinentur influxum corporis Christi immediata et directa operatione in corpore nostro ipsum fomitem seu ardorem libidinis sedare et paulatim exstinguere[1]).

4. *Resurrectio gloriosa corporum:* coniunctio enim, quam corpus communicantis habet cum carne Christi vivificante, titulum praebet gloriosae resurrectionis futurae: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*[2]).

Hunc effectum eucharistia non solum indirecte producit, eo quod suppeditat medium gratiae sanctificantis usque ad finem vitae conservandae: qui enim in statu gratiae decedunt, ad gloriosam resurrectionem pervenient; sed etiam directe, eo quod corpori semen futurae gloriosae resurrectionis inserit. Caro enim Christi gloriosa corpus nostrum sanctificando illud particeps efficit incorruptibilitatis. Alii, qui in hac vita non sunt refecti corpore Christi, suscitabuntur quidem et ipsi, sed non ex hoc speciali titulo.

5. *Remissio peccatorum venialium,* dummodo saltem virtualiter retractentur.

a. Concilium tridentinum distinguens inter peccata mortalia et venialia diserte docet, hoc sacramentum a mortalibus nos praeservare et a venialibus liberare[3]). Ratio interna desumenda est: α. Ex *natura* huius sacramenti, quod habet rationem cibi spiritualis: sicut enim cibus naturalis restaurat vires activitate vitali deperditas, ita eucharistia reparat vires spirituales, quae pugna contra tentationes et peccatis venialibus amittuntur. β. Ex *principali effectu* huius sacramenti, qui consistit in unione caritatis et amicitiae cum Deo; peccata autem venialia impediunt perfectionem caritatis et amicitiae.

b. Exploratum non est, utrum remissio venialium proveniat immediate ab eucharistia mediate, eo quod ipsa in nobis excitet actus devotionis et poenitentiae, quos actus deinde consequatur remissio peccatorum. Non est improbabilis sententia eorum, qui cum *Suarez* et *Lugo* opinantur eucharistiam hunc effectum producere *immediate*, dummodo adsit sufficiens dispositio in suscipiente[4]).

6. *Dulcedo et delectatio spiritualis:* continet enim hoc sacramentum panem omne delectamentum in se habentem praebentemque delicias regibus.

[1]) Cf. *Suarez* disp. 64. sect. 1. *Lugo* disp. 12. sect. 5. — [2]) Ioan. 6, 55.
[3]) Sess. 13. c. 2. — [4]) Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 9. n. 45 ss.

Sicut ex convivio corporali hilaritas atque incunditas oritur, ita convivium spirituale animam replet dulcedine et delectatione. Haec delectatio imprimis in eo consistit, quod s. communio homini gratiam confert aerumnas et dolores huius vitae non solum aequo animo sed etiam cum laetitia spirituali tolerandi. Deinde anima ex hoc sacramento perfunditur amore erga Christum, cuius intima praesentia fruitur; sed ubi amor, ibi delectatio.

Effectus iste vi sacrae communionis infallibiliter producitur, nisi impediatur communicantis negligentia et distractionibus et curis temporalibus; immo quandoque per redundantiam in ipsis sensibus percipitur.

Quaestio secunda.

De materia eucharistiae.

Articulus primus.

De materia remota.

105. Materia valida. Materia *remota* huius sacramenti illud est, ex quo conficitur eucharistia. Materia remota *valida* eucharistiae est solus *panis triticeus* et *vinum de vite.* Ex institutione enim huius sacramenti constat Christum in ultima coena imprimis consecrasse panem[1]); solus autem panis triticeus tum ex hebraeorum tum ex aliorum usu communi simpliciter panis vocatur. Deinde in eadem coena vinum consecravit[2]); sed solum vinum de vite proprie et simpliciter vinum dicitur. Quare *concilium florentinum* explicite docet materiam huius sacramenti esse *panem triticeum et vinum de vite.*

106. Panis triticeus. Ad *valide* igitur conficiendum eucharistiae sacramentum requiritur panis ex farina triticea et aqua naturali tantum confectus et igne coctus: *panis* enim est cibus ex farina et aqua tantum confectus et igne coctus.

1. Diversae *frumenti* species, quae a tritico physice differunt, invalidam, *tritici* vero diversae species seu potius

[1]) Matth. 26, 26. Cn. 815, 1. [2]) Matth. 26, 29. Cn. 815, 2.

varietates validam huius sacramenti materiam suppeditant, modo communi hominum iudicio pro vero tritico habeantur.

Diversae sunt *frumenti* species, de quarum valido vel licito usu in conficiendo hocce sacramento quaeri potest, scilicet: triticum, spelta, secale, hordeum, siligo. Porro *secale* (Roggen, Korn) et *hordeum* (Gerste) sunt species frumenti a tritico diversae; quare hordeum quidem constituit materiam certo invalidam, secale autem materiam dubiam: sunt enim, qui putent ex hoc frumento confici panem usualem; panem autem usualem esse materiam aptam eucharistiae[1]). *Siligo* non idem apud omnes significat: iuxta alios enim siligo idem est ac secale, iuxta alios autem tritici speciem eamque optimam denotat; pro diversa igitur siliginis significatione panis siligineus valida vel dubia materia erit. Idem de *spelta* dicendum: etenim sunt regiones, in quibus veri tritici species nomine speltae designatur.

Tritici autem diversae numerantur species vel, si mavis, varietates (Abarten): *triticum vulgare* (Weizen), *tr. durum* (Bartweizen), *tr. turgidum* (englischer Weizen), *tr. polonicum* (polnischer Weizen), *tr. spelta* seu far (Spelz oder Dinkel), *tr. bicoccum* (Emmer), *tr. monococcum* (Einkorn). Omnes istae tritici diversae species communi hominum iudicio et aestimatione pro vero tritico habentur, et panis inde confectus ab omnibus triticeus dicitur, quare dubitari nequit, quin omnes materiam validam et licitam constituant. Generatim dicendum est: illud frumentum, quod in determinata regione communi hominum iudicio est et dicitur triticum, constituit validam eucharistiae materiam. Triticum vero *turcicum* (zea mais = türkischer Weizen, Mais) nomen tritici habet, reipsa autem est substantia prorsus diversa, ideoque panis ex hoc tritico confectus materia invalida est aeque ac panis confectus ex farina *pomorum terrestrium* (solani tuberosi, Kartoffel), *fabarum* (Bohnen), *avenae* (Hafer), *oryzae* (Reis), *milii* (Hirse), *pisorum* (Erbsen), *castanearum* (Kastanien) etc.[2]).

2. Farina *in alio liquore* e. g. lacte, vino etc. cocta non dicitur panis. Si tamen farinae admisceatur aqua artificialis, lac, butyrum, vinum vel alius liquor in modica quantitate, adeo ut longe maior sit quantitas aquae quam alterius liquoris, materia est quidem illicita, sed tamen valida, quia ex communi hominum aestimatione adhuc habetur verus panis. Pari modo sentiendum est, si farinae triticeae admisceatur modicum quid *farinae alterius speciei* e. g. hordei vel fabarum. Quae omnia si in maiore

---

[1]) *Gobat*, Theol. exper. tr. 3. n. 29.

[2]) Cf. *Olfers*, Pastoralmedizin[3] p. 217.

quantitate admiscerentur, materiam constituerent certo invalidam. Pani consecrando pariter non est adiungendum *sal;* si tamen per errorem admixtum esset, panis iste eatenus adhiberi posset, quatenus deficiente alia hostia non oporteret celebrationem omittere.

Quare hostiae illae rubrae vel alterius coloris, quibus obsignantur litterae, modo confectae sint ex farina triticea, sunt materia valida etsi illicita, si valde modica quantitas cinnabaris vel alterius substantiae admixta est; sunt autem materia dubia vel etiam invalida, si maior quantitas alienae substantiae admiscetur.

3. Massa ex farina et aqua *nondum cocta,* sed adhuc cruda, materia est invalida, quia nondum est panis; pari ratione farina in aqua cocta per modum pultis est materia invalida, quia non est panis.

107. Materia licita. Ad *licite* conficiendam eucharistiam pro latinis requiritur, ut panis sit *azymus,* pro graecis, ut sit fermentatus[1]): insuper hostia consecranda debet esse *recens, munda, integra, incorrupta* et *formae orbicularis maioris.*

1. Quamvis valide consecrari possit tam in pane azymo quam in fermentato, quia uterque est verus panis ex farina triticea et aqua naturali confectus, tamen latini tenentur sub gravi consecrare in azymo et graeci in fermentato; et ab hoc praecepto ne necessitas quidem viatici pro moribundo, sed sola necessitas complendi sacrificii excusat.

a. Ecclesia latina in usu panis azymi sequitur exemplum Christi, qui diebus azymorum instituit ss. sacramentum; graeci ex antiqua consuetudine utuntur pane fermentato, quem usum ecclesia in concilio florentino graecis servandum permisit, quia expressum Christi praeceptum consecrandi in azymo non exsistit. Immo in eodem concilio praeceptum additur servandi in utraque ecclesia proprium ritum propriamque consuetudinem. Hoc praeceptum confirmat et innovat *Pius V.*[2]) et postea *Benedictus XIV.*[3]) et recenter cn 816.

b. Panem azymum latinus et fermentatum graecus ubique adhibere debet: etenim ritum unusquisque suum servare ubique tenetur

[1]) *Concilium flor.* in decret. unionis.

[2]) Constit. *Providentia romani pontificis* (1566.)

[3]) Constit. *Etsi pastoralis* (1742).

tum in regionibus graecis tum in regionibus latinorum, nisi ritum mutandi speciale indultum obtinuerit (quod per modum habitus quandoque, per modum actus nunquam conceditur). Hinc graecus (idem dicendum est de latino), qui perpetuo vel ad tempus in aliqua regione latina moratur, ubi non est ecclesia proprii ritus, petere debet ab episcopo latino licentiam celebrandi in ecclesia latina ritu graeco. Item sacerdos in itinere constitutus adire debet, si adsit, ecclesiam proprii ritus, si nec adsit, in ecclesia latina secundum suum ritum celebrare tenetur[1]).

c. Ante hac *fideles ritus latini* ordinarie in azymo, *fideles ritus graeci* in fermentato communicare debebant. Ex decretis apostolicis recentibus, praesertim vero ex Constitutione *Tradita* P. Pii X. iam haec valent: α) quivis catholicus communionem sumere potest ad libitum in quavis ecclesia catholica cuiuslibet ritus; β. sed, casu necessitatis excepto, communio paschalis suadetur, viaticum praecipitur, ut sumat quivis iuxta ritum sibi proprium (cn 866, 2, 3); γ) quivis sacerdos s. communionem dispensare potest etiam in ecclesia alterius ritus, dummodo sacerdos respectivi ritus non adsit; attamen ordinem in distribuendo servet sibi consuetum i. e. latinus sacerdos in ecclesia graeca s. communionem (in fermentato) administrans procedit iuxta Rituale romanum, et graecus sacerdos in ecclesia latina (in azymo) communionem dispensans procedit iuxta morem graecum[2]).

d. Sacerdos, qui ad complendum sacrificium denuo consecrare debet nec aliam hostiam habere potest, sumere potest et debet frustum panis triticei usualis, dummodo sit materia certo valida.

2. *Recentes.* Cum tenues hostiae facile corrumpantur, praesertim si in loco humido asserventur vel si tempus sit hiemale aut pluvium, imminet periculum consecrandi materiam invalidam, nisi hostiae sint recentes. Curare itaque debent rectores ecclesiarum, ut hostiae consecrandae, si non sint omnino recentes, saltem a duabus hebdomadibus vel summum a mense sint confectae.

Consuetudinem consecrandi hostias a tribus quatuorve mensibus confectas s. congregatio appellat ingentem abusum omnino tollendum et addit, sacerdotes non posse tuta conscientia uti hostiis a tribus mensibus tempore hiemis vel a sex mensibus in aestate confectis. Verum ad evitandum periculum irreverentiae hostiae a duabus circiter hebdomadibus vel summum a mense debent esse confectae, locus et tempus non sit humidum: nam inter hostiarum confectionem earum-

[1]) Cf. *Bened. XIV.* De ritib. c. 2. n. 15. *Gasparri* II. 804 s. Cn. 816.

[2]) *S. C. de prop. fid.* 18. aug. 1893. Constit. *Orientalium dignitas* 30. nov. 1894. S. C. R. 16. dec. 1826 n. 2650. Const. *Tradita* 14. sept. 1912. Cn 851, 2.

que sumptionem interponi non debent nisi quatuor vel summum sex hebdomadae.

3. Figura hostiae consecrandae in ecclesia latina debet esse *orbicularis,* in ecclesia autem graeca est quadrata. Consecrare hostiam *maculatam* vel modice *fractam* secluso scandalo veniale peccatum est; si tamen fractura vel macula in hostia post oblationem demum deprehenditur, excluso scandalo licite consecrari potest, quia per oblationem iam aliquo modo Deo dicata est. Tandem deficiente hostia maiore permittitur, etiam solum devotionis causa, cum *hostia parva* celebrare, non solum privatim, sed, scandalo apta populi monitione excluso, etiam publice[1]): siquidem non est obligatio gravis consecrandi hostiam maiorem.

Quod hostias parvas pro communione laicorum attinet, curandum est, ne sint nimis parvae nimisque subtiles (earum diameter sit trium saltem centimetrorum): etenim si hostiae valde parvae et subtiles sunt, imminet periculum tum ne inter digitos sacerdotis distribuentis dilabantur, tum ne communicantes sacra communione priventur, eo quod ante traiectionem penitus dissolvantur.

4. Consecratio non est invalida, quamvis propter irreverentiam graviter illicita sit, si panis substantialiter nondum est *corruptus,* sed aliquod tantum corruptionis initium ostendit. Ex hoc principio auctores inferunt panem *mucidum* manere materiam validam, sed esse graviter illicitam. Quod quidem admitti potest, quando panis ex mucore *incipit* corrumpi, non autem quando iam est mucidus: panis enim plane mucidus iam integre corruptus est[2]).

Nota. Hostiae, quae antiquitus a sacerdotibus vel saltem a clericis coquebantur, ex hodierna praxi a laicis praeparari solent; sacerdotibus autem in re tanti momenti gravis incumbit obligatio vigilandi, ut materia sacrificii certo valida sit. Quocirca curare debent, ne illi, qui hostias parant, sumant farinam nisi triticeam eamque puram et recentem, nunquam autem farinam artificialem (Kunstmehl), de cuius qualitate semper dubitari debet; insuper curent, ut hostiarum pistores diligentia, fidelitate pietateque se commendent[3]).

---

[1]) *S. Alphons* n. 205.

[2]) *Olfers,* Pastoralmedicin[8] S. 219 f.

[3]) *Olfers,* Pastoralmedicin[3] S. 218 f.

108. Vinum de vite. Ad *valide* consecrandum solum et omne vinum de vite adhiberi potest, quod substantialiter est incorruptum; *vinum* autem intelligitur liquor ex uvis de vite maturis expressus.

a. Ideo *materia invalida* sunt omnes alii liquores, qui natura sua non sunt vinum, ut cervisia, succus ex fructibus (pomis, piris etc.) expressus; etiam succus ex uvis immaturis expressus *(agresta)*, qui naturam vini nondum habet[1]); deinde vinum, quod dicunt secundum i. e. ex uvis iam expressis affusa aqua denuo expressum *(lora)*, cuius pars maior est aqua; *acetum*, quod est vinum corruptum; *vinum adustum*, quod est alia a vino substantia, ac tandem *vinum arte factum*, quod non est vinum de vite: licet enim arte ex iisdem elementis compositum sit, quae reperiuntur in vino naturali, tamen non est materia valida, nisi originem habeat ex vite.

b. Materia *valida* est *succus ex uvis siccatis* expressus, modo ita praeparetur, ut ex odore, colore et gustu dignoscatur esse vinum[2]).

c. Expressus: nam liquor nondum expressus, sed in uvis adhuc exsistens consecrari nequit, tum quia materia consecranda adesse debet in statu potus *(Suarez)*, tum quia verba consecrationis: *hic est sanguis meus* non designarent liquorem, sed totam massam uvae *(Lugo)*.

d. Incorruptus: nam vinum corruptum non est amplius vinum; ideo rubrica missalis habet: „si vinum sit factum penitus acetum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum“[3]).

e. Vinum, *in quo alcool non continetur* (alkoholfreier Wein) non est materia valida, quia non est vinum, cum maior minorve quantitas alcooli essentiale sit vini elementum. Vina enim, quae naturaliter nonnisi 5% alcooli continent, minimam, quae vero 20% alcooli continent, maximam alcooli quantitatem, aliquam autem omnia habent[4]).

Nota. Omne vinum, sive album sive rubrum sive ex utroque mixtum sive generosum sive debile cuiuscunque regionis et geniminis, est materia valida consecrationis, quia in omnibus est vera natura vini. Et licet vinum generosum dignitati tanti sacramenti magis conveniat, quia tamen hodie vinum ordinarium facilius constat esse genuinum, meliori praeferendum est, nisi certo constet, hoc esse viuum purum atque impermixtum.

---

[1]) *Missale rom.* De defectibus IV. 1. — [2]) *S. Officium* 22. iul. 1706; et ad quaesitum: „utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis seu exsiccatis“ (Rosinen) respondit 10. apr. 1889: „Licere, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum.“ Modus, quo vinum istud conficitur, reperiri potest apud *Lehmkuhl* [12] n. 162. — [3]) *Missale rom.* De defectibus IV. 1. — [4]) *S. Officium* 1. iun. 1910 declaravit, vinum, cui artis ope omnis vini spiritus (alcool) adimitur, nec licitam nec validam consecrationis materiam esse.

109. Materia licita. Ad *licite* consecrandum adhiberi debet vinum facta fermentatione *perfectum, purum* et *incorruptum.*

a. Mustum seu succus ex uvis maturis recenter expressus est materia valida, sed graviter illicita consecrationis: valida quidem, quia ecclesia eam habet pro valida, cum sit vinum, etsi nondum perfectum[1]); illicita autem, tum quia admixtas habet partes non consecrabiles, tum quia vinum perfectum non est.

b. Si *vino admiscentur aromata* vel alii liquores, et quidem in modica quantitate, adeo ut substantiam vini retineat et simpliciter pro vino habeatur, erit materia illicita, sed nondum invalida; quin etiam materia licita esse potest, si modicum quid addatur ad vinum conservandum[2]). Notabilis autem copia aromatum vel alius liquoris vino adiecta, hoc constituit materiam invalidam vel saltem dubiam.

Vinum in doliis asservatum paulatim exhalatione (durch Verdunstung) aliquantulum minuitur. Vacuum in dolio inde ortum expleri debet, ut vinum conservetur. Praestat quidem, ut dolium, in quo vinum pro missae sacrificio continetur, vino naturali repleatur; attamen ad hunc finem etiam aqua adhiberi potest, quin vinum cesset esse materia valida et licita consecrationis: licite enim vino aliena substantia in parva quantitate admisceri potest, quae ad conservandum vinum necessaria est.

c. Vinum acescens, quod aliquantulum sit acidum et corrumpi incipiat, manet materia valida et deficiente alio

---

[1]) *Missael rom.* tit. 4. n. 2.

[2]) Qua de re notandum est decretum *s. Officii* 31. iul. 1890, quod permittit, ut ad vinum debile diutius conservandum ei admisceatur quaedam quantitas spiritus vini (alcool), dummodo spiritus extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica addita una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat, quando vinum est valde recens. Immo ad conservanda vina generosa et extraordinarie dulcia idem *s. Officium* 5. aug. 1896 in casu speciali additionem quantitatis alcoolicae permisit, quae non excederet proportionem septendecim vel octodecim pro centum, modo admixtio fieret, quando fermentatio tumultuosa defervescere incepit.

vino licite adhiberi potest, quia servat naturam vini nec substantialiter mutatum est; notabiliter autem acescens, quod nondum est acetum, etsi forte sit materia valida, quia non est omnino corrupta, certe graviter illicita est.

d. Num *vinum congelatum* materia valida sit, disputant; omnes vero concedunt non licere vinum congelatum consecrare, quia est contra usum in ecclesia receptum; ideo ante consecrationem liquefieri debet.

Qui *affirmant* materiam validam, rationem afferunt, quia vinum per congelationem non corrumpatur, sed accidentaliter tantum mutetur, et quia vinum consecratum, si congeletur, retineat consecrationem; qui autem *negant* materiam validam, multo validiores rationes afferunt: dicunt enim materiam [illegible] esse in statu potus; insuper verba consecrationis designare liquorem, non massam solidam. Ex eo autem, quod vinum consecratum, si congeletur, retineat consecrationem, nil sequitur: nam si vinum consecratum substantia aliqua solida absorbetur, manet consecratum; at vinum a substantia solida absorptum consecrari non potest, sicut nec vinum ex uvis nondum expressum.

110. Vino consecrando **admiscenda est modica aqua,** non ex necessitate sacramenti, sed ex praecepto ecclesiae ratione finis sub gravi obligante[1]).

a. Rationes, ob quas vino consecrando miscenda sit aqua: α. exemplum Christi, qui creditur consecrasse in vino aqua mixto; β. ut significentur aqua et sanguis, quae de latere Christi profluxerunt; γ. ut per vinum et aquam significetur duplex natura Christi; δ. ut per mixtionem aquae et vini significetur unio ecclesiae cum Christo capite et unio inter fideles, quae unio est huius sacramenti effectus.

b. Tam grave theologis videtur esse hocce praeceptum, ut nullum admittant casum, in quo licitum sit celebrare, si praevideatur defectus aquae. Et si quis oblitus esset aquam suo tempore infundere, defectum, si ipsum advertat ante consecrationem calicis, supplere debet, etiam immediate ante consecrationem vini, sed non postea, quia vino consecrato nihil admiscere licet, quod consecratum non sit.

c. Sufficit autem una alterave guttula aquae, et octo vel decem guttas quantitas aquae vino adiectae excedere non deberet, etsi aqua usque ad octavam, immo usque ad quintam partem vini infundi possit, quin materia fiat dubia. Aquae autem quantitas adiecta, quae vini tertiam partem excedit, materiam reddit dubiam, et si vinum non est generosum, etiam invalidam. Quare si [illegible] nimium aquae adiectum fuisset, iterum aliquid vini addendum erit.

[1]) *Concilium trid.* sess. 22. c. 7. De sacrif. miss. Cn. 814.

d. Licet uti aqua acida, gaseosa aut alcalina (Mineralwasser) modo sit naturalis et potabilis[1]).

e. Aqua tandem vino admisceri debet ad altare in ipso calice, nec sufficeret admixtio ante sacrum facta in urceolo, etsi ab ipso sacerdote facta fuisset, quia mixtio ad ritum sacrum pertinet, iuxta quem ex praecepto ecclesiae missae sacrificium offerri debet.

Articulus secundus.

De materia proxima.

Materia *proxima* ab aliis dicitur usus materiae remotae seu panis et vini in consecratione, ab aliis materia remota consecrata seu species, prout continent corpus et sanguinem Christi.

111. Ad valide consecrandum duae condiciones requiruntur: *a.* ut materia consecranda sit physice praesens; *b.* ut determinata sit.

1. Imprimis requiritur, ut materia sacerdoti consecranti sit *physice praesens.* Id patet *ex institutione Christi:* Christus enim apostolis solum dedit potestatem faciendi, quod ipse fecerat in ultima coena; Christus autem consecravit materiam praesentem. Idem postulat *obvius sensus verborum* consecrationis: pronomen enim *hoc* et *hic* non demonstrat nisi materiam praesentem.

Ut physica haec praesentia habeatur, requiritur quidem, ut materia aliquo modo sit coram sacerdote, nec nimis distet, attamen non requiritur, ut a consecrante aliquo sensu percipiatur, sed sufficit, ut prudenti hominum iudicio per pronomina *hoc* et *hic* sufficienter demonstrari possit.

a. Hinc valide consecrantur hostiae omnes, quae in calice congestae reperiuntur, licet inferiores videri non possint; item, quod praesentiam attinet, particulae in ciborio clauso vel palla cooperto, vinum in calice non detecto; immo etiam vinum in vase vel panis in canistro clauso: materia enim ratione vasis, quo continetur et quod ad ipsam continendam destinatur, physice satis praesens est, ut per verba *hoc* et *hic* demonstrari possit. Usus enim communis habet, ut continens et contentum per modum unius demonstretur pronomine *hoc,* ut cum de pecunia in crumena exsistente dicimus: *hoc est aurum* et de liquore

[1]) *S. Officium* 11. aug. 1904.

in poculo clauso: *hoc est vinum*. Et haec quidem certa sunt, quamob rem non est iteranda consecratio, si e. g. pyxis ex oblivione inter consecrationem clausa mansisset.

b. At non valeret consecratio, si materia (etiam sciente sacerdote) esset post altare vel post tabulam, quae dicitur canonis, vel a tergo consecrantis, quia non est ita praesens, ut per pronomen *hoc* et *hic* demonstrari possit: corpus enim, quod interponitur, impedit, quominus ita demonstrari possit. Ex eadem ratione, scilicet ex defectu praesentiae, valide consecrari nequit materia, quae ultra decem (alii dicunt viginti) passus distat. Si hostia lateret sub corporali vel in missali, vel si lateret sub mappa altaris vel sub cussino vel sub pede calicis, dubia esset consecratio, quia hostia ibi latens vix satis demonstrari potest per pronomen *hoc*. Et licet valide consecretur hostia exsistens in tabernaculo aperto, saltem dubia esset consecratio, si tabernaculum foret clausum.

112. 2. Deinde requiritur, ut materia consecranda *per intentionem* actualem vel virtualem consecrantis in individuo *determinata* sit: nam quaelibet actio determinatum terminum habere debet, circa quem versetur; insuper pronomine *hoc* et *hic* designari nequit nisi materia determinata. Sicut ergo ad consecrandum requiritur intentio consecrandi, ita ad consecrandam determinatam materiam requiritur intentio illam determinate consecrandi.

a. Quod ergo nullo modo neque explicite neque implicite per intentionem sacerdotis determinatum est obiectum consecrationis, non consecratur; quod autem aliquo modo saltem implicite (e. g. quod manibus teneo, quod in corporali est) per intentionem determinatum est obiectum consecrationis, consecrari censetur.

b. Hinc si sacerdos post consecrationem advertat plures adesse hostias sive a se sive ab alio appositas quam putaverat, nullum est dubium, quin omnes sint consecratae, quia intentionem habuit actualem vel virtualem consecrandi materiam praesentem; error autem consecrantis de quantitate materiae non impedit determinatam intentionem.

c. Si autem ex integro cumulo hostiarum solum quinque vel mediam tantummodo partem consecrare vellet, nulla esset consecrata. Pariter non sunt consecratae hostiae, quae inscio sacerdote in altari vel etiam in corporali positae sunt, si ipse non habuit intentionem consecrandi quidquid consecrabile est in corporali vel altari.

113. Ad licite consecrandum requiritur, ut materia sit *a.* in altari, *b.* super corporali, *c.* in lapide consecrato,

d. vel immediate in corporali vel in manibus consecrantis vel in vase sacro eoque aperto.

Ideo si sacerdote in altari portatili celebrante hostiae parvae non nude in corporali, sed in ciborio exsistant, hoc inter consecrationem ita collocandum est, ut pedis saltem aliqua pars in lapide consecrato consistat. De hac tamen re non sunt iniiciendi scrupuli, modo ciborium sit in corporali. — Hinc graviter peccaret sacerdos, qui sciens consecraret materiam, quae sit extra altare vel extra corporale vel in vase non sacro; et venialiter peccaret, qui voluntarie vas sacrum non aperiret.

114. Quaestiones de consecratione. 1. Ut compluribus quaestionibus de hac re solvendis via paretur, haec notentur. Supposita apta praesentia materiae consecrandae res tota essentialiter dependet ab intentione consecrantis, qua materia consecranda in individuo determinatur. Porro quilibet sacerdos celebraturus imprimis intentionem habet celebrandi, quae natura sua est intentio consecrandi prout Christus instituit et ecclesia intendit. Iam quaeritur quaenam sit vis et efficacia huius intentionis.

a. Haec intentio est et debet esse *absoluta,* nec aliqua condicione licite restringi potest, nisi de valore consecrationis dubitetur.

Sunt, qui opinentur intentionem consecrantis et universim conficientis sacramentum semper esse condicionatam, cum praesumendum sit consecrantem et generatim eum, qui conficit sacramentum, nolle consecrare vel conficere sacramentum, nisi id sine peccato (materiali) fieri possit. Verum hoc principium admitti nequit, quin in praxi sequantur multa et gravia incommoda, quae omnino vitari debent. Etenim si fingimus sacerdotem ex inadvertentia uti calice non consecrato vel baptizare in aqua notabiliter faeculenta, nulla est consecratio et nullum pariter est baptisma, quin sacerdos vel fideles de nullitate sacramenti quidquam sciant. Quae quidem certo sunt incommoda graviter illicita. Et haec est ratio, propter quam intentio consecrandi debet esse absoluta, nisi dubium sit de valore consecrationis[1]).

b. Vi huius intentionis solum consecratur *hostia,* quae in manibus sacerdotis, et *vinum,* quod in calice reperitur; at vi huius intentionis non consecratur etiam particula,

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 856 ss.

quae sive inscio celebrante sive ipso advertente, verum de eius consecratione non cogitante, in corporali posita est.

c. Vi huius intentionis probabiliter non consecratur nisi materia, quae sensibus exhibet *unum continuum:* etenim supponi nequit hanc esse mentem ecclesiae, ut etiam id consecretur, quod sine manifesto dispersionis ideoque irreverentiae periculo consecrari nequit.

2. Praeter hanc intentionem generalem celebrandi sacerdos expresse formare potest intentionem consecrandi insuper aliam materiam e. g. particulas, quae in corporali positae sunt vel in ciborio continentur. Etiam haec intentio est et esse debet absoluta neque ulla condicione restricta, nisi de valore consecrationis dubium sit. Porro vi huius intentionis sive ante sacrum sive in sacro expresse elicitae valide consecratur quaevis materia, ad quam intentio illa refertur, etsi sacerdos in actu consecrationis ad illam non advertat, modo sit physice praesens in ara. Duplex enim condicio, quae ad validam consecrationem requiritur, sine dubio in hoc casu adest, cum materia consecranda ex suppositione sit praesens et intentio explicite formata eam consecrandi in actu consecrationis virtualiter perduret. Intentionem autem consecrandi expresse elicere censetur quivis sacerdos, qui vel ipse particulas defert ad aram, ut eas postea consecret, vel qui intra missam advertens ciborium consecrandum poni in ara, hoc consecrare proponit, vel qui ante sacrum monetur de ciborio in missa consecrando et annuit, etsi postea ad illud non advertat: eo ipso enim, quod de consecratione monitus annuit, intentionem elicit consecrandi particulas in ara ponendas.

115. Corollaria ex praemissis declarationibus.

1. *Guttulae vini interius calici adhaerentes*, si sacerdos circa eas peculiarem intentionem non elicit, non videntur esse consecratae: nam intentio generalis celebrandi ideoque consecrandi restringitur ad materiam, quae per modum unius continui tempore consecrationis est in calice.

Guttulae vini exterius calici adhaerentes certo non consecrantur tum ex eadem ratione modo allata tum ideo, quia intentio celebrandi certo non se extendit ad consecrandam eiusmodi materiam, quae propter manifestum periculum irreverentiae non est decenter consecrabilis.

Cum plane certum non sit, utrum guttae vini interius calici adhaerentes sint an non sint consecratae, nisi sacerdos de iis peculiarem intentionem habuerit, post consecrationem guttulae illae nullatenus abstergendae, sed vel cum pretiosissimo sanguine vel cum purificatione sumendae sunt. Quodsi ante consecrationem deprehendantur, aut cum materia consecranda uniendae aut abstergendae sunt, si commode fieri potest.

2. *Micae panis,* quae ab hostia divulsae tempore consecrationis hostiae adhaerent, pariter non videntur esse consecratae, quia intentio sacerdotis videtur restringi ad materiam, quae exhibet unum continuum. Micae, quae ab hostia separatae vel in corporali vel in ciborio exsistunt, non sunt consecratae, si sacerdos circa eas nihil expresse intendit: nam intentio consecrandi praesentem materiam ad micas separatas propter periculum irreverentiae non protenditur.

3. *Ciborium in corporali* positum, quod tempore consecrationis ex inadvertentia clausum mansit, consecratum est, si in consecrante fuit sufficiens intentio illud consecrandi; at si circa illud neque explicite neque implicite quidquam intendit, non censetur consecratum, quia per intentionem generalem celebrandi ciborium non determinatur obiectum consecrationis.

4. *Ciborium,* quod tempore consecrationis ex oblivione *extra corporale* mansit, ex intentione virtualiter perdurante censeri debet consecratum, modo sacerdos antea explicitam vel implicitam intentionem illud consecrandi habuerit.

Sunt, qui dubitent, num huiusmodi ciborium consecratum sit: censent enim in hoc casu consecrantem non habere intentionem consecrandi, etsi antea illam elicuerit, quia consecratio obiective graviter illicita est. Haec opinio fundatur in hocce principio, intentionem celebrantis non esse absolutam sed condicionatam, scilicet praesumen-

dum esse consecrantem nolle consecrare, nisi id sine peccato fieri possit; verum hoc admittendum non est (n. 113).

Nota. Ad dubia de consecratione praecavenda nonnulli auctores neosacerdotibus recte consulunt, ut semel pro semper intentiones eliciant: *a.* consecrandi omnes hostias in corporali positas; *b.* consecrandi guttas vini interius calici adhaerentes, ne cum sacro sanguine misceantur guttae non consecratae; *c.* non consecrandi micas hostiae adhaerentes; *d.* non consecrandi micas ab hostia separatas, sive sunt in corporali sive in ciborio. Elicitis hisce intentionibus certum est vi intentionis celebrandi praeter hostias in corporali positas non consecrari nisi id, quod per modum unius continui in hostia vel in calice exsistit, et guttas calici interius adhaerentes.

116. De particulis consecrandis in ara ponendis. Hostiae in sacro consecrandae initio missae in ara ponendae sunt vel saltem, nisi iusta causa excuset, ad offertorium adesse debent, ut cum materia sacrificii, quacum consecrantur, simul etiam offerantur. Ex rationabili causa licite consecrari possunt hostiae, quae afferantur post offertorium, dummodo adsint ante praefationem et earum oblatio mentalis fiat. Ex gravi causa (si e. g. alias unus vel plures sine communione manerent vel nimis diu exspectare deberent) consecrari possunt etiam hostiae post praefationem sed ante inceptum canonem allatae, et ex gravissima causa (e. g. ad communicandum infirmum vel si alias magna multitudo fidelium non sine offensione aut communione privaretur aut nimis diu exspectare deberet) hostiae etiam incepto iam canone ante consecrationem panis allatae licite consecrari possunt. Si tamen alias unus tantum dimittendus esset sine communione, coepto iam canone non amplius pro ipso consecranda esset hostia, sed potius particula ex hostia sacerdotis detracta ei porrigenda esset.

Ratio huius praescriptionis desumenda est ex ordine missae, qui post ritus praeparatorios duas partes continet, oblationem et consecrationem cum communione. Iam vero actus liturgicus oblationis incipit ab offertorio et terminatur orationibus secretis; actus vero liturgicus consecrationis incipit a praefatione. Hinc ordo missae pervertitur, si post inceptam oblationem materia consecranda adhuc offerenda

ad aram defertur, quae quidem ordinis perversio eo maior est, quo serius materia allata fuerit. Inde est, quod ante praefationem materia consecranda ex rationabili causa adhuc admittatur, quia actus liturgicus consecrationis nondum inchoatus est; post coeptam vero praefationem solum ex gravi causa admittitur, quia actus liturgicus consecrationis quidem iam incepit, at solum per introductoriam praefationem in actum consecrationis; coepto autem canone alii materiam consecrandam nullo modo, alii solum ex gravissima causa admittunt, quia canon iam ad ipsum actum liturgicum consecrationis pertinet.

117. Quantitas consecranda. Quemadmodum quantitas panis vinive quaecumque etiam valde magna *valide* consecratur, dummodo per pronomen *hoc* sufficienter demonstrari possit, ita etiam quantitas quaecunque licet minima (mica panis vel guttula vini) valide consecratur, dummodo humano sensu percipi possit. Materia autem adeo minutissima, quae humano sensu non percipiatur, valide consecrari nequit, tum quia talis materia pronomine *hoc* demonstrari non potest, tum quia sacramentum generatim est signum sensibile, quod igitur suapte natura postulat materiam sensibilem. Ad *licitam* autem consecrationem requiritur ea panis vel vini quantitas, quae fini, usui et reverentiae tanti sacramenti convenit.

118. Notae. 1. *Si particulae dubie consecratae sunt,* in alio sacro iterum sub condicione consecrandae vel a sacerdote ante purificationem sumendae vel tandem distincto vasi inclusae in tabernaculo reponendae sunt, donec corrumpantur, nullatenus autem iis, qui communionem iam receperunt, distribui possunt propter periculum idololatriae materialis. Licet etiam post consecrationem sive hostiae maioris sive calicis verba consecrationis condicionate super eas proferre, quia sic non inchoatur novum sacrificium (n. 103, 2).

2. *Si particulis consecratis miscentur non consecratae,* totus cumulus ad altare deferendus et consecrandus est vel cum intentione consecrandi particulas non consecratas

vel cum intentione totum cumulum consecrandi sub condicione, si non sint consecratae[1]). — Item si vino consecrato admisceatur vinum non consecratum, tota quantitas, quae in calicc continetur, consecranda est intentione consecrandi, quod in calice consecratum non est, vel quod in calice consecrabile est.

Censet tamen *de Lugo* priorem modum non sufficere, quia hostiae consecrandae non sunt per intentionem consecrantis satis determinatae, ut pronomine *hoc* demonstrari possint. Verum sicut nihil impedit, quominus simul cum aliis sub condicione consecrari possint, quia omnes per modum unius praesentes sunt et demonstrari possunt, ita nihil impedit, quominus consecrari possit, quidquid non consecratum est in ciborio, quia hoc ipsum per pronomen *hoc* sufficienter designari potest. Quamvis enim ipse homo hanc materiam [illegible] cognoscat et proinde nec designare possit, ipsa tamen de facto adest et obiective designari potest.

Quaestio tertia.

De forma eucharistiae.

119. Formam consecrandi panis constituunt verba, quibus Christus Dominus in ultima coena consecravit et hocce sacramentum institut; *hoc est (enim) corpus meum.* Haec verba *omnia* (excepta particula *enim*) et haec *sola* in consecratione panis sunt essentialia, quia haec sola complete significant, quod in consecratione efficitur, nempe praesentiam corporis Christi, et pariter omnia ad hoc significandum requiruntur. Si quis igitur vel unum horum verborum omitteret (e. g. *est* vel *meum*) aut substantialiter mutaret, valide non consecraret. Alia autem praeter haec, sive praecedentia sive subsequentia, ad consecrationem essentialiter et necessario non requiruntur.

Opinatus fuerat *Scotus* illa verba: *Qui pridie* etc. ad ipsam consecrationem essentialiter quidem non requiri, sed tamen necessario praemittenda esse, ut verba formae in persona Christi proferri intelligantur et sic constet sacerdotem non proprium sed corpus Christi significare velle. At vero sacerdotem loqui in persona Christi non ex illis verbis sed ex eius intentione constat: eo ipso enim, quod sacerdos celebrare intendit, habet intentionem verbis consecrationis competentem et loquitur in persona Christi[2]).

[1]) *S. Alphonus* n. 216. *Lugo*, De euchar. disp. 4. n. 133 ss.

[2]) Cf. *Lugo*, De eucharistia disp. 11. n. 39.

120. Formam consecrandi vini pariter constituunt verba Christi: *hic est (enim) calix sanguinis mei* vel *hic est sanguis meus.* Et haec quidem *sola* in consecratione calicis sunt essentialia, quia haec sola iam perfecte significant et efficiunt sacramentum, scilicet praesentiam sanguinis sub speciebus vini. Hinc verba, quae sequuntur: *novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* non sunt de essentia consecrationis et reipsa in aliis liturgiis, praesertim orientalibus, vel pleraque vel omnia desunt, nec referuntur a *s. Paulo*, qui sine dubio formam validam conscripsit[1]). Necessario autem addenda sunt ex praecepto ecclesiae, adeo ut voluntaria eorum omissio vel notabilis mutatio grave peccatum sit.

a. Qui in consecratione solum prima verba essentialia protulisset, non debet necessario integram formam repetere, quia consecratio certo valida est; neque auctorum sententia contraria, quae omni fundamento carere videtur, consecrationem reddit vere dubiam. Cum tamen complures auctores de consecratione dubitent, si aut omnia verba post essentialia omittantur, aut sola haec: *qui . . . effundetur* etc., consecrationem repetere *licet*, quamvis necessarium non sit[2]).

b. Verba, quae in consecratione panis adhibentur, desumpta sunt ex evangelio *s. Matthaei* (26, 26), et particula *enim*, qua cum praecedentibus connectuntur, inserta est ex usu ecclesiae romanae. Verba, quae in consecratione vini adhibentur, desumpta sunt ex diversis s. scripturae locis praeter verba: *aeterni* et *mysterium fidei*, quae a Domino per apostolos ad ecclesiam pervenerunt.

121. Verba consecrationis proferri debent:

1. *Recitative* seu materialiter i. e. narrando historice, quid Christus Dominus fecerit et dixerit: ex contextu enim canonis constat sacerdotem illa verba edicere tamquam ab alio, scilicet ab ipso Christo prolata.

2. *Significative* seu formaliter i. e. ita, ut sacerdos ipse affirmet, hoc esse corpus Christi: si enim solum materialiter verba proferret, ad eorum veritatem non requireretur praesentia corporis et sanguinis Christi.

---

[1]) Cf. 1. Cor. 11, 25.

[2]) Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 129. (n. 172.)

3. *Practice,* non speculative tantum i. e. cum intentione per verba consecrationis efficiendi, ut ibi realiter adsit corpus et sanguis Christi.

Ceterum necesse non est, ut celebrans omnes hos sensus expresse intendat, sicut necesse [illegible] est, ut determinate intendat consecrare sive per sola verba essentialia sive per omnia verba formae, sed sufficit, ut se conformet menti ecclesiae. Immo ad praecavendos errores et scrupulos consulendum est, ut celebrans in omnibus intendat, quod vult et intendit ecclesia; nomine autem ecclesiae intelligitur corpus morale fidelium, cuius caput est ipse Christus, sacramentorum institutor, qui proinde optime novit, quaenam verba consecrationem efficiant et quamnam materiam in corpus et sanguinem suum illa convertant.

122. Verba consecrationis proferenda sunt **sine mutatione tum substantiali tum accidentali:** mutatio enim substantialis consecrationem redderet invalidam, accidentalis vero illicitam.

In forma *hoc* et *hic* imprimis demonstrative significat rem praesentem et quoad obiectum demonstratum significat: rem, substantiam, quae sub his speciebus continetur. Ergo *hic* in secunda forma non significat adverbialiter *heic — in hoc loco. Est* significat hanc rem praesentem esse corpus et sanguinem Christi, ergo conversionem eamque permanentem significat, dum econtra *sit, fit* ipsam actionem conversionis tantum significat. *Corpus* et *sanguis* significant id, quod vi verborum praesens fit in eucharistia, ipsum corpus et sanguinem, non item animam et divinitatem, quae non vi verborum constituuntur praesentes sub speciebus.

a. Invalidae sunt formae propter mutationem substantialem: α. *Hic* (adverbialiter i. e. hoc loco pro: *substantia contenta sub his speciebus) est corpus meum* et *sanguis meus;* β. *hoc est substantia mea:* nam substantia Christi etiam animam significat, quae vi verborum non fit praesens sub speciebus; γ. *hoc corpus est meum, hic sanguis est meus:* nam haec verba non significant transsubstantiationem, sed: *hoc corpus ad me pertinet,* nisi intentione loquentis corpus sumatur ut praedicatum; δ. *hoc sit, fit, fiat corpus meum, sanguis meus;* ε. *hoc est corpus Christi, hic est calix sanguinis divini.*

Dubiae sunt formae: α. *istud est corpus meum; ille est sanguis meus,* quia non satis constat, num pronomen *istud* significet [illegible] loquenti praesentem; — *illud* autem rem non praesentem, sed remotam significat, quare haec altera forma invalida esse videtur; β. *haec est caro mea:* caro enim per se non significat totum id, quod corpus significat, nisi loquens termino *caro* idem significare velit.

Validae sunt formae: α. *Hoc est meum corpus, hoc meum est corpus;* β. *hic cibus est corpus meum; hic potus est sanguis meus;* γ. *hic est calix novum testamentum in sanguine meo,* ut habet Lucas 22, 20[1]); δ. *hoc est enim calix sanguinis mei,* quia haec forma eundem sensum habet.

b. Modica [illegible] accidentalis mutatio formam non reddit quidem invalidam, sed tamen plerumque graviter illicitam: in hoc enim tanto sacramento fere omnis voluntaria formae mutatio sub gravi cavenda est. Tamen vocem *enim* omittere veniale esset; pariter, ut monet *Lehmkuhl* (n. 128), ex negligenti pronuntiatione, non ex defectu linguae balbutientis, corrumpere *est* in *es, corpus* in *copus, meum* in *meu, calix* in *calis, sanguinis* in *sanguis* a veniali excusari nequit.

c. Sed tamen nihil repetere debet, qui sive inculpabiliter ob lapsum vel vitium linguae, sive culpabiliter ob negligentiam in pronuntiatione formam consecrationis leviter tantum mutavit: consecratio enim certo valida est.

Nota. Tandem pro praxi notandum est, quod habet rubrica: „Si celebrans non recordetur se dixisse, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari"[2]). Quare si propter distractionem tempore consecrationis occurrentem dubium oriatur de valore consecrationis, formam repetere plerumque nec necessarium [illegible] licitum est. Si tamen aliquando consecrationis verba repetenda sint propter errorem certum aut valde probabilem, et error aliquo tempore post consecrationem deprehendatur, incipiendum est ab illis verbis: *Qui pridie etc.;* si autem in ipsa consecratione error deprehendatur, sola forma repetitur.

Quaestio quarta.

De ministro eucharistiae.

Articulus primus.

De potestate ministrandi eucharistiam.

123. *Minister* eucharistiae duplex distinguitur, minister *consecrationis* et minister *dispensationis.* In ministro con-

[1]) Cf. etiam 1. Cor. 11, 25.

[2]) *Missale rom.* De defectib. V. 2.

secrationis ad valide consecrandum *potestas ordinis*, in ministro autem dispensationis ad licite dispensandam eucharistiam duplex *potestas* requiritur, potestas *ordinis* et *iurisdictionis*. Duplicem hanc potestatem in ministro dispensationis solum ad licite administrandam eucharistiam requiri, patet: valide enim a quolibet dispensari potest.

124. **De ministro consecrationis.** *Soli sacerdotes sunt ministri consecrandae* eucharistiae: *solis* enim sacerdotibus concessa est potestas consecrandi his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*[1]), quae verba ad apostolos eorumque in sacerdotio successores dicta sunt; et concilium lateranense IV. definit: „hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus“[2]). Haec autem potestas, utpote cohaerens cum charactere sacerdotali, competit *omni* sacerdoti, etiam haeretico, schismatico, excommunicato, suspenso vel alio impedimento canonico irretito.

Si plures simul eandem materiam consecrant, quod fit in ordinatione neopresbyterorum, formam simul absolvere curent: etenim si unus formam ante reliquos absolvit et intentionem habet independenter a reliquis consecrandi, ipse solus consecrat. Ideo ordinandis neopresbyteris solet dici eos curare debere, aut ut formam simul cum episcopo absolvant, aut ut intentionem habeant non consecrandi, si ante episcopum formam absolverint[3]). Verum haec monitio superflua est: [illegible] enim sint *con*celebrantes, ex rei natura intentionem habent *consecrandi cum episcopo* i. e. consecrandi quidem, sed non nisi cum episcopo. Quam intentionem eo ipso habent, quod ordinem suscipere volunt iuxta ritum sanctae romanae ecclesiae, neque alia intentione indigent, immo ut anxietates et scrupuli arceantur, alia intentio eis suaderi non debet.

125. **De ministro dispensationis.** Minister *dispensandae* eucharistiae alter est ordinarius, alter extraordinarius.

1. *Minister ordinarius* dispensandae eucharistiae est solus *sacerdos:* iisdem enim verbis, quibus data est po-

---

[1]) Luc. 22, 19. Cf. *Concilium trid.* sess. 22. c. 1. et can. 2. De sacrif. miss. Codex i. c. cn. 802.

[2]) C. Firmiter 1. *De summa Trinitate* (I. 1).

[3]) Cf. *Lugo*, De eucharist. disp. 11. sect. 8.

testas consecrandi, simul etiam concessa est potestas dispensandi, siquidem Christus consecrans et dispensans dixit: *hoc facite in meam commemorationem*. Hinc concilium tridentinum affirmat ex apostolica traditione descendere, „ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent“ [1]).

2. *Minister extraordinarius* dispensandae eucharistiae ex delegatione sacerdotis in casu necessitatis est *diaconus:* siquidem diaconi vi ordinationis potestatem habent distribuendi s. communionem; quare iam in primitiva ecclesia ex commissione episcoporum et presbyterorum eucharistiam dispensabant.

a. Diacono *ex ordinatione* competere videtur, ut possit eucharistiam ministrare: ad hoc enim ordinatur, ut sit immediatus minister sacerdotis in iis, quae pertinent ad ss. eucharistiam; horum autem praecipuum est eius distributio. Ex hodierna tamen praxi ecclesiae, ut diaconus licite eam ministret, licentia ordinarii loci vel parochi, ex gravi causa concedenda, requiritur, quae licentia in casu necessitatis legitime praesumitur [2]).

b. Causa non debet esse gravissima, ut si infirmus alias sine viatico decederet, sed sufficit, ut sit gravis vel congrua seu ut nullus adsit sacerdos, qui commode eucharistiam distribuere possit, ut ubi parochus confessionibus excipiendis, contione habenda vel aliis functionibus ecclesiasticis, quae commode differri nequeant, impediatur. In gravissima autem necessitate, quando nimirum alias moribundus sine viatico decederet, potest et debet diaconus etiam sine expressa delegatione sacramentum ministrare [3]).

c. Si diaconus eucharistiam dispensat, omnia eodem ritu iisdemque verbis peragit ut sacerdos, praeterquam quod stolam transversam habet et in fine populo non benedicit. Potest ergo ad *Indulgentiam* communicantem vel semetipsum signare signo crucis: potest infirmum et populum cum pyxide (non autem manu absque sacramento) benedicere. „Minister enim benedictionis eucharisticae est solus sacerdos, nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu, quo viaticum ad infirmum detulerit“ [4]).

---

[1]) Sess. 13. c. 8.

[2]) Cn 845, 2.

[3]) Cf. *Bucceroni*, Casus consc. n. 117

[4]) S. C. R. 14. aug. 1858 n. 3074. Cn 1274, 2.

3. Immo in gravissima necessitate moribundi posset, absente sacerdote et diacono, etiam *subdiaconus* vel *clericus*, et si absque scandalo fieri posset, etiam *laicus* moribundo viaticum deferre et ministrare. Id probabiliter permittunt complures auctores, et recte quidem, cum praeceptum divinum sumendi in morte eucharistiam praevaleat praecepto humano, quod prohibet, ne a laico tangatur aut deferatur ss. sacramentum. Quod quidem eo facilius concedendum est, quod constet olim laicos ss. eucharistiam in manus sumpsisse eamque postea sumendam secum domum detulisse[1]).

a. Notum est in persecutione Parisiensi eucharistiam per feminas delatam fuisse sacerdotibus in carceribus detentis.

b. Ubi in communicando infirmo peculiaris dexteritas requiritur, sacerdos mulieri, puta sorori caritatis infirmo ministranti, committere potest, ut cochleari viaticum porrigat.

4. Qui non est sacerdos, non potest licite *se ipse communicare* nisi in casu necessitatis, nec sacerdos praesente alio sacerdote nisi in sacro.

a. Tum sacerdos tum diaconus absente alio sacerdote potest non solum necessitatis, sed etiam devotionis causa hoc sacramentum sibi ministrare: sacerdos enim et diaconus, solum si adsit alius sacerdos vel diaconus, se ipse communicare prohibetur.

b. Laicus potest in casu necessitatis, si nempe in periculo mortis nullus adsit sacerdos vel diaconus, viaticum sibi ministrare; urget enim praeceptum divinum communicandi, quare lex ecclesiastica, si qua obstet, in his adiunctis cessat.

126. De potestate iurisdictionis. Ad licite administrandam eucharistiam insuper requiritur *iurisdictio* vel *ordinaria* vel *delegata:* pascere enim gregem Christi proprium est pastorum ius et officium; pascitur autem praecipue administratione sacramentorum. Qui ergo sine omni facultate seu iurisdictione eucharistiam dispensat, graviter peccat, quia ius pastoris in re gravi violat; et clerici diaconis inferiores, qui sine omni prorsus facultate eucharistiam dispensant, insuper contrahunt irregularitatem propter abusum sacri ordinis.

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 237. *Burghaber*, Casuum consc. centuriae tres Centur. III. cas. 69.

Iurisdictio *ordinaria* dispensandi eucharistiam convenit: *a. episcopis* in sua dioecesi; *b. parochis* in sua parochia; *c. praelatis regularibus* respectu suorum subditorum, quorum ipsi sunt quasi-pastores.

1. *Potestas sacerdotis. a. Intra missam* quilibet sacerdos, et si privatim celebrat etiam immediate ante et post missam, tum in ecclesia vel oratorio publico tum in oratorio privato s. communionem distribuere potest, nisi Ordinarius distributionem in oratorio privato prohibuerit[1]).

b. Etiam *extra missam* quilibet sacerdos hanc facultatem habet, ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus[2]).

Facultas ista *non est praesumenda,* ubi agitur de communione ex obligatione suscipienda: de communione paschali vel de sacro viatico, neque si agitur de prima communione puerorum.

2. *Ius parochi. a.* Sacram *communionem publice* deferre ad infirmos, etiam non parochianos, intra suum territorium pertinet ad parochum. Quare ceteri sacerdotes id solum possunt in casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii[3]).

b. Viaticum sive publice sive privatim deferre ad infirmos, pertinet ad porochum.

Si tamen infirmus viatico reficiendus esset et parochus absens illud administrare non posset aut praesens iniuste administrare nollet, quilibet sacerdos sive saecularis sive regularis, et in horum defectu etiam diaconus ex potestate parochi vel episcopi vel ecclesiae rationabiliter praesumpta, licite posset viaticum ad moribundum deferre.

Episcopo decumbenti sacramenta ministrant canonici[4]).

127. De potestate regularibus delegata. 1. Possunt regulares, vi privilegii summorum pontificum, in suis ecclesiis vel oratoriis tum per se tum per alios sacerdotes fidelibus quibuscunque eucharistiam dispensare, *etiam in die paschatis:* etenim lex antiqua, qua regularibus administratio s. communionis in suis ecclesiis hac die prohibita erat[5]), nunc abrogata est[6]).

---

[1]) Cn 846. 869. [2]) Cn 846. [3]) Cn 848.
[4]) Cn 397, 3. [5]) S. C. C. 31. ian. 1682. [6]) S. C. C. 28. nov. 1912.

a. Eo die prohibita erat non solum dispensatio eucharistiae, qua fideles satisfacerent praecepto annuae communionis, sed eius etiam, quam devotionis causa sumebant, Manet prohibitio sumendi s. communionem praeceptam in ecclesiis regularium sive die paschatis, sive alio quocumque die, nisi per contrariam consuetudinem prohibitio ablata sit; licet autem s. communionem devotionis causa in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus quocumque die suscipere, etiam in die paschatis.

b. S. communionem praeceptam tum die paschatis, tum aliis diebus, religiosi praebere possunt fidelibus omnibus in iis regionibus, ubi praecepto sumendi s. communionem paschalem in propria parochia per contrariam consuetudinem derogatum est. Insuper iis omnibus, qui privilegium exemptionis participant, cuiusmodi sunt, praeter novitios, familares i. e. illi saeculares, „qui sunt de regularium familia ac continui eorum commensales", quibus accensendi sunt alumni convictores.

2. *a.* „In omni *religione clericali* ius et officium superioribus est aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, viaticum et extremam unctionem ministrandi".

b. In *monialium* domibus idem ius et officium habet ordinarius confessarius, vel qui vices eius gerit.

c. In *religione laicali* hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad capellanum, quem ordinarius parocho suffecerit.[1])

Etsi regularibus non liceat ad infirmos publice deferre s. communionem, quia eucharistiam publice per plateas deferre est proprium ius parochiale; licite tamen s. communionem privatim eis dare possunt, prout sacerdotibus id licet (n. 132).

128. Renovatio specierum. Hostiae consecratae *frequenter*[2]) i. e. singulis quindecim diebus vel saltem singulis mensibus renovandae sunt, nisi adiuncta loci et temporis frequentiorem renovationem exigant. Quare singulis vicibus non plures particulae consecrari debent, quam spatio quindecim dierum vel ad summum unius mensis

[1]) Cn 514.

[2]) *Rituale rom.* tit. 4. c. 1. n. 7.

consumantur. Quoad renovationem idem de maiore quoque hostia in ostensorio exposita valet.

a. Attenta littera legis particulae singulis hebdomadis renovandae sunt[1]); nihilominus Romae approbata sunt concilia provincialia, quae non exigunt, nisi ut renovatio ordinarie alternis hebdomadis fiat, nullibi autem ultra mensem differatur. Toties nempe renovandae sunt species, quoties prae locorum condicione necessarium est, ut omne corruptionis periculum caveatur; servata autem hac regula corruptionis periculum sufficienter cavetur, modo hostiae non reperiantur in loco humido vel calido. Quodsi locus, in quo servantur hostiae, sit valde calidus vel humidus, frequentior renovatio (saltem singulis hebdomadis) necessaria est, quia constat species in eiusmodi locis iam post paucos dies incipere mucidas fieri[2]).

b. Haec statuta supponunt hostias, quae consecrantur, esse recentes. Graviter ergo peccat, qui renovationem ad longum tempus (ad duos menses, et si locus humidus est, ad mensem) differt; item qui consecrat hostias, quae non amplius sunt recentes, earumque renovationem ultra mensem diu differt.

Articulus secundus.

De modo ministrandi eucharistiam.

Ex praescripto ecclesiae eucharistia administrari debet: *a.* tempore debito; *b.* loco convenienti et *c.* ritu ecclesiae consueto.

129. Tempus debitum. 1. Nemini licet pluries eadem die ss. eucharistiam recipere, excepto casu viatici pro eo, qui eadem die s. communionem ex devotione iam recepit[3]) (n. 138).

2. Eucharistia dispensari potest *omnibus diebus* exceptis feria VI. maioris hebdomadae, ex parte etiam sabbato sancto[4]) et nocte nativitatis Domini[5]), nisi adsit privilegium.

Institutis religiosis, piis locis, clericorum seminariis, ubi ss. eucharistia habitualiter servatur, concessum est privilegium nocte Nativitatis cum missarum celebratione etiam eucharistiam pententibus distribuendi[6]).

---

[1]) S. C. R. 12. sept. 1894 n. 3621.
[2]) Cf. *Olfers*, Pastoralmedizin[3] S. 219.
[3]) Cn. 857. [4]) Cn. 867. [5]) S. C. R. 7. dec. 1641 n. 781.
[6]) S. Offic. 1. aug. 1907 et 26. nov. 1908. Cn. 821, 3.

3. Non licet eucharistiam deferre *noctu* nisi necessitas urgeat[1]).

Licet ss. sacramentum, si opus sit, noctu deferre ad aegrotum intra domesticos parietes monasterii vel seminarii etc. decumbentem, qui sine gravi incommodo diutius ieiunus manere non potest: prohibitio enim ritualis solum refertur ad delationem publicam per plateas loci.

Episcopus, si opus sit, dispensando permittere potest, ut eucharistia noctu per plateas deferatur ad aegrotum, qui a longo tempore non communicavit nec diutius ieiunus manere potest. Immo, nisi obstet specialis prohibitio, ipse parochus propria auctoritate id facere potest: adest enim sufficiens causa ab hac prohibitione excusans, ne fideles longo tempore priventur sacra communione.

Si opus sit: quia nunc ex privilegio ecclesiae infirmis plerumque etiam non ieiunis s. communio ministrari potest.

4. *Feria VI.* maioris hebdomadae solum s. viaticum ad infirmos deferre licet, quod quovis die et quavis hora sive diei sive noctis administrari potest.

5. *Sabbato sancto* s. communio fidelibus administrari nequit nisi inter missarum sollemnia vel immediate post ea expleta.[2])

Hisce non videtur sublata licentia recipiendi s. communionem iis (plerumque operariis) concessa, qui maiore hebdomada spiritualia exercitia peragunt eisque ipso sabbato sancto mane finem imponunt.[3])

6. S. communio iis tantum *horis* distribuatur, quibus missae celebrari possunt, nisi rationabilis causa aliud suadeat.

Ergo diebus magni concursus, indulgentiae plenariae, iubilaei, missionum et similibus licet ieiunis etiam una vel altera hora post meridiem, immo excluso scandalo etiam vespere s. communionem ministrare.

7. Ut eucharistia communicantibus *intra missam* distribuatur, et rei naturae et voluntati ecclesiae valde conveniens est; ex consuetudine vero, quae iam diu ubique invaluit, etiam extra missam et immediate ante vel post missam licite dispensatur.

130. Locus conveniens. Eucharistia dispensari potest *in ecclesia* et *in omnibus oratoriis,* in quibus missae sacrificium offerri potest, etiam in oratoriis privatis.[4])

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 4 c. 4. n. 10. Cn. 867, 4. [2]) 867, 3.
[3]) *Gury-Ferreres* II. n. 297. [4]) S. C. R. 8. maii. 1907 Cc 861

131. De ritu praescripto. *Ritum* in distribuenda s. communione servandum accurate describit rituale romanum[1]); hic notandum est, quale peccatum committat, qui a praescriptis liturgicis recedit.

1. *Sine ulla veste sacra* eucharistiam dispensare, nisi excuset necessitas, grave peccatum est; sine veste sacra deferre eucharistiam ad aliud altare, *omittere* vel solam *stolam* vel solum *superpelliceum, sine lumine* eam administrare, *omittere preces,* vel antecedentes vel subsequentes, veniale est.

Urgente necessitate licet eucharistiam ministrare sine lumine et sine veste sacra: praestat enim, ut apparatus externus, quo ss. sacramentum administrari debet, omittatur, quam ut moribundus sine viatico decedat, eo vel magis, quod scandalum fidelium causa cognita cesset.

2. Quoad *preces,* quae post s. communionis dispensationem in rituali habentur, notandum est esse obligationem dicendi antiphonam; *O sacrum convivium* cum versu et oratione, cum rituale a Pio X. castigatum et auctum habeat: sacerdos reversus ad altare *dicit.*

3. *Digitis ultimis* sine causa tangere hostiam, veniale est; qui tamen indicem et pollicem manus dexterae impeditos habet, potest ex gravi causa (ne fideles communione vel moribundi viatico priventur) in distribuenda communione aliis digitis uti: licet enim soli primi digiti inungantur, tamen tota manus consecrata est[2]).

4. Causam diu controversam *de communione danda in paramentis nigris* s. sedes tandem in hunc modum definivit, ut *ex rationabili causa* tum ante tum post missam de Requiem ea distribui possit; causa autem rationabilis semper adesse censetur, quando s. communio petitur[3]).

Quodsi in paramentis nigris distribuitur s. communio, omittenda est benedicto in fine, et tempore paschali omittendum est *Alleluia;* oratio autem tempori paschali conveniens dicenda est[4]).

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 4. c. 2.

[2]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 1. n. 490. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 896.

[3]) S. C. R. 27. iun. 1868 n. 3177.

[4]) S. C. R. 26. nov. 1878 n. 3465.

5. Non licet fidelibus dare aut *hostiam maiorem*, qualem sacerdos sumit in sacro, aut *plures hostias parvas*[1]). Licet autem, si opus sit, *hostias dividere*, sed in duas tantum vel tres partes; licet etiam, si necessarium sit, pro viatico vel ad unum alterumve communicandum, qui diutius exspectare nequit, ex hostia sacerdotis partem detrahere. Hostia vero, quae pro expositione ss. sacramenti adhibebatur, non debet in partes divisa dari communicantibus, nisi in casu necessitatis.

Celebre decretum innocentianum generalibus quidem verbis prohibet, ne ulli plures particulae tradantur; ex adiunctis tamen, quae illi decreto ansam dederunt, inferre licet id eatenus tantum prohiberi, quatenus fieret ad fovendam falsam devotionem[2]). Quare nihil obstat, quominus ex rationabili causa, ut si sacerdos celebrans omnes particulas, quae supersunt, consumere non posset, uni plures tradantur[3]).

6. Si desit, qui sacerdoti ministret, potest communicaturus ipse, si sit vir, recitare *Confiteor* et sacerdoti respondere, vel potest ipse sacerdos ad omnia sibi respondere; si non adsit vir, ipse sacerdos omnia dicat, potius quam mulier (nisi sit monialis intra clausuram), etsi a longe stans, quidquam in ecclesia respondeat.

7. *De ordine* in distribuendā s. communione inter communicandos servando, sive intra sive extra missam fit distributio, statuitur ministros altaris seu sacrificii ratione ministerii praeferendos esse ceteris quamvis dignioribus, idque intelligendum esse de quovis ministro, sive clerico sive laico; laico tamen inservienti praeferantur clerici et clericis minoribus clerici in maioribus constituti[4]).

132. De communione infirmorum. 1. Ad infirmos s. communio *publice* et *honorifice* deferenda

---

[1]) *Innocentii XI.* decretum *Cum ad aures* 12. febr. 1679, *S. Officium* 17. maii 1636.

[2]) Cf. *Benedictus XIV.* De sacrif. miss. l. 3. c. 20. n. 1.

[3]) Cf. *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 189.

[4]) *Rituale rom.* tit. 4. c. 2. S. C. R. 13. iul. 1658 n. 1074; S. C. R. 30. ian. 1915.

est i. e. adhibitis sollemnitatibus, quas ecclesia praescribit[1]).

Reverentia ss. sacramento debita et simul statuta ecclesiae postulant, ut eucharistia *detecto capite* ad aegrotos deferatur.

Ecclesia difficilis est in concedenda super hac re dispensatione, attamen si quando propter aëris intemperiem periculum valetudinis revera timendum sit, s. sedes permisit, ut episcopus pro sua prudentia tum in agris tum in oppidis delationem pileoli concederet[2]). Et sicubi dispensatio episcopi obtineri nequiret, posset sacerdos, periculum valetudinis sive ab aestu solis sive a frigore merito timens, per epikiam illam licentiam sibi sumere, quae concessa est sacerdotibus coloniensibus, „incedendi tempestate praesertim hiemali capite laneo pileolo obtecto, qui exigente necessitate esse poterit tantae amplitudinis, ut aures etiam cooperiat“[3]), vel eam, quam episcopi Birminianensis et Molinensis indulgere possunt, ut parochi in huiusmodi circumstantiis capite pileo (Hut, Mütze) cooperto viaticum deferre valeant[4]).

Licitium est ex gravi causa eucharistiam *deferre equitando* vel *in curru sedendo*, sicut etiam ex gravi necessitate (e. g. tempore destis vel si infirmus hostiam alias deglutire nequit) medio aliquo instrumento, puta cochleari cum vino vel aqua eam porrigere licet.

2. Ex iusta et rationabili causa cuivis sacerdoti licet eucharistiam *privatim* seu occulte ad infirmos deferre; reverentiae autem et decentiae tanto sacramento debitae consulatur, servatis a Sede apostolica praesciptis normis.[5])

a. Id iure communi nunc conceditur, quod antea Ordinarii permittere poterant. Causa occulte deferendi ss. sacramentum certe adest tum in locis haereticorum, ubi sine periculo irreverentiae, tum in locis catholicorum, si absque magno incommodo deferri nequit. In aliis adiunctis prudentiae et conscientiae sacerdotis committitur, ut de sufficienti causa iudicet.

b. Modus deferendi ss. Sacramentum in variis regionibus diversus est, pro adiunctis externis diversis. Cum s. Sedes non adeo pridem Ordinariis concederet facultatem permittendi ut s. communio infirmis, qui ex devotione eam petunt, praesertim si in aliqua parochia plures

---

[1]) Cn 847. *Rituale rom.* tit. 4 c. 4 n. 6. Id minimum exigit, ut si *manifeste* defertur, comitante uno saltem clerico vel aedituo cum lumine accenso deferatur.

[2]) S. C. R. 22. april. 1871 n. 3246.

[3]) S. C. R. 13. novembr. 1862. Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 140. *D' Annibale* III. n. 407.

[4]) S. C. R. 23. maii. 1846 n. 2909; 12. sept. 1857. n. 3057.

[5]) Cn 849.

petant vel aliquis petat frequenter, occulte deferatur, servandum mandavit ritum a Benedicto XIV[1]) praescriptum, quem eundem etiam habet Rituale rom. (Append. p. 19.) Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli in defectu clerici associetur[2])

c. Cum vero Episcopis in America concederetur facultas permittendi, ut sacerdotes occulte deferant ss. sacramentum ad infirmos, s. Sedes voluit, ut episcopi in suis dioecesibus communem deferendi normam statuant, in qua haec tria servari omnino debent: *a.* ut sacerdotes ss. sacramentum deferentes evitent inutilia colloquia; *b.* ut consecratam hostiam super pectus deferant; *c.* ut delatio solum in casu necessitatis et in actuali ministerii sacerdotalis exercitio fiat[3]).

3. Si infirmus receptam *hostiam evomat*, ita ut sacrae species appareant, hae sedulo in vase mundo colligi, ad ecclesiam deferri et in loco decenti servari debent, donec omnino corruptae sint, ut in sacrarium sine irreverentia proiici possint. Quodsi sacrae species sordibus omnino permixtae discerni non possint, quidquid eiectum fuerit stuppis colligendum est et his combustis cineres in sacrarium proiiciendi sunt.

Quaestio quinta.

De subiecto eucharistiae.

Articulus primus.

De ipso subiecto eucharistiae.

133. Quis eucharistiam suscipere possit. 1. *Omnis homo baptizatus* iure divino est subiectum capax eucharistiae sacramentaliter sumendae, etiam infans et perpetuo

---

[1]) *Inter omnigenas*, 2. febr. 1744.

[2]) *S. C. de Sacram.* 20. Dec. 1912.

[3]) *S. C. de prop. fid.* 25. febr. 1859. Cf. *Sabetti*, Compend. theol. mor. n. 691.

amens. Constat tum ex eo, quod hoc sacramentum, ut effectum ex opere operato producat, nullos praerequirit actus suscipientis, tum ex antiqua ecclesiae disciplina, qua etiam infantibus dabatur eucharistia.

Theologi distinguunt complures modos sumendi eucharistiam[1]). *Realiter* ipsa sumitur, si ss. sacramentum reipsa suscipitur; *spiritaliter* sumitur, si ss. sacramentum solum voto et desiderio suscipitur. Sumptio realis aut est *materialis*, si eucharistia ab eo sumitur, qui huius sacramenti non est capax; aut *sacramentalis*, si sumitur ab eo, qui effectuum huius sacramenti capax est. Sumptio sacramentalis vel est *sacramentalis tantum*, si fit sine debita dispositione et ideo sine fructu, vel *sacramentalis spiritualis*, si fit cum debita dispositione et ideo cum effectu gratiae sanctificantis; sumptio sacramentalis tantum fieri potest *sacrilege* vel *neutraliter* seu sine sacrilegio et sine fructu, prout recipiens defectus dispositionis sibi conscius est vel illum defectum non advertit.

134. 2. Ex hodierna ecclesiae disciplina ob iustas causas inducta eucharistiam dare non licet nisi iis, *qui ad usum rationis iam pervenerunt*, ut constat ex universali consuetudine et ex rituali romano[2]).

a. Ergo eucharistiam concedere non licet *infantibus* et *perpetuo amentibus*.

Ratio, ob quam infantibus, secus atque antiquitus factum est, nunc non concedatur eucharistia, est tum reverentia erga dignissimum hocce sacramentum, tum quia infantibus necessaria non est: siquidem rationem spiritualis alimoniae habet, quae vires animae debilitatas restauret: atqui parvuli spirituali restauratione non indigent, quippe quarum vires tentationibus sive internis sive externis non debilitentur[3]).

b. Surdi et muti a nativitate, qui nullam unquam instructionem acceperunt, ordinarie aequiparantur infantibus, ideo nec absolutio nec s. communio eis conceditur, quod a fortiori de *surdis-mutis* et simul *caecis* a nativitate dicendum est.

Licet enim surdi et muti usu rationis non careant, cum tamen propter defectum auditus cognitio intellectualis explicari atque evolvi non possit, ex testimonio peritorum multiplici experientia firmato ipsi discretione inter bonum et malum et cognitione illarum veritatum carent, quae necessitate medii scitu necessariae sunt. Nec signis na-

[1]) Cf. *Concilium trid.* sess. 13. c. 8.

[2]) Tit. 4. c. 1. n. 11. Cn. 854.

[3]) *Concilium trid.* sess. 21. c. 4. can. 4.

turalibus hae veritates eis declarari possunt, quippe qui ex defectu notionum ipsa signa non intelligant. Quae autem surdi et muti exterius peragunt, si e. g. signo crucis ▬ signant, genua flectunt, manus ad modum orantium elevant, ad s. communionem accedere cupiunt etc. id mere ad imitationem aliorum faciunt, quin significationem eorum, quae exterius imitantur, ullo modo intelligant. Ideo quoad cognitionem veritatum religiosarum aequiparandi sunt infantibus et perpetuo amentibus, quibus sacramenta non administrantur. Summum forte concedi posset, ut in morte etiam surdi et muti, qui instrui non potuerunt, signo crucis, tunsione pectoris et eiusmodi signis, quantum fieri potest, ad dolorem excitentur, deinde sub condicione absolvantur atque extreme ungantur.

135. 3. Sacra communio concedenda non est nisi iis, *qui sine irreverentiae periculo* eam suscepturi sunt. Cum tamen sacramenta sint propter homines, non est necesse, ut omne, etiam leve periculum irreverentiae sit exclusum, ut s. communio praesertim infirmis dari possit.

a. Qui tussi laborant, eucharistiam suscipere possunt et in morte etiam debent, modo tantum quietis patiantur, ut s. hostiam sumere possint: periculum enim irreverentiae solum adest, si tussis impetu afficiuntur, dum s. hostiam sumunt; hostiâ autem semel sumptâ periculum illud plerumque abest, quia alia via sputa, et alia e stomacho cibi eiiciuntur.

b. Qui iugi vomitu laborant, eucharistiam suscipere possunt et in morte debent, si ab una vel altera hora non evomuerint et ope particulae non consecratae experimentum factum fuerit: in his enim adiunctis habetur spes, quae requiritur probabilis, fore ut paulo post communionem vomitus non sequatur. Si fieri potest, consulendus est medicus, qui cognita vomitus causa diiudicare poterit, num periculum iam cessaverit. In dubio autem, num infirmus sit s. hostiam evomiturus, ei danda non est[1]).

c. Delirantibus eucharistia in morte dari potest, si lucida intervalla habent et irreverentia non est timenda, quare prius semel et iterum (quantum satis est) experimentum fiat, num particulam non consecratam decenter recipiant et deglutiant.

d. Sensibis destituti (Bewusstlose), e. g. ob apoplexiam, febrim, agoniam, viaticum suscipere ipsi quidem non tenentur, quia obligationis non sunt capaces; quaeritur autem, num parochus eis s. communionem administrare possit vel etiam debeat. Ut s. communio eis administrari *possit,* duo requiruntur: *primum* est, ut

---

[1]) Cf. *Capellmann,* Medicina past. p. 121.

illam recipiendi intentionem habeant, quae in omnibus supponitur, qui christiane vixerunt; *alterum* est, ut satis constet nullum adesse irreverentiae periculum, eo quod indecenter se gerant vel s. hostiam reppellant aut exspuant. Eis autem s. communio dari non *debet*, et quamvis absolute eis dari possit, usus tamen raro habet, ut sensibus destitutis detur eucharistia, qui usus ideo forte invaluit, quia in eiusmodi infirmis raro abest periculum irreverentiae et quia aliis sacramentis (absolutione et extrema unctione) satis iuvari possunt. Nullatenus autem datur eis, qui in actu peccati sensibus destituuntur, quamvis ob tenuem conversionis probabilitatem eis detur conditionata absolutio et extrema unctio.

e. Amentibus (Irrsinnige), qui post usum rationis in amentiam inciderunt, in morte (et solum in morte) eucharistia dari *potest*, dummodo illorum intentio rationabiliter praesumatur, ipsi sint in statu gratiae prudenter praesumpto et sine irreverentia communicare possint. Num amens decenter communicaturus sit, experimento cognosci potest, praebendo scilicet prius unam alteramve hostiam non consecratam et postea, si illam deglutiat, consecratam. Ordinarie vero, prout fert usus, s. communio eis non datur.

α. Qui in statu peccati mortalis, de quo attritus erat, in amentiam incidit, per extremam unctionem multo melius et securius aeternam salutem consequi potest, quam per s. communionem (n. 7). Ceterum usus non habet, ut eis detur s. communio, tum quia eam cum devotione suscipere non possunt, tum quia raro abest irreverentiae periculum et scandalum fidelium.

β. Intentio et status gratiae ex eo praesumitur, quod quis ante amentiam pie ac christiane vixerit, confessionem peregerit etc.

In hac re sicut doctrina ascetarum, ita praxis pastorum diversa est. Iure divino amentibus sub recensitis conditionibus eucharistiam dari posse, nemo dubitat, sed quaestio est, num ecclesia id prohibuerit. Atqui verba Ritualis: *Amentibus communicare non licet*[1]), alii absolute intelligunt de quavis communione, alii vero de alia quavis communione excepto viatico. Ratione habita huius auctorum dissidii supra dicitur, communio eis dari *potest*.

f. Semifatuis (Halbblödsinnige, Geistesschwache) et *senibus* repuerascentibus, qui rationis usum eatenus habent, ut inter cibum spiritualem et profanum discernere possint, danda est eucharistia, sed rarius quam aliis, i. e. saltem quando praecepta est: in mortis articulo et in paschate, immo etiam interdum in anno pro maiore

[1]) Tit. 4. c. 1. n. 10.

vel minore gradu discretionis, quo utuntur. Neque vero scrupulose in hac re procedendum est, cum s. communio eis certo profutura sit et periculum irreverentiae exsistat[1]).

Articulus secundus.

De necessitate eucharistiae.

136. Qui eucharistiam suscipere debeant. 1. Susceptio eucharistiae non est *necessitate medii* necessaria ad salutem, neque in re neque in voto. Sane eucharistia necessaria esset *necessitate medii,* si gratia sanctificans solum per hoc sacramentum acquiri aut conservari posset; sed neque ad acquirendam neque ad conservandam gratiam sanctificantem eucharistia est unicum medium. Non *primum,* quia ipsa gratiam sanctificantem iam supponit; non *alterum,* quia absolute loquendo ad eam conservandam alia praesto sunt media: orationes, opera pia, alia sacramenta.

Ideo constans est ecclesiae doctrina in concilio tridentino definita, parvulos consequi vitam aeternam, etsi decedant, antequam eucharistiam receperint[2]). Idem affirmari debet de adultis, qui inculpabiliter impediti sunt, quominus eucharistiam recipiant.

2. Sumptio eucharistiae adultis necessaria est *necessitate praecepti divini.* Et sane verba Christi: *nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[3]) non significant necessitatem medii, ergo saltem praeceptum continent sumendi ss. eucharistiam.

3. Necessaria est etiam *praecepto ecclesiastico,* quo obligantur fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, eucharistiam sumere *quotannis in paschate*[4]).

4. Sumptio eucharistiae adultis est etiam *medium moraliter necessarium* ad conservandam vitam spiritualem. Etsi alia quoque praesto sint media conservandi gratiam sanctificantem, tamen cum magna solum difficultate tentationes superabunt et a peccato diutius se praeservabunt, qui abundantiora gratiae auxilia, prout ex voluntate et institutione Christi per s. communionem tribuuntur, sibi procurare negligunt (Io. 6, 54. 58).

[1]) Cf. *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 190. [2]) Sess. 21. can. 4.
[3]) Ioan. 6, 54. [4]) *Concilium later. IV.* C. Omnis utriusque. *Concilium trid.* sess. 13. can. 9. Cn. 859. Cf. *De praeceptis*[12] n. 694 ss.

137. De obligatione praecepti divini. Praeceptum divinum sumendi s. communionem obligat *per se* et obligare potest *per accidens.*

1. *Per se* urget *a. tempore mortis* ut constat tum ex perpetua ecclesiae praxi, quae statuit moribundis administrandam esse eucharistiam, ut servetur *antiqua lex*, ea nempe ne moribundi *ultimo ac necessario viatico* priventur[1]); tum ex unanimi theologorum doctrina, quorum haec est ratio: praeceptum divinum sumendi eucharistiam certo quidem sed sine determinatione temporis exsistens tum obligat, quando eucharistia maxime necessaria est; atqui non est maior huius sacramenti necessitas quam in morte, ubi fidelibus gerenda est ultima lucta contra hostes salutis, a cuius felici exitu pendet beata aeternitas[2]).

b. Interdum in vita, ut ex eo colligitur, quod hoc sacramentum institutum est per modum spiritualis alimoniae; porro sicut vita corporis diu conservari nequit sine cibo materiali, ita nec vita animae sine hoc alimento diu consistere potest. Ubi tamen notandum est discrimen inter cibum naturalem et spiritualem: ille enim est unicum medium ad conservandam vitam naturalem; vita autem spiritualis aliis etiam mediis (orationibus, bonis operibus, aliis sacramentis) conservari potest; ideo illius absoluta, huius vero solum moralis et praecepti necessitas affirmatur.

Quoties sumendum sit hoc sacramentum, Christus ipse non determinavit, sed ecclesiae determinandam reliquit, ut ipsa pro diversa temporum et devotionis exigentia frequentiam sumptionis praeciperet. Primis ecclesiae saeculis fervente tunc caritate et devotione fideles frequenter ad s. communionem accedebant, ita ut positivo ecclesiae praecepto opus non esset. Sed quia frigescente postmodum caritate et devotione fideles s. communionem negligere incipiebant, praecepit ecclesia, ut quovis anno ter praecipuis festis: nativitatis, resurrectionis et pentecostes eam susciperent. Et cum paulatim ne hoc quidem servarent fideles, *Innocentius III.* in concilio lateranensi IV. s. communionem saltem semel in anno sumendam praecepit. Vix affirmari potest annuam communionem esse extremum terminum, ultra quem susceptio huius sacramenti differri nequeat, quin violetur praeceptum divinum[3]).

[1]) *Concil. nic.* gen. I. can. 13. [2]) Cf. *Lugo,* disp. 16. n. 35.
[3]) Cf. *Behringer-Hilgers* l. c. p. 148 s.

2. *Per accidens* exsistit obligatio sumendi eucharistiam, si quis tam gravem et diuturnam patitur tentationem, ut ad illam superandam s. communio necessaria sit. Quod tamen vix unquam eveniet, cum praesto sint alia media, quae ad hunc finem sufficiant e. g. orationes, poenitentiae, fuga occasionum etc. Atque id theoretice quidem verum est, practice autem, praesertim in homine, qui prava consuetudine laborat, s. communio eaque frequentior dicenda est moraliter necessaria. Alia enim media, quibus a vitio sese expedire posset, difficiliora sunt, quam ut spes subsistat illa media adhibitum iri; quare si ad communionem frequenter sumendam non confugiet, nunquam a vitio se liberabit.

138. De obligatione sumendi viaticum[1]. In periculo mortis, ex quacunque causa proveniat sive interna sive externa, fideles s. communionis sumendae *praecepto* tenentur. Praeceptum viatici obligare incipit non solum in *articulo* mortis, quando silicet mors proxime instat et moraliter iam certa est, sed etiam in mortis *periculo*, quando scilicet probabile est mortem esse secuturam, quia in eiusmodi adiunctis frequenter solet accidere, sive dein periculum vitae a causa interna (morbo) sive ab externa oritur[2].

Quare non solum in gravi infirmitate, sed etiam ante navigationem vel pugnam periculosam, grassante lue contagiosa, ante chirurgicam operationem cum periculo vitae coniunctam, ante puerperium, praesertim si prima vice vel si mulier cum periculo parturire consueverat, urget obligatio suscipiendi hoc sacramentum. Etiam capite damnatis danda est communio, modo rite sint dispositi, et contrariam nonnullorum praxim ecclesia improbavit: sunt enim in articulo mortis, ubi praeceptum sumendi eucharistiam obligat. Suadendum est, ut ipsa die

[1]) Cn. 864.

[2]) Solet eodem sensu accipi *articulus* et *periculum* mortis; qui autem inter haec duo distinguunt, cum *Suario* ita definiunt, ut *articulus* adsit, „quando mors proxime instat et moraliter est certa et fere inevitabilis", *periculum* autem adsit, „quando est probabile dubium et frequenter solet in tali casu mors accidere." Itaque periculum mortis adesse censetur in quovis morbo periculoso, qui scilicet ex se lethalem exitum habere potest.

supplicii reus communicet, modo una saltem hora fiat, antequam poena capitis infligitur[1]).

2. Etiamsi eadem die s. communionem sumpsissent, valde tamen suadendum est, ut ingruente mortis periculo denuo communicent[2]).

Non solum quaestio inter theologos controversa, num incidens in mortis periculum teneatur viaticum accipere, qui eadem die ex devotione s. communionem sumpsit, sed etiam altera, num ad sumendum viaticum teneatur, qui paucis ante diebus ex devotione s. communionem sumpsit — hisce soluta est. Prima quidem, quia in casu viatici bis eadem die communicare licet, et quia ad eam sumendam infirmi non obligantur. Altera vero, quia praeceptum viatici non urget in fine vitae paulo ante mortem, ubi nondum adest vitae periculum, sed *in ipso mortis periculo.*

3. Perdurante mortis periculo viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries distinctis diebus administrari et *licet* et *decet*[3]).

4. Qui *sacrilege viaticum suscepit,* praecepto non satisfecit, quare denuo illud suscipere tenetur, si sine infamiae periculo fieri possit. Qui in periculo mortis non communicavit, non tenetur postea supplere, item qui sumpto viatico mortaliter peccavit, non tenetur denuo communicare.

Prudens confessarius diiudicare debebit, num moribundus, qui sacrilege viaticum suscepit et sacrilegium postea confitetur, de obligatione illud denuo sumendi monendus sit: etenim si monitio praevideatur forte non profutura, consultius erit ab ea abstinere. Quod si moribundus non renuit iterum communicare, die sequenti deferendum est viaticum, praetexendo, ut eius famae consulatur, communionem ex devotione. Quod si ea causa qualicunque fieri non posset, adest ratio sufficiens s. communionem occulte deferendi, id quod facere posset etiam confessarius regularis.

Articulus tertius.

De dispositione animae.

139. Dispositio requisita. 1. Ad suscipiendam cum fructu eucharistiam requiritur *status gratiae,* quia eucharistia

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 5. iul. 1841 decernit, capite damnatis non solum s. communionem dandam esse, sed etiam dandam esse *per modum viatici.*

[2]) Cn 861, 2. [3]) Cn 861, 3.

sacramentum vivorum est; ideo monet Apostolus: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*[1]); ex declaratione autem concilii tridentini haec probatio in eo consistit, quod is, qui ad s. communionem accedit, nullius peccati mortalis sibi conscius sit[2]).

a. Duplex dispositio quoad animam distingui potest: *substantialis*, quae consistit in immunitate a peccato mortali, et *accidentalis*, quae consistit in immunitate a peccato veniali actuali et in actuali devotione, qua sacramentum suscipitur. Ab illa dependet ipse effectus huius sacramenti, ab hac dependet gradus effectuum, quos s. communio producere potest; illa sub gravi, haec sub veniali requiritur: etenim contra reverentiam tanto sacramento debitam peccat, qui cum actuali peccato veniali vel absque ulla devotione ac praeparatione accedit.

Ad effectum igitur huius sacramenti percipiendum alia dispositio praeter statum gratiae non requiritur. Qui ergo sine actuali devotione vel cum peccatis venialibus nondum remissis accedit, quin etiam ille, qui in sumenda eucharistia peccatum veniale committit, fructu substantiali huius sacramenti non caret: sacramenta enim conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem; obex autem huius sacramenti non est nisi peccatum grave. Sed quo melior est dispositio, eo maior est etiam fructus, qui ex sacramento percipitur.

b. Cum obligatio sit procurandi sibi actualem devotionem ante s. communionem, veniale peccatum irreverentiae committit, non solum qui cum actuali peccato levi, sed etiam qui sine actuali devotione communicat. Non tamen eadem devotionis mensura in omnibus requiritur, sed conditioni et statui communicantis conveniens, maior scilicet in iis, qui saepius communicant et perfectioni student, quam in iis, qui raro communicant et negotiis saecularibus implicantur. Hinc fieri potest, ut defectus peculiaris devotionis, qui in homine laico nullum peccatum est, in sacerdote vel religioso veniale peccatum sit[3]).

140. 2. Non sufficit statum gratiae per peccatum amissum ante communionem reparare per contritionem perfectam, sed ex praescripto ecclesiae *a.* is, qui in statu peccati mortalis est, ante communionem *sub gravi* tenetur *praemittere sacramentalem confessionem*, nisi desit

---

[1]) 1. Cor. 11, 28.

[2]) Cf. *Concilium trid.* sess. 13. c. 7.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 14. sect. 1. *Suarez* disp. 66. sect. 1.

copia confessarii et simul urgeat necessitas celebrandi vel communicandi actum tamen perfectae contritionis prius eliciant; *b. sacerdos,* qui urgente necessitate absque praevia confessione celebravit, *quamprimum confiteri* tenetur[1]).

α. Sunt, qui praeceptum confitendi ante communionem dicant *divinum:* nam ex praecepto Apostoli, quod ipse accepit a Christo Domino, communioni praemittenda est probatio; probatio autem haec ex declaratione ecclesiae est sacramentalis confessio. Verum haec sententia, utpote solida ratione carens, ab aliis reiicitur[2]).

β. Si quis post confessionem bona fide peractam recordatur peccati mortalis, quod *oblitus* est confiteri, suaderi potest ante communionem confessio, sed ad illam obligari non potest. Concilium enim confessionem praecipit ei, qui *sibi conscius est* peccati mortalis per confessionem nondum deleti; atqui in casu nostro communicans non est sibi conscius peccati per confessionem nondum deleti; peccatum enim in confessione omissum iam est indirecte remissum; quare neque actus contritionis in hoc casu ante communionem stricte requiritur. Quamvis ergo ex antiquorum communissima sententia peccatum ex oblivione omissum ante communionem in confessione declarandum sit; ex praedicta tamen ratione invaluit sententia, quae hanc obligationem negat.

γ. Qui *dubitat* de peccato gravi commisso, etsi dubium sit vere probabile, ante sacrum vel communionem pariter ad confessionem obligari nequit: etenim ille tantum *sibi conscius* est peccati mortalis, qui *certo* sciat, se illud commisisse. Suadenda tamen est confessio, et ei qui conscientiam sibi efformare nesciat, etiam iniungenda est, nisi agatur de scrupuloso. Communicans autem in hoc casu conari debet ante communionem contritionem perfectam elicere, ne se exponat periculo frustrandi effectum sacrament[3]).

δ. Qui *serium conatum* adhibuit eliciendi contritionem perfectam, tuto ad s. communionem accedere potest, etsi dubitet, an reipsa eius-

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 13. c. 7. Cn 856. 807.

[2]) 1. Cor. 11, 23 ss. Cf. *Lugo* disp. 14. n. 69 ss.

[3]) Non desunt auctores, qui opinentur nullam in hoc casu exsistere obligationem praemittendi actum contritionis perfectae, quia de hac obligatione non certo constat. Verum cum certa sit obligatio praecavendi frustrationem effectus sacramenti, certa est etiam obligatio adhibendi medium ad hunc finem necessarium, scilicet aut contritionem perfectam aut confessionem cum attritione. Non enim quaeritur, utrum liceat necne sine contritione ad s. communionem accedere, sed quaeritur, num frustratio effectus sacramenti absolute praecavenda sit Cf. *Lehmkuhl* II. n. 150 (n. 205).

modi actum elicere contigerit: dubium enim vix esse potest nisi negativum atque spernendum.

ε. *Practice* in casu dubii de gravi peccato commisso poenitens [illegible] *praesumptione* desumpta ab iis, quae ordinarie in eiusmodi tentationibus ei accidunt, dirigendus est. Si nempe in eiusmodi tentationibus consentire non solet, morali certitudine praesumendum est non adfuisse consensum ideoque permittenda est s. communio absque confessione et contritione; quodsi ordinarie consentit, praesumendum est etiam hac vice adfuisse consensum, et ideo urgenda est confessio.

141. Declaratio huius praecepti. Duplex conditio requiritur, ut celebrare vel communicare liceat non praemissa confessione: *a.* ut desit copia confessarii; *b.* ut urgeat celebrandi vel communicandi necessitas.

1. *Copia confessarii* deest, si nullus confessarius praesens sit, et absens spectatis circumstantiis personae (infirmitas, negotia necessaria) vel itineris (distantia unius horae) sine magna difficultate adiri nequeat; at non dicitur deesse, si solum desit proprius confessarius, vel si non adsit nisi familiaris, cui solum cum magna erubescentia confiteri possis.

a. Patet non exsistere obligationem confitendi, si adsit quidem approbatus, cui tamen poenitens confiteri non possit sine certo et gravi damno alieno, ut si peccatum declarare nequeat, quin confessarius cognoscat personam complicem; vel si poenitens solum peccatum episcopo reservatum habeat et nullus adsit confessarius, qui potestate in reservata polleat.

b. Causam confessioni externam et satis gravem ab hoc praecepto excusare certum est. Periculum gravis scandali atque infamiae constituere eiusmodi causam, omnes admittunt; solam erubescentiam [illegible] eo ortam, quod deinceps cum confessario conversari vel cohabitare debeas, eiusmodi causam non esse affirmari debet. Attamen non videtur improbabilis sententia, verecundiam extraordinarie magnam atque invincibilem, ut si patruus apud nepotem confiteri deberet rem probrosam, ab hoc praecepto excusare[1]). Haec tamen excusatio non est extendenda ad casum, quo parochus iuveni vicario manifestare deberet peccatum grave et probrosum, nisi repugnantia in casu particulari sit extraordinarie magna.

---

[1]) Hanc sententiam proponit *Berardi* (Prax. conf.[3] III. n. 338), cui assentit *Génicot*, Theol. mor. inst. II. n. 193 et Casus consc. II. p. 214.

2. *Necessitas celebrandi* vel communicandi debet esse gravis, ut sacerdos praemissa sola contritione sacrum facere et laicus communionem suscipere possit; alias sacrum vel communionem omittere debent. Hinc raro aderit necessitas communicandi in laico, frequentius in sacerdote necessitas celebrandi.

Adesse censetur haec necessitas in *sacerdote:* α. si ex officio celebrare tenetur, ut fideles sacrum praeceptum audire, ut exsequiae vel nuptiae haberi possint[1]); β. si sacrum sine gravi infamia vel populi scandalo omittere non potest; γ. si sacerdos vestibus iam indutis vel sacro iam inchoato peccatum mortale committit vel antea commissi tum tandem recordatur et sine nota infamiae confiteri non potest; δ. si consecranda est particula, ut moribundo administari possit viaticum. At non adesse censetur necessitas celebrandi, si sacerdos solum ex devotione vel ad lucrandam indulgentiam vel ex obligatione beneficii celebraturus esset.

142. De praecepto solis *sacerdotibus* imposito *quamprimum confitendi*, si urgente necessitate absque praevia confessione celebraverint, haec notanda sunt:

a. Est verum praeceptum[2]) sub gravi obligans eos, qui urgente necessitate (etsi sacrilege) absque confessione celebraverint, dummodo copiam confessarii habeant.

b. Non obligat sacerdotes, qui sine necessitate non praemissa confessione in peccato mortali celebrant, quia concilium expresse loquitur de sacerdote, qui *urgente necessitate* sine confessione celebret.

Auctores, qui fere communi consensu legem in hunc modum interpretantur, notant concilium hac lege cavere voluisse, ne sacerdotes praetextu necessitatis celebrandi confessionem differrent, at directe cavere non voluisse sacrilegas celebrationes: lex enim ad hunc finem obtinendum parum profuisset. Et sane sacerdos, qui scienter audet sacrilege celebrare, vix curabit hoc praeceptum ecclesiasticum. Ideo hac lege non afficiuntur, qui absque necessitate celebraverint.

---

[1]) Celebrationi ex officio debitae accenseri potest etiam casus, quo ob peculiarem devotionem frequens populus ad audiendum sacrum, etsi non praeceptum, concurrit. Cf. *Génicot,* Casus consc. II. p. 213.

[2]) Cf. propositio 38. *Alexandri VII.: Mandatum Tridentini factum sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum est consilium, non praeceptum.*

c. Obligatio confitendi *quam primum* ita intelligenda est, ut saltem *intra triduum* confessio fiat, siquidem terminus *quamprimum*, ut in aliis legibus humanis, moraliter i. e. de spatio trium dierum recte intelligitur. Urget autem haec obligatio, etsi sacerdos post triduum non celebret, sed demum post unam alteramve hebdomadam. Attamen secundo vel tertio die huius tridui non potest sine confessione celebrare, nisi identidem necessitas celebrandi et defectus confessarii perduret.

d. Per accidens tamen fieri potest, ut sacerdos etiam eodem die ad confessionem obligetur, si nimirum eo die adsit occasio confitendi et ipse sequenti die celebrare velit vel debeat, vel si praevideat sequentibus diebus non adfuturam occasionem confitendi.

Articulus quartus.

De dispositione corporis.

Dispositio corporis quoque duplex est, altera *essentialis*, quae in ieiunio naturali, altera *accidentalis*, quae in reverentia externa consistit atque in decentia habitus et in munditia corporis apparere debet. Dispositio essentialis sub gravi, accidentalis sub levi requiritur.

Haec duplex dispositio corporis desumitur ex Missali Romano, quod respiciens non solum celebrantem sed etiam communicantes, c. IX. de defectibus dispositionis corporis agit et sequentes affert: defectum ieiunii naturalis et defectum munditiei ex pollutione ortum (etiamsi macula animae per confessionem deleta sit; dicit enim: *nisi aliud confessario videatur*).

143. Habitu decenti. Reverentia dignissimo huic sacramento debita postulat, ut communicantes *habitu decenti* ac mundo reverenter et devote ad sacram mensam accedant. Hinc

a. Negligentia et incuria, qua quis vestibus incompositis, sordidis vel laceris ad s. communionem accedat, certe venialiter peccaminosa est.

b. Si immodestia atque indecentia, qua mulieres quandoque pectore non satis cooperto et vano ornatu cinctae ad s. mensam accedunt, eousque procederet, ut, habita ratione consuetudinis regionum, castos oculos offenderent aliisque scandalo essent, etiam graviter peccarent et a communione arcendae forent.

c. Decet, ut milites depositis armis ad s. mensam accedant, nulla tamen lege ad id obligantur.

d. Sacerdotes et diaconi ex praescripto ecclesiae stola induti ad s. communionem accedere debent, si publice communicant.

144. Corpore mundo. Reverentia erga ss. sacramentum etiam hoc postulat, ut communicantes *corpore mundo* i. e. sine macula externa et delebili et absque sordibus ad sacram mensam accedant: etsi enim corporis macula sive externa sive occulta per se non impediat s. communionem, cum puritas animae ab inquinamento corporis non minuatur, decentia tamen hanc quoque munditiam exigit.

a. Si macula externa adsit, quae brevi auferenda speretur, decet, ut ad breve tempus differatur s. communio. Si autem macula sit diuturna, non est, cur propterea s. communione aliquis privetur. Sacerdos tamen infectus morbo, qui horrorem excitet, celebrare quidem potest sed privatim, non publice.

b. Mulieres tempore *fluxus menstrui* et *purgationis* post partum, [illegible] haec sine culpa accidant et exterius non appareant, a sumenda [illegible] communione non prohibentur.

c. Involuntaria pollutio, a sacro vel a communione non prohibet; ergo per se necesse non est propterea sacrum vel communionem omittere, praesertim si adsit ratio peculiaris eo die celebrandi (e. g. in iis, qui quotidie celebrare solent) vel communicandi (e. g. in communitatibus, ubi statutis diebus omnes ad communionem accedunt, vel si indulgentia lucranda sit etc.).[1])

d. Debitum coniugale praecedente nocte praestitum debito fine et modo nulla ratione impedit s. communionem; immo si debitum exer-

---

[1]) Cf. *Lugo*, De euchar. disp. 15. sect. 1.

cetur ob solam voluptatem ideoque peccaminose, nec̀esse non est, ut coniugati a sacra mensa abstineant, praesertim cum in iis ordinarie adsit rationabilis causa aut accedendi ad sacram communionem aut peragendi actum coniugalem.

145. De ieiunio naturali. 1. Ex praecepto ecclesiae sub gravi obligante requiritur, ut communicaturus servet *ieiunium naturale* i. e. abstinentiam ab omni cibo et potu quantumvis minimo a media nocte praecedenti. Huius praecepti fundamentum est decentia et reverentia erga ss. sacramentum: plane enim convenit, ut eucharistia ante omnem alium cibum sumatur.

a. Ieiunium naturale ante communionem, quod etiam *sacramentale* dicitur, initio per statuta particularia et per consuetudinem introductum *lege ecclesiastica* sancitum est[1]).

b. Ieiunium sacramentale exigit, ut nullus alius cibus vel potus eo die i. e. post mediam noctem ante sacram communionem sumatur; sed non exigit, ut eucharistia recipiatur in stomachum prorsus vacuum seu ieiunum, neque ut eucharistia sit prima substantia, sed solum ut sit primus cibus (vel potus), qui eo die in stomachum recipitur.

c. A sumendo cibo vel potu per aliquod tempus abstinere debere eum, qui *mox post mediam noctem celebrat*, nulla lege praecipitur; quamvis ergo per se paulo ante mediam noctem adhuc comedere aut bibere possit, attamen praescindendo a casibus improvisis decentia postulat, ut compluribus horis (circiter quatuor) ante sacrum a cibo

---

[1]) Codex iur. can. explicitum hac de re praeceptum continet: Pro *fidelibus* cn 858, 1: Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad s. Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum. Pro *sacerdotibus* celebrantibus cn 808: Sacerdoti celebrare non licet, nisi ieiunio naturali a media nocte servato. Immo cn 2321 vult, ut ordinarius suspendat sacerdotes a sacris, qui non ieiuni vel bis eodem die celebrare praesumpserint. Cum lex sit ecclesiastica, *dispensatione* s. pontificis auferri potest; dispensatio autem, quae olim vix unquam concessa legitur, hodie facilius conceditur, sed solis infirmis non graviter decumbentibus, qui ieiuni manere non possunt, ad communicandum, non autem sacerdotibus ad celebrandum.

et potu abstinuerit, ne cibus sacer cum profano paulo antea sumpto commisceatur[1]).

d. Qui *positive dubitat*, an aliquid cibi vel potus sumpserit, et pari modo qui positive dubitat, utrum id, quod sumpsit, ante [illegible] post mediam noctem sumpserit, ad s. communionem accedere potest: nisi enim de laesione ieiunii certo constet, non tenetur a s. communione abstinere.

e. Lex ieiunii sacramentalis, quamvis sit lex ecclesiastica, tamen non admittit *parvitatem materiae.* Cum lex statuta sit [illegible] motivo religionis propter reverentiam erga Christum Dominum in eucharistia praesentem, qui [illegible] violat, *peccatum sacrilegii* committit.

f. Praeceptum, quo olim fideles *post s. communionem* tenebantur servare ieiunium usque ad vesperam, [illegible] amplius viget, attamen naturalis decentia postulat, ut tamdiu [illegible] cibo et potu abstineatur, quamdiu sacrae species in stomacho nondum sunt corruptae. Qui ergo statim post s. communionem sine rationabili causa comedit aut bibit, contra reverentiam ss. sacramenti *venialiter* peccat. Omni autem culpa caret, qui [illegible] post communionem exspuit, modo nullum hostiae fragmentum in ore vel in faucibus haereat. Nullum enim est periculum irreverentiae, quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est via cibi et potus.

146. 2. *Media nox*, a qua communicans debet esse ieiunus, incipit a primo ictu horologii horam duodecimam signantis; quare communicaturo, qui inter bibendum horae pulsum audiat, non licet haustum perficere, quin tamen teneatur exspuere, quod bibens adhuc in ore habet.

Huius rei rationem alii hanc assignant: quia ecclesia ad talem rusticitatem non censetur obligare velle; alii forte rectius: quia in eo loco non deerunt horologia probata, quae duodecimam nondum signarunt.

Hora duodecima aestimari potest ex omnibus horologiis publicis regionis ordinarie bene directis, etsi tempus diversum signent a tempore vero, scilicet vel tempus medium locale vel tempus medium legale. Licet ergo horo-

[1]) Cum s. pontifex *Leo XIII.* (26. febr. 1885) privilegium concederet in ecclesia lurdensi immediate post mediam noctem missas celebrandi, hanc condicionem adiecit, ut sacerdotes celebrantes quatuor horis ante sacrum a cibo et potu abstinerent.

logium ultimum sequi, modo de errore non constet neque illud ordinarie erret[1]).

Ecclesia id permisit, quia non exigit, ut fideles in servandis praeceptis ecclesiasticis utantur temporis computatione diversa ab ea, quae cetera hominum negotia in singulis locis publice dirigat[2]). Ergo semper sequi licet tempus verum, sed licet etiam sequi tempus medium, sive locale sive legale, prout horologia regionis unum vel alterum signant.

147. De laesione ieiunii. Ieiunium naturale *solvitur esu vel potu* i. e. sumptione cuiusvis cibi vel potus, qui per modum cibi vel potus sumitur.

a. Ad rationem comestionis vel potationis per se nihil refert, utrum de industria [redacted] casu et praeter intentionem aliquid sumatur; ideo qui in somnio aquam bibit vel qui folium, quod in ore volutabat, inadvertenter deglutit, non est amplius ieiunus.

b. Tria ergo ad fractionem ieiunii requiruntur, quorum unum *ad rem* pertinet, quae sumitur, scilicet ut sit cibus vel potus, alia duo *ad modum* pertinent, quo res sumitur, scilicet ut ore ab extra, et quidem edendo aut potando sumatur et glutiendo in stomachum descendat.

148. 1. Ut frangatur ieiunium, requiritur ut id, quod sumitur, *habeat rationem cibi vel potus.* Iam vero nomine *cibi* designatur id solum et omne, quod in stomachum receptum aliquo modo, etsi non plene, digeri et in substantiam hominis converti possit: quod enim nulla ratione in stomacho alterari potest, non dicitur manducari. Nomine autem *potus* significatur omne liquidum (quod non simul nutrit).

a. Quid autem digeri possit, quid non possit, ex communi hominum aestimatione potissimum determinari debet. Hinc qui deglutiat ferrum, vitrum, lignum, ungues, capillos, ossa fructuum abrasa, fila ex serico vel lana et similia, non frangit ieiunium; frangit autem, qui deglutiat paleam, ceram, cartam, pulverem medicinalem etc.

b. Si tamen ex chemicorum doctrina constaret aliquam rem in stomacho nullatenus alterari posse, quae vulgo censeatur digestibilis ut creta, ea non haberet rationem cibi et potus nec proinde solveret ieiunium. Attamen res, quae communi aestimatione non habetur dige-

---

[1]) Cn. 33. [2]) *S. Poenitentiaria* 18. iun. 1873; 29. nov. 1882. Cf. *Acta s. sedis* VII. p. 399.

stibilis, non est ideo accensenda cibis, quod chemici eam in stomacho parumper alterari dicant.

149. 2. Ut id, quod sumitur, *ore sumatur ab extra et glutiatur:* ieiunium enim manducatione solvitur; quod autem non sumitur ore ab extra, etsi voluntarie deglutiatur, et pari modo, quod solum in os immittitur, quin glutiatur, non dicitur manducari.

a. Qui igitur glutiat humorem ex capite interius defluentem vel sanguinem ex lingua, gingivis, dentibus manantem, pulverem tabaci naribus attractum, guttam aquae per aures descendentem, non laedit ieiunium; laedit autem, qui sugit sanguinem ex vulnere digiti, qui lambit lacrimas ex oculis manantes, sanguinem ex labiis exterioribus etc., nisi parum quid praeter intentionem per modum salivae in stomachum descendat etc.

b. Qui ad eluendum stomachum ope alicuius instrumenti aquam sorbet et iterum reiicit, manet ieiunius, etsi modica pars aquae in stomacho remaneat, quia nihil ad modum potus glutiendo sumitur. Quin etiam, ut videtur, tubum instrumenti oleo unctum in stomachum demittere licet, quin ieiunium solvatur[1]).

150. 3. Ut id, quod sumitur, *sumatur edendo vel potando* seu *per modum cibi vel potus,* non per *modum salivae* vel *respirationis:* quod enim per modum salivae vel respirationis sumitur, ex communi hominum iudicio non manducatur.

Per modum salivae sumitur, quod est cum saliva inseparabiliter permixtum et cum illa praeter intentionem (etsi advertenter) in stomachum traiicitur; *per respirationem* sumitur, quod per aēra volans respirando attrahitur et praeter intentionem (etsi advertenter) in stomachum descendit. Quod autem in maiore quantitate cum saliva demittitur, vel quod de industria cum saliva sumitur vel ex aēre attrahitur et glutitur, ieiunium solvit. Etsi enim ad rationem comestionis nihil referat, utrum res casu an de industria sumatur, si quid tamen ex proposito cum saliva vel respirando sumitur, intentio efficit, ut sumtio sit voluntaria deglutio et rationem comestionis vel potationis habeat.

[1]) Cf. *Monitore eccles.* (Roma. Direzione del Mon. eccl.) t. 9. p. 184.

a. Qui ergo os eluit et parum aquae salivae admixtae casu glutit; qui aliquod aromaticum ore circumfert, nihil consulto glutiendo, etsi aliquid cum saliva descendat; qui folium tabaci ore tenet et dentibus terit, succum vero consulto non glutit, sed expuit, non solvit ieiunium. Eiusmodi tamen masticatio, nisi adsit rationabilis causa e. g. sanitatis vel purgandi halitus, ante communionem non decet. Pari modo, qui respirando attrahit vapores ex cibo vel potu praesenti; qui fumum tabaci per os attrahit; qui muscam, pulverem, nivem, aquam pluviam ex aëre attractam traiicit, non solvit ieiunium: haec enim aut rationem cibi non habent, aut per modum respirationis vel salivae sumuntur.

b. Qui vero voluntarie minimum quid deglutiat, quacunque intentione id fiat, qui e. gr. per modum medicinae unicam guttulam vel unicum granum sumat, desinit esse ieiunus et a communione excluditur; pari ratione, qui vespere decumbens in os sumit frustum saccari ad emolliendam raucitatem, si totum non sit liquefactum et deglutitum ante mediam noctem, non manet ieiunus[1]).

c. Reliquiae cibi, quae haerent inter dentes, non solvunt ieiunium, sive involuntarie sive etiam voluntarie sumuntur. Ex rubrica missalis id quidem certum est[2]); in assignanda autem ratione, ob quam illae reliquiae non obsint ieiunio, non conveniunt auctores: secundum alios, quia non sumuntur ab extra, et secundum alios, quia sumuntur per modum salivae; melius forte dixeris cum *Lehmkuhl*, ex definitione ecclesiae id esse, quae ad praecavendas anxietates et dubitationes in iis, quae saepius occurrunt et difficulter praecaveri possunt, legem ipsa laxius interpretata est.

d. Id, quod sumitur *simul cum sacris speciebus*, [illegible] frangit ieiunium, quod ecclesia humano modo servandum praecipit. Si quis ergo in prima missa diei nativitatis sumpsisset muscam vel particulam cerae, quae inciderat in calicem, vel guttulas vini calici interius inhaerentes, etsi non consecratas, potest adhuc aliam missam celebrare. Infirmis (etiam non graviter decumbentibus) sacrae species cum vino vel aqua porrigi possunt, sicut ipse sacerdos feria sexta in parasceve particulam hostiae consecratae cum vino sumit, licet forte aqua vel vinum ante sacras species in stomachum descendat.

151. Causae excusantes a ieiunio naturali. Praeceptum ieiunii sacramentalis ad praecepta ecclesiae gravissima pertinet; quapropter ex consuetudine ecclesiae, quam refert concilium constantiense, solum cessat *in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concesso vel admisso*[3]). Porro eiusmodi casus quinque nume-

[1]) Cf. *Sporer-Bierbaum* III. pars 2. n. 467 ss.
[2]) *Missale rom.* De defectibus IX. 3. [3]) Sess. 13.

rantur, quorum quatuor quidem ab omnibus admittuntur, de quinto autem auctores disputant.

Consideranti singulos casus, in quibus lex ieiunii sacramentalis cessat, patebit non quodcunque incommodum grave ab hac lege excusare, sed solam necessitatem implendi legem superiorem, quae servato ieiunio impleri nequeat.

Eucharistia igitur sumi potest a non ieiuno:

1. *Ad integrandum sacrificium:* maior enim est obligatio praecepti divini de complendo sacrificio, quam praecepti ecclesiastici de ieiunio servando ante communionem. Ideo

a. Si sacerdos in ipso sacro post consecrationem unius vel utriusque speciei recordatur se non esse ieiunum, potest et debet ad complendum sacrificium non ieiunus communicare; quod si ante consecrationem recordetur, ab ara recedere debet, ubi sine infamia et scandalo fieri potest.

b. Si sacerdos sacrum faciens post consecrationem unius vel utriusque speciei repentino morbo correptus non possit sacrificium complere, deficiente ieiuno ab alio sacerdote non ieiuno illud compleri debet.

c. Si sacerdos loco vini aquam infudit in calicem, idque non advertit nisi post sumptionem vel totius vel partis aquae, debet ad perficiendum sacrificium denuo consecrare et species consecratas sumere.

d. Si sacerdos sumpta iam ablutione inveniat integram hostiam consecratam vel reliquias hostiarum, potest et debet, si eo die aliud sacrum non fiat neque in ciborio illae reponi vel alio modo decenter servari possint, eas sumere, quia sumptio illa est veluti complementum sacrificii et convivii peracti[1]).

152. 2. *Ad vitandam irreverentiam erga ss. sacramentum:* lex namque naturalis reverentiae sacramento debitae praeferenda est legi ecclesiasticae ieiunii ante communionem.

Ideo si imminet periculum ab incendio, ab incursu hostium, ab infidelibus vel haereticis, a quibus iniuriose tractaretur hoc sacramentum, hostiae consecratae sumi possunt et debent a sacerdote non ieiuno et, hoc absente, etiam a laico propriis manibus, vel potest sacerdos [illegible] porrigere laicis non ieiunis. Cf. cn 858.

153. 3. *Ad vitandum scandalum publicum:* maior enim est obligatio legis naturalis de vitando scandalo, quam hoc praeceptum ecclesiae.

---

[1]) *Missale rom.* De defectibus VII. 2.

a. Ideo si sacerdos ante consecrationem recordetur se non esse ieiunum et sine infamia et scandalo populi recedere ab ara non possit, non ieiunus communicare potest. Idem concedendum est etiam laico, qui communicaturus ad aram iam assidet et recordatur se non [illegible] ieiunum, ubi nimirum sine ignominia et scandalo non possit recedere.

b. Si parochus die dominico, sive casu sive culpa non amplius ieiunus, non possit sacrum omittere sine gravi scandalo et offensione populi vel sine propria gravi infamia, posset certe etiam non ieiunus sacrum facere. Sola autem haec causa, ne populus die festo de praecepto carere debeat sacro, non excusat a lege ieiunii, quae praecepto audiendi sacrum gravior est[1]). In eiusmodi autem casu saepe aliae causae excusantes concurrunt, praesertim scandalum populi, periculum infamiae [illegible] tandem periculum, ne plures, quamvis exsistente opportuna occasione possent et deberent alio se conferre ad audiendum sacrum, cum culpa gravi id negligant. Ceterum sacerdos, qui apud fideles male non audit, periculum scandali atque infamiae facile removebit candide declarans causam, ob quam celebrare non possit. Quodsi fideles proximam ecclesiam ad audiendum sacrum adire non possunt, loco missae aliam functionem sacram instituere iuvat.

c. Complures auctores concedunt posse neosacerdotem, qui inadvertenter ieiunium fregit, primitias celebrare, si [illegible] concurrant adiuncta, in quibus illae sine gravissimis incommodis differri nequeant, ut si complures consanguinei aliunde advenerint, si publice notum sit hodie celebrandas fore primitias, laesio vero ieiunii occulta manserit: ordinarie enim ratio scandali excusabit; quodsi nullum timendum sit scandalum, licet in hoc casu uti epikia[2]).

154. 4. *Ad sumendum viaticum in periculo mortis:* concilium enim constantiense declarat infirmos gravi morbo cum periculo mortis coniuncto laborantes [illegible] lege ieiunii ante communionem servandi esse exemptos[3]), et rituale romanum habet: Potest viaticum brevi morituris dari non ieiunis[4]). Hi ergo utpote exempti non tenentur, quamvis illud sine gravi incommodo servare possent, ieiunium servare.

a. Haec exemptio autem non valet de iis, qui non ex morbo, sed propter causam externam in mortis periculum adducuntur: nam tum

---

[1]) *S. Officium* 2. dec. 1874.

[2]) Cf. *Gobat*, Experient. tr. 3. n. 411 *Lacroix* l. 6. pr. 1. n. 583. *Génicot*, Theol. mor. instit. II. n. 202.

[3]) Cf. sess. 13.

[4]) *Rituale rom.* tit. 4. c. 4. n. 4. cf. cn. 858, ex quo idem eruitur.

concilium tum rituale de solis infirmis loquuntur. Qui ergo infirmi non sunt, ut milites ante proelium, capite damnati etc. ante viaticum per ieiunium servare debent. Quodsi illud absque magno incommodo servare non possunt, etiam non ieiunis viaticum dari potest[1]).

b. Si *dubium* est, utrum infirmus sit in probabili mortis periculo necne, utrum morbus revera lethalis sit necne, viaticum nihilominus administrari potest non ieiuno, tum quia de obligatione ieiunii non constat, tum quia recte praesumitur ecclesiam velle in hoc casu favere aegroto, ne exponatur periculo decedendi sine viatico. Id praesertim valet, quando aegrotus longe ab ecclesia distat vel sacerdos ad eum redire amplius non potest: tunc enim maius est periculum decedendi sive viatico.

155. 5. *Ad ministrandum viaticum.* Sunt, qui quintum hunc casum prioribus addant: si nimirum non adsit hostia consecrata pro viatico, potest sacerdos non ieiunus celebrare, etsi illo die iam celebraverit. Et hoc quidem certum est, si agitur de viatico sibimetipsi ministrando: qui enim exemptus est a ieiunio, ut possit communicare, exemptus est etiam, ut possit celebrare. Quodsi agitur de viatico alteri ministrando, multi auctores aut absolute aut saltem probabiliter id concedunt[2]), nec immerito: lex enim divina, quae praecipit sumptionem viatici, praeferenda est legi ecclesiasticae praecipienti ieiunium ante celebrationem, praesertim cum relaxatio legis ieiunii ante communionem servandi exinde non sit timenda. Insuper *s. Alphonsus,* cuius sententias probabiles ecclesia in praxi permittit, hanc sententiam dicit probabilem.

156. *Quoties s. communio ministrari possit graviter infirmo non ieiunio.* Infirmis periculose decumbentibus etiam non ieiunis saepius dari potest s. communio, non solum, si novum periculum recurrat, sed etiam in eodem periculo; immo nihil impedit, quominus toties eis praebeatur, quoties in solatium et auxilium animae id exoptant et adiuncta personarum et locorum permittant, etsi quotidie fieret[3]).

---

[1]) *S. C. de prop. fid.* 21. iul. 1841.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 286.

[3]) Cf. *Zeitschrift f. k. Th.* 1880 S. 717 ff.

a. Concilium enim constantiense aegrotos periculose decumbentes a lege ieiunii naturalis simpliciter exemptos declarat. Et sane ratio eos eximendi non est sola obligatio sumendi viaticum, sed etiam necessitas animae, qua infirmi praesertim tempore mortis indigent auxilio et solatio huius sacramenti. Si igitur infirmus absque incommodo ieiunus manere potest, suadendum est, ut ex reverentia erga ss. sacramentum ieiunus s. communionem sumat, ad id autem non tenetur.

b. Ideo monet Rituale romanum[1]): „Quodsi aeger sumpto viatico dies aliquot vixerit . . et communicare voluerit, eius pio desiderio parochus non deerit". Quae verba de sumptione ss. sacramenti a non ieiuno intelligenda sunt. Ideo synodi provinciales ultimis temporibus habitae omnes hortantur parochos, ut ad graviter aegrotos saepius eucharistiam deferant, etsi naturale ieiunium servare nequeant[2]). Cum his consonat cn. 864, 3 supra (n. 138) citatus.

c. Si infirmis graviter decumbentibus, sive viatico iam refecti sunt sive nondum sunt, administratur s. communio, adhibetur forma ordinaria: *Corpus Domini nostri etc.*

157. *Num liceat ei, qui periculose non decumbit, sed propter morbum diuturnum ieiunium servare nequit, communionem dare non ieiuno.* — Quaestionem istam hucusque controversam s. sedes ita resolvit, ut iam constet, *quinam* infirmi et *quoties* non ieiunii s. communionem suscipere possint[3]). Scilicet infirmi, qui iam a mense decumbunt absque certa spe mox convalescendi *semel aut bis in hebdomada* s. communionem suscipere possunt, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint[4]), adhibito tamen hac in re consilio confessarii.

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 4. c. 4. n. 3.

[2]) Cf. *Collectio lacens.* sub voce *Viaticum.*

[3]) S. C. C. 7. dec. 1906. Resolutionem s. Congr. nonnihil modificavit cn. 858, 2.

[4]) *S. Officium* 7. sept. 1897 declaravit: „verba *per modum potus* ita esse intelligenda, ut liceat sumere iusculum, cafaeum aliosque cibos liquidos, quibus aliqua substantia mixta sit e. g. farina (semolino, emoule), panis rasus (pangrattato, pain râpé) etc., dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi."

a. Privilegium hoc decreto concessum extendendum est etiam ad eos, qui propter qualitatem morbi decumbere nequeunt, sed extra lectum morari coguntur; item ad eos, quibus morbus permittit, ut interdiu ad tempus extra lectum morentur[1]).

b. Praeter hos infirmos alii sunt, qui proprie non dicuntur infirmi, quippe qui habitualiter extra lectum morentur, e domo egrediantur, imo ad ecclesiam veniant, nec tamen ieiunium servare possunt. Ad hos privilegium infirmis concessum extendi nequit, ne praetextu infirmitatis paulatim relaxetur praeceptum ieiunii. Ut hi quoque s. communionem recipere possint, aut adeo mature administranda est eis s. communio, ut usque ad illud tempus ieiunium servare possint, aut petenda est dispensatio a ieiunio sacramentali, quae nostro hoc tempore facilius conceditur[2]).

c. Si tamen in eiusmodi infirmo non agitur de communione ex devotione, sed *de communione paschali ex praecepto* sumenda, iam nonnulli recentiores theologi probabile existimant, cessare in illo casu legem ieiunii: praeceptum enim divino-ecclesiasticum communicandi in paschate praevalet praecepto mere ecclesiastico de ieiunio ante communionem servando. Attamen cavendum scandalum fidelium[3]).

d. Si quis ex morbo non gravi decumbens ieiunium naturale observare non potest et saepius in hebdomada s. communionem suscipere desiderat, privilegium ultra binam communionem extendere nequit, at nihil impedit, quominus bis in hebdomada communicet non ieiunus, aliis autem diebus ieiunus, si ieiunium, quamvis cum difficultate, observet.[4])

e. Sacerdotes hoc privilegio periculose non decumbentibus concesso, suppositis conditionibus requisitis, uti quidem possunt ad communicandum more laicorum, non item ad celebrandum.

---

[1]) S. C. C. 6. mart. 1907.

[2]) Formula petendi a s. C. de Sacr. dispensationem a ieiunio sacramentali: *Beatissime Pater, Stephanus N. dioecesis N. quamvis non decumbat propter infirmitatem, attamen tanta stomachi debilitate laborat, ut ei moraliter impossibile sit observare ieiunium naturale ante s. communionem praescriptum. Ideo ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus suppliciter petit facultatem sumendi aliquid per modum potus, antequam ad s. communionem recipiendam accedat.*

[3]) Huius sententiae sunt *Berardi*, Examen conf. I. n. 764. *D'Annibale* III. n. 411. *Gasparri*, De euchar. II. n. 1129. *Génicot*, Theol. mor. inst. II. n. 202. *Lehmkuhl*, Casus consc.[3] n. 176. *Gennari*, Consultazioni[2] I. cons. 50. n. 6.

[4]) Cf. Monitore eccles. 1907 p. 472.

Articulus quintus.

De communione frequenti[1]).

158. De ipsa communione frequenti. 1. Nomine communionis frequentis proprie solum communio designatur, quae pluries in hebdomada vel etiam quotidie suscipitur. Ergo communio hebdomadaria proprie et stricte non dicitur frequens.

Communionis frequentis usus post concilium tridentinum potissimum invaluit et hodie late in ecclesia viget et floret. Eius hostes infensissimi erant Ianseniani, qui mentito religionis praetextu fideles a sacra communione frequentius sumenda arcebant: tantam enim animae puritatem et sanctitatem in suscipiente exigebant, ut unusquisque frequenti communione indignum se reputare debuerit.

2. *Ex mente ecclesiae communio frequens fidelibus enixe suadenda est.* Quoad sacrae communionis usum duo statuit ecclesia, primo ut semel tantum in die (n. 129), deinde ut semel saltem in anno communio sumatur. Intra hosce limites ipsa nihil quidem praecipit, attamen omnibus modis ostendit se valde optare, ut fideles ad sacram communionem frequenter, quin etiam quotidie accedant.

a. Concilium trident. optat, „ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicent“[2]); et catechismus rom. iussu concilii trid. editus monet parochos, ut fideles crebro hortentur ad frequenter sumendam s. communionem[3]). Quare factum est, ut acta concilii prov. rothomagensis, quod statuit, ut in posterum s. communio bis tantum in hebdomada distribueretur, Romae reprobarentur addita animadversione: *obstare concilium trid.*

---

[1]) Cf. *Lugo,* De eucharistia disp. 17. *Dalgairns,* Die heilige Kommunion; ihre Philosophie, Theologie und Praxis (Mainz. Kirchheim. 1862). *Ségur,* Die wöchentliche Kommunion (Mainz. Kirchheim. 1880). *Bastien,* De frequenti quotidianaque communione (Romae. Desclée. 1907).

[2]) Sess. 22. c. 6; sess. 13. c. 8. Consonat cn. 863.

[3]) Pars. II. c. 4. q. 58.

b. Celeberrimum *Innocentii XI.* decretum *Cum ad aures* (12. febr. 1679) exhibet ecclesiae sentiendi loquendique de hac re rationem, ut *Benedictus XIV.* edixerit: „Si in synodo instituatur sermo de frequenti aut etiam quotidiano s. eucharistiae usu, non esse deviandum ab huius decreti semita." Iam vero hocce decretum tria potissimum continet: α. reprobat prohibitionem frequentis communionis in nonnullis dioecesibus factam propter abusus, qui ex quotidiana communione irrepserant; β. decernit nec statum negotiatorum nec statum coniugalem impedire frequentem communionem, quae ab animae dispositione unice dependeat; γ. statuit iudicium de interiore dispositione et ideo de frequentia communionis in particulari casu relinquendum esse confessario.

c. Luculentissime ecclesia mentem suam de frequenti communione aperuit sollemni decreto *Sacra tridentina synodus* a *Pio X.* (20. dec. 1905) edito, quo non solum frequens et quotidiana communio enixe commendatur, sed etiam faciliores conditiones ad eam sumendam determinantur.

d. Hanc sentiendi agendique rationem ecclesia haurit ex verbis Christi, qui non obscure desiderium manifestat, ut fideles crebro panem eucharisticum manducent[1]), atque ex fine et effectibus eucharistiae, de quibus ita disserit *s. Thomas:* „Hoc sacramentum est cibus spiritualis, unde sicut corporalis quotidie sumitur, et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est"[2]).

Nota. Ideo contra mentem ecclesiae agunt non solum sacerdotes, qui omnibus indiscriminatim fidelibus frequentem communionem ideo solum negant, quia frequens est, et parochi, qui s. communionem non distribuunt nec distribui permittunt nisi diebus dominicis et festis; verum etiam confessarii, qui more ianseniano ad frequenter communicandum tantam animi puritatem exigunt, ut vix ullum poenitentem frequenti communione dignum iudicent. Falso principio hi ducuntur, scilicet s. communionem esse praemium et mercedem virtutis acquisitae, non potius sit medium virtutis acquirendae.

159. Dispositiones requisitae. 1. Quoad dispositiones requisitas omnes exigunt statum gratiae; de ulteriore autem dispositione theologi disputabant. Alii maiorem animi puritatem et actualem devotionem exigebant; alii econtra putabant statum gratiae sufficere, immunitatem autem a venialibus et actualem devotionem valde quidem optandas esse, at tamquam conditiones necessarias non requiri.

---

[1]) Ioan. 6, 59.

[2]) *Summa* III. q. 80. a. 10. ad 1.

2. Prior sententia, quam potissimum *de Lugo*[1]) tuetur, et cui etiam *s. Alphonsus*[2]) adhaeret, hucusque longe maiorem theologorum partem patronos habuit; pauci secundam propugnabant. Ideo etiam praxis, quae de frequenti et quotidiana communione hucusque servabatur in ecclesia, secundum normam prioris sententiae directa erat.

a. Docebant ad frequentem communionem duplicem dispositionem requiri: ut sublatus sit affectus ad venialia deliberata, quae proinde saltem ordinarie non committantur; ut serius conatus adhibeatur proficiendi in virtutibus et perfectione; et quo maior esset frequentia communionis, eo perfectiorem debere esse hanc dispositionem. Quocirca ut quis dignus sit quotidiana communione, exigebant, ut veniale deliberatum raro fieret seu ut pravae inclinationes magna ex parte iam essent superatae, ut serius adsit conatus proficiendi in via perfectionis. Ex quibus inferebant, quotidianam communionem compluribus negandam, paucis concedendam esse.

b. Eorum haec est potissima ratio. Reverentia Christo Domino debita exigit, ut qui frequenter communicant, id solum faciant cum magna animi puritate et actuali devotione. quamvis exinde complures carere debeant utilitate spirituali ex frequenti communione percepta; sicut ob eandem sacramenti reverentiam infantibus non datur s. communio, quamvis in eis augeretur gratia ex opere operato.

160. 3. Nunc vero s. sedes declarat: ad frequentem, quin et quotidianam communionem aliam dispositionem non requiri, nisi ut quis *in statu gratiae sit et cum recta mente ad s. mensam accedat.* Unde non solum non licet quemquam, qui hac dispositione praeditus sit, a frequenti et quotidiana communione arcere, sed fideles potius ad eam hortandi sunt, praesertim vero in religiosis institutis cuiusvis generis frequens et quotidiana communio supposita hac dispositione promovenda est[3]).

a. Status gratiae ex mente decreti non requiritur *habitualis*, qui relapsus in peccatum mortale excludit, sed sufficit *actualis*, qui in simplici exsistentia gratiae sanctificantis consistit, cum firmo tamen proposito non committendi peccatum mortale et seria voluntate vitandi occasiones et pericula. Quare nihil impedit, quominus ad frequentem

[1]) De euchar. disp. 17.

[2]) Praxis confessarii n. 152.

[3]) *S. C. C. Sacra tridentina synodus* 20. dec. 1905.

communionem admittatur poenitens, qui a solutiore vita nunc primum se convertit, dummodo vera et seria voluntas se emendandi appareat. — Quamvis ex mente ecclesiae status gratiae ad frequentem communionem sufficiat, monet tamen et hortatur citatum decretum, ut ad maiores fructus percipiendos maiores etiam dispositiones iuxta uniuscuiusque vires et conditiones praemittantur.

b. Recta mens in eo est, ut is, qui ad s. mensam accedit, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere, ei arctius caritate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere velit. Qui sequitur usum aliorum, solum quia alii id faciunt, vel usum a se pridem susceptum sine debita reverentia prosequitur, male agit; sed qui sequitur bonum aliorum in hac re exemplum vel cum debita intentione et reverentia prosequitur usum a se pridem inchoatum, male non agit. — Si studium *vanae gloriae* est unicum motivum accedendi, accessus moraliter malus est; quodsi partiale motivum est, accessus partim bonus partim malus est. Idem de *rationibus* humanis dicatur.

c. Fideles, qui frequenter vel etiam quotidie s. communionem suscepturi sunt, *confessarii consilium* exquirant. Ut prudens sit eius consilium, qui in omnibus normas citati decreti sequi debet, advertat: α. quod antea tamquam necessaria dispositio frequentis communionis designabatur, id nunc potius finis est intendendus et fructus ex quotidiana communione colligendus. „Etsi quam maxime expediat — verba sunt citati decreti — ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent cum proposito se nunquam in posterum peccaturos, quo sincero animi proposito fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant". β. Ut effectus iste obtineatur, „curandum est — iterum verba sunt decreti — ut sedula ad s. communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, condicionem atque officia".

d. Huius doctrinae et praxis rationes desumptae sunt: α. *Ex antiqua praxi ecclesiae:* vix enim negari potest, primis ecclesiae temporibus fideles indiscriminatim frequenter, immo etiam quotidie s. communionem sumpsisse, nec tamen in genere meliores et perfectiores fuisse nostri temporis fidelibus. β. *Ex bono spirituali fidelium:* quoties homo in statu gratiae ad s. communionem accedit, eius fructum partialiter saltem percipit ex opere operato, quamvis peccata venialia committat; et fructum quidem summi valoris, augmentum scilicet gratiae sanctificantis et caritatis; frequens autem et quotidianum augmentum gratiae et caritatis efficit, ut peccata venialia et imperfectiones paulatim emendentur. γ. Ex principio: *sacramenta sunt propter homines:* a

eo enim inferendum est, Christum Dominum maiorem utilitatem spiritualem fidelium perfectiori dispositioni praeferre, ideoque ad quotidianam communionem aliud non exigere, nisi ut communicans sit in statu gratiae et recta mente accedat. Hanc sententiam, quae erat ss. patrum, ecclesia recenti decreto confirmat.

e. Ergo iis frequens communio non est neganda, qui interdum in mortale labuntur, modo illud detestentur et serio emendare proponant; neque neganda est illis, qui affectum ad venialia deliberata habent. Neganda autem est iis, qui affectum ad mortalia habent, ideoque frequenter in mortalia labuntur; attamen excipiendi sunt, qui ex interna fragilitate vel ex vehementi et extraordinaria tentatione labuntur et voluntatem seriam ostendunt contra peccatum dimicandi: hi enim ex frequenti communione maius robur ad resistendum tentationibus hauriunt.[1])

4. Ut usus quotidianae communionis in dies magis propagaretur, iis, qui consuetudinem habent quotidie communicandi, concessum est *privilegium* absque confessione hebdomadaria lucrandi omnes indulgentias, ad quas lucrandas confessio necessaria esset.

Iis, qui bis saltem in mense, nisi legitime impediantur, confiteri solent, concessum et privilegium lucrandi omnes indulgentias occurrentes, ad quas lucrandas praescripta est confessio (exceptis indulgentiis iubilaei ordinarii et extraordinarii); idem privilegium conceditur iis, qui usum quotidianae vel quasi-quotidianae communionis habent absque obligatione singulis hebdomadis confitendi. Hoc privilgium ergo non amittunt, qui semel aut iterum per hebdomadam a communione abstinent[2]).

5. A frequenti communione arcendi non sunt *pueri atque puellae;* quin etiam quotidiana communio iam post susceptam primam communionem eis suadari debet, praesertim iis, qui in seminariis puerorum aliisque ephebeis educantur, ut Christo eiusque gratia imbuantur, priusquam passiones in eorem cordibus oriantur et dominari incipiant[3]).

---

[1]) Cf. *Frassinetti,* Compendio della teolog. morale[9] (Genova. Fassicomo 1898) Dissertatio X. *M. C. Gennari,* Sulla communione frequente[2] (Napoli. Tipogr. degli artigian. 1900).

[2]) Cn. 931, 3. *S. C. Indl.* 14. febr. 1906.

[3]) S. C. C. 15. sept. 1906.

Cavendum tamen *a.* ne superiores, nisi caute, alicui in particulari dicant, ut frequentius ad s. communionem accedat, ne hypocrisim foveant et sacrilegiis ansam dent; *b.* ne pueri et puellae ex mera assuetudine, distracti et dissipati accedant: attenta enim levitate puerilis aetatis periculum est, ne ipsis sacer cibus ex quotidiano usu vilescat.

161. Pro praxi. 1. Parochi et confessarii magni faciant frequentem communionem, tamquam usum ab ecclesia laudatum et commendatum, ad eamque fideles enixe hortentur. Id enim praecipit ecclesia, quia frequens immo et quotidiana communio christifidelibus ab ipso Domino propter insignes eiusdem fructus valde commendatur[1]).

2. Quamvis magnus in commendanda frequenti et quotidiana communione zelus probe laudandus sit, meminerint tamen a prudentiae atque veritatis norma nunquam esse recedendum. Hinc

a. In extollenda communionis frequentia ne ita loquantur, ut consilium cum praecepto confundant. Omnibus *praecepta* est annua, nonnullis (iuvenibus, consuetudinariis) frequentior communio, quotidiana vero immo generatim frequens communio, solum *commendata* est.

b. Simul inculcent necessitatem debitae praeparationis et gratiarum actionis, quae etiam ante et post quotidianam communionem, utique pro communicantium viribus, opportunitate, officiis, institui debent. Ceterum necesse non est, ut integra praeparatio et gratiarum actio in ipsa ecclesia fiat, quemadmodum necesse non est, ut fideles e. g. operarii, discipuli aliis ad communicandum vestibus quam ferialibus utantur.

c. Videant confessarii, num frequens et quotidiana communio suscipi ■ poenitentibus possit sine detrimento obligationum status in servis, ancillis, matribus familias etc., vel sine iactura maiorum bonorum, ut pacis et tranquillitatis in familiis pro uxoribus etc.

d. Ubi hucusque ne menstrua, bimestris, trimestris quidem communio in usu erat, parochus *imprimis* omnem operam impendat, ut populus singulis mensibus ad sacram mensam accedat, quin tamen de frequentiore immo et quotidiana communione sileat. In unaquaque enim parochia inveniuntur fideles ad veram pietatem et frequentiorem sacramentorum usum propensi. Qui quidem, si a zeloso et prudenti confessario apte diriguntur, alios ad frequentiorem communionem inducere possunt.

3. Nisi officia status vel maiora bona servanda obstent, parochus et confessarius omnes, qui in statu gratiae sunt et communionis fructus sibi acquirere intendunt, ad frequentem et quotidianam communionem admittere debet, sive sint feminae sive viri, sive caelibes, sive matrimonio iuncti, sive adulti sive pueri. Nec a peccato immunis est, qui

---

[1]) Cf. S. C. C. 10. dec. 1905.

quemquam, suppositis condicionibus, quae requiruntur, a frequenti communione retrahat vel eandem ei neget.

4. Si de *pueris* agitur, quorum parentibus frequens communio in filiis displicet, sacerdos eos hortetur, ut a parentibus licentiam frequenter communicandi petant eamque, si opus fuerit, oboedientia, bonis moribus, diligentia, blanditiis etc. sibi procurent. Eosdem confessarius iugiter hortetur et instruat, ut devote accedant et praeparationem et gratiarum actionem bene instituant. Similiter uxores curent, ut consentientibus viris frequenter communicare possint.

5. Quamvis *hebdomadaria confessio* pro frequenter communicantibus ordinarie commendanda videatur, haud raro tamen adiuncta aderunt, quae rariorem confessionem suadeant. Eiusmodi sunt e. g. defectus temporis sive ex parte confessarii, sive ex parte poenitentis; periculum, ne accessus ad confessionem iis difficilior reddatur, qui ea maxime indigent. Hinc licite fieri potest, ut frequenter vel quotidie communicantes singulis tantum mensibus confiteantur. Meminerint enim pastores animarum, maius bonum spirituale ex s. communione quam ex sacramentali confessione percipi. Praestat igitur, ubi utrumque coniungi nequeat, confessionem potius quam communionem omittere.

Caput secundum.

De eucharistia ut sacrificium est[1]).

Quaestio prima.

De natura sacrificii eucharistici.

Sacrificium eucharisticum solet etiam appellari *sacrificium missae,* quo nomine significatur ritus sacer, iuxta quem sacrificium eucharisticum ex praecepto ecclesiae offerri debet. De natura sacrificii eucharistici ea tantum doctrinae capita ex institutionibus dogmaticis hoc loco indicantur, quae ad solvendas quaestiones morales scitu necessaria sunt.

162. Declarationes. 1. *Sacrificium* in genere definiri potest: Oblatio rei sensibilis legitime instituta et Deo facta, qua per eiusdem rei immutationem profitemur Deum esse supremum rerum omnium et vitae ac mortis nostrae dominum.

a. Sacrificium improprio sensu accipitur pro quacunque oblatione Deo facta seu pro quocunque actu interno vel externo, quo Deus colitur; sic dicitur: *sacrificium Deo spiritus contribulatus*[2]) et: *immola Deo sacrificium laudis*[3]). *Proprie* accipitur pro speciali oblatione [redacted] pro speciali actu religionis, quo [redacted] aliqua externa sub certo ritu Deo offertur et immutatur in contestationem supremi eius dominii in vitam et mortem omnium.

b. Sacrificium suapte natura *signum* est, quo significamus Deum, vitae et mortis absolutum dominum, dignum esse, in cuius honorem vita nostra destruatur; id autem significamus destructione illius rei, quae Deo in sacrificium offertur. Haec res *sensibilis* esse debet, quia sacrificium institutum est ad cultum externum Deo exhibendum. Sacrificium publicum *institutum* esse debet vel [redacted] Deo vel ab auctori-

---

[1]) *Benedictus XIV.*, De sacrosancto sacrificio missae. *N. Gihr.* Das heilige Messopfer[7]. (Freiburg. Herder. 1902).

[2]) Ps. 50, 19.

[3]) Ps. 49, 14.

tate publica, quia est signum commune, quod solum ab auctoritate legitima et publica institui potest. *Per immutationem:* res enim Deo oblata ritu externo vel ex toto vel ex parte immutari debet (per effusionem, fractionem, consumptionem), ut hac immutatione significetur supremum Dei in vitam nostram dominium.

2. In *missa* Deo offertur *verum et proprie dictum sacrificium,* quod eucharisticum dicitur: Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium . . a. s.[1]). Insuper in sacrificio missae omnes concurrunt conditiones, quae ad verum proprieque dictum sacrificium requiruntur, quod fuse ostendunt dogmatici[2]).

Sacrificium missae ratione *rei oblatae* non differt a sacrificio cruento, quod Christus obtulit in cruce: in utroque enim offertur idem corpus et sanguis Christi; ratione *modi offerendi* autem utrumque differt. In sacrificio missae Christus *offertur per consecrationem* i. e. actio sacrificalis, qua Christus offertur, est consecratio. Sed utrum consecratio eo sit actio sacrificalis, quod per eam corpus et sanguis Christi separatim ponitur sub speciebus panis et vini, an eo, quod Christus per eam ponitur in statu cibi et potus, dogmatici controvertunt[3]).

163. Essentia sacrificii eucharistici. Quaerunt theologi, in *qua actione essentia sacrificii eucharistici consistat,* scilicet, utrum in sola consecratione an in consecratione et sumptione simul eius essentia habeatur. Complures huius erant sententiae, non solum consecrationem, sed etiam communionem ad essentiam huius sacrificii pertinere; hodie tamen fere communis est inter theologos sententia, quae docet solam consecrationem ad essentiam, communionem vero ad integritatem et perfectionem sacrificii eucharistici pertinere. Rationes *primi* sunt: *a.* In sola consecratione iam omnia perfecte habentur, quae ex definitione sacrificii ad essentiam sacrificii eucharistici requiruntur: nam in consecratione Deo offertur res sensibilis a proprio ministro iuxta legitimam institutionem per immutationem hostiae ad agnoscendum supremum Dei do-

[1]) *Concilium trid.* sess. 22. c. 1. et can. 1.
[2]) Cf. *Pesch* VI. n. 852 ss.
[3]) Cf. *Pesch* VI. n. 902 ss.

minium. *b.* Missae sacrificium offerri debet in persona Christi, qui est offerens principalis; atqui sola consecratio peragitur in persona Christi, sumptio autem a sacerdote exercetur suo nomine, non in persona Christi[1]). Ad *integritatem* autem communio pertinet, quia Christus sub speciebus eucharisticis ponitur per modum cibi et potus, ideo communio iure divino praecipitur: nam postquam Christus in ultima coena dixerat: *accipite et manducate,* subiunxit: *hoc facite in meam commemorationem*[2]), quibus verbis etiam sumptio eucharistiae praecipitur. Communio igitur nunquam sine gravi peccato omitti potest.

α. Solutio huius quaestionis eatenus *momentum practicum* habet, quatenus ex ea determinandum est, quamdiu missae aliquis assistere debeat, ut ei quoad substantiam interfuisse dicendus sit. Scilicet is, qui consecrationi interfuit, missae sacrificio quoad substantiam interfuit et fructuum sacrificii particeps fit; attamen praecepto ecclesiae audiendi missam non satisfacit, quia missa integra praecipitur. — Insuper ex hac eadem solutione solvitur quaestio, num ille, qui die festo consecratione peracta ad ecclesiam venit, reliquae missae parti assistere debeat. — Tandem solvitur quaestio, num applicatio missae post consecrationem facta adhuc valeat.

β. Quoniam ergo ad sacrificium eucharisticum non sola consecratio, sed ex praecepto Christi, saltem ut pars integrans, etiam communio pertinet, *celebrans semper de suo sacrificio communicare debet,* nec licet ei sumere hostiam in alia missa vel ab alio consecratam et hostiam a se consecratam e. g. reponere in ostensorio. — Idem etiam de *fractione* liturgica hostiae, quae est praeparatio ad manducationem, dicendum est, quod nempe eadem hostia, quae simul cum sacro calice consecrata fuit, debito modo frangi et a celebrante sumi debeat, ut integritas sacrificii perfecta sit. Universim omnes ceremoniae missae per eas in una eademque hostia peragi debent, id quod perfecta integritas sacrificii exigit et rubricae missalis manifesto supponunt. Ideo per se ipsa hostia modo consecrata, non alia antea consecrata, ut adoretur, elevari debet.

γ. Sine gravissima causa non licet particulas in missa consecratas *ante communionem de altari sumere,* ut communicaturis distribuantur,

[1]) Potissima ratio eorum, qui censent communionem ad essentiam sacrificii eucharistici necessariam esse, haec est, quia alias in sacrificio missae non reperiatur illa destructio, quae ad omne sacrificium requiritur. Patet hanc rationem nullius esse momenti. Cf. *Pesch* VI. n. 897 ss.

[2]) 1. Cor. 11, 24.

tum quia usque ad communionem in ara manere debent, tum quia ex eodem sacrificio primus sacerdos celebrans et deinde fideles communicare debent. Si tamen ageretur de viatico administrando, licet deficientibus particulis praeconsecratis particulam in ipso sacro consecratam ante communionem ad infirmum deferre[1]). — Item particulae in missa consecratae non prius reponendae, sed usque ad peractam communionem *in altari relinquendae* sunt, quia (licet non essentialiter) ad sacrificium pertinent, quod peracta demum communione absolvitur.

164. De consecratione utriusque speciei. Pari modo quaerunt, utrum *ad essentiam sacrificii missae requiratur consecratio utriusque speciei,* an tota ratio sacrificii eucharistici etiam in consecratione unius habeatur. Vera esse videtur sententia, secundum quam ad essentiam sacrificii consecratio utriusque speciei requiri affirmatur. Et sane, de ratione sacrificii eucharistici est, ut sit incruenta repraesentatio sacrificii cruenti in cruce; atqui repraesentatio sacrificii cruenti missa non est nisi per consecrationem utriusque speciei: nam missae sacrificium eo repraesentat sacrificium crucis, quod corpus et sanguis Christi sub diversis speciebus ponuntur, scilicet corpus a sanguine separatum ac veluti mortuum et sanguis Christi a corpore separatus atque effusus: vi enim seu gladio verborum separatur sanguis a corpore[2]).

a. Momentum practicum haec quaestio habet, ubi is, qui stipendium pro missa accepit, unam tantum speciem consecravit, nec defectum supplere potuerit. Ex hac sententia igitur in eiusmodi casu ille, qui stipendium accepit, suae obligationi celebrandi pro eo, qui stipendium dedit, non satisfecit; quare aut missam denuo celebrare aut a s. sede condonationem petere debet.

b. Quoniam vero auctore *s. Alphonso* (n. 306) sententia, secundum quam essentia sacrificii etiam in sola consecratione unius speciei habetur, probabilis est, ille, qui pro stipendio celebravit, in tali casu obligationi suae probabiliter satisfecit; qui autem obligationi suae probabiliter iam satisfecit, non tenetur eam denuo implere, dummodo hanc sententiam cum *s. Alphonso* probabilem habeat.

---

[1]) Cf. *Gury,* Casus conscientiae II. n. 262. *Lehmkuhl,* Casus consc. II. n. 130.

[2]) Cf. *Pesch* VI. n. 886 ss. Zeitschrift f. k. Th. 1892 S. 97 ff.

165. Missae finis et effectus. 1. Sacrificium missae ratione rei oblatae unum, *ratione finis autem quadruplex est: latreuticum,* quatenus offertur ad colendum Deum; *eucharisticum,* quatenus offertur ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficiis; *impetratorium,* quatenus offertur ad impetranda beneficia, et *satisfactorium,* quatenus offertur ad obtinendam remissionem poenarum temporalium, quae pro peccatis iam remissis adhuc debentur. Hac ratione fit, ut sacrificium missae omnium sacrificiorum veteris testamenti differentias in se uno contineat.

Horum finium unum vel alterum vel etiam omnes sacerdos celebrans explicite intendere potest et laudabiliter intendit; necessarium autem hoc non est: implicite enim semper illorum intentio habetur, quoties sacerdos sacrum facere intendit, prout Christus instituit vel prout vult et intendit ecclesia; haec autem implicita intentio in celebraturo semper habetur.

2. Quadruplici fini, ad quem missae sacrificium ex institutione sua offertur, respondet *quadruplex effectus,* quem idem sacrificium re ipsa producit. Exhibet ss. Trinitati perfectissimum cultum latriae, exsolvit debitum gratiarum actionis pro acceptis beneficiis, impetrat omnis generis beneficia supernaturalia et naturalia, quatenus haec ad salutem conducunt, ac tandem obtinet a Deo remissionem peccatorem quoad poenam; producit ergo effectum latreuticum, eucharisticum, impetratorium et satisfactorium.

Patet, horum effectuum alios produci respectu Dei, alios respectu hominum: cultus latriae, solutio debiti gratitudinis et placatio divini numinis referuntur ad Deum; remissio autem poenarum et diversi generis beneficia (effectus impetratorius et satisfactorius) referuntur ad homines.

166. Offerentes varii. Offerentes sacrificium complures distingui possunt, qui tamen non omnes eodem modo sacrificium offerunt. Ad quod declarandum notari debet missae sacrificium *principaliter* offerri ab eo, cuius nomine et auctoritate offertur, qui proinde in eius oblatione est agens principalis; *ministerialiter (immediate)* offertur ab eo, qui nomine et potestate principalis offerentis sacrificat: *ministerialiter (mediate)* ab eo, qui ministro offerenti mo-

raliter se aliquo modo adiungit, quod fieri potest dupliciter, vel eo, quod actu se aliquis ei adiungit, vel eo, quod solum ex intentione ecclesiae se ei adiungit.

a. Offerens principalis est Christus Dominus, qui missae sacrificium ipse offert et sic per sacerdotes tamquam ministros suos sacrificium crucis incruento modo quotidie renovat.

Ex concilio enim tridentino *idem nunc (est) offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit*[1]). Et sane Christus instituendo sacrificium voluit, ut illud per sacerdotes semper suo nomine offerretur, quocirca sacerdotibus in ordinatione potestatem concedit suo nomine offerendi missae sacrificium.

b. Offerens ministerialis (immediatus) est solus sacerdos, qui, licet in persona Christi offerat, non est tamen merus exsecutor alienae voluntatis, sed ipse etiam proprio nomine sacrificat.

Christus, ut habet concilium trid. (l. c.), se nunc offert *sacerdotum ministerio.* Quia vero missae sacrificium per consecrationem offertur, potestate autem consecrandi, quae in ordinatione sacerdotali traditur, solus sacerdos insignitus est, ideo *solus sacerdos* missae sacrificium ut offerens ministerialis (immediatus) offerre potest.

c. Offerens generalis est universa ecclesia, cui Christus hoc sacrificium reliquit, ut loco sacrificiorum veteris testamenti quotidie offerretur; ideo ecclesia sacerdotes eligit et consecrat, ut per eos tamquam legatos suos missae sacrificium Deo offerat. Quare sacerdos non solum ut minister Christi, sed etiam ut minister et legatus totius ecclesiae sacrificat.

Fideles eosque omnes ministerialiter (mediate) offerre sacrificium ex ritu missae colligitur: *Offerimus* tibi Domine etc. Te igitur clementissime Pater . . supplices *rogamus* ac *petimus.* Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et *cunctae familiae tuae* etc. Ergo ex intentione ecclesiae omnes fideles missae sacrificium offerunt.

d. Offerentes speciales et accessorii sunt fideles, qui sacerdoti offerenti aliquo modo actu se adiungunt. In his primum locum obtinent, qui *operam* suam cum celebrante coniungunt, qui ergo vel stipendium praebent vel missas fundarunt, utensilia ad missam necessaria suppeditant vel

[1]) Sess. 22. c. 2.

sacerdoti sacrificanti inserviunt; secundum locum obtinent, qui missae reipsa intersunt, qui ergo voluntate et *praesentia* sua participant; tertium denique locum obtinent, qui mente et spiritu missae intersunt ideoque solum *voluntate* sua, licet actuali, cum offerente se coniungunt.

167. Sacrificium et offerens tripliciter considerari potest. 1. *Sacrificium* igitur eucharisticum *triplici modo considerari potest: a.* prout a Christo institutum est atque ab eodem Christo offertur; *b.* prout offertur ab ecclesia, quae est sponsa Christi, in qua semper exsistunt complures eximiae sanctitatis fideles; *c.* prout offertur ab hoc determinato sacerdote cum hac dispositione, devotione et attentione. Si primo modo consideratur missae sacrificium, Deo patri semper infinite placet eundemque semper producit effectum, a quocunque offertur sacerdote sive sancto sive peccatore, sive devoto sive distracto. Si secundo modo consideratur, pariter Deo patri semper placet et suum producit effectum independenter a sanctitate sacerdotis celebrantis. Si tertio modo consideratur, Deo patri magis placet maioremque producit effectum, quo maior est sacerdotis sanctitas et devotio.

2. Pariter *sacerdos* sacrificium offerens *tripliciter considerari potest: a.* prout gerit personam Christi, primi offerentis et consecrantis, cuius sacerdos est veluti instrumentum et causa ministerialis; *b.* prout est publicus minister ecclesiae, cuius nomine sacrificium offert et in cuius persona preces fundit, quae in missa recitantur; *c.* prout est persona privata suo quoque nomine offerens et orans.

a. Ex his conficitur missae sacrificium semper esse *actum religionis publicum*, nunquam mere privatum, omnesque preces ad ritum missae pertinentes fundi a sacerdote, ut est minister ecclesiae et *persona publica*. Neque ideo cessat in sacerdote ratio *personae privatae:* etenim pro [redacted] ipso quoque et proprio nomine sacerdos orat et sacrificat.

b. Ex his conficitur *missam boni sacerdotis absolute loquendo plus valere quam mali*. Quoad fructum quidem substantialem, qui ex oblatione sacrificii in persona Christi facta ex opere operato provenit, et quoad fructum, quem sacrificium producit, quatenus nomine totius ecclesiae offertur, missa mali sacerdotis tantum valet quantum boni,

cum iste fructus a dispositione ministri sit independens. Praeter hunc utrumque fructum substantialem missa mali sacerdotis nihil amplius prodest, missa vero boni sacerdotis alios praeterea fructus ex opere operantis parit. Nam quatenus sacerdos ut persona privata suo nomine orationes liturgicas recitat et in utroque Memento orat, eius preces utpote Dei amici exaudiuntur, mali vero sacerdotis preces a Deo non audiuntur. Sed orationes liturgicae etiam nomine ecclesiae fiunt. Iam vero bonus sacerdos maiore attentione, fervore atque fiducia orare solet quam malus; atqui quo attentius et ferventius aliquis orat, eo plus sibi et aliis impetrat. Etsi ergo orationes, quae nomine ecclesiae a malo sacerdote fiunt, suum fructum habeant, quatenus vero a sacerdote bono cum debita dispositione ac devotione fiunt, magis prosunt, praesertim quoad fructum impetratorium, quia Deo magis placent orationes ecclesiae, quae a bono ministro funduntur, eumque intuitu sanctitatis ministri movent ad ampliora bona concedenda[1]).

Quaestio secunda.

De valore et fructibus sacrificii missae.

Articulus primus.

De fructibus missae sacrificii[2]).

168. *Fructus* sacrificii missae latiore et strictiore sensu intelligi possunt: latiore sensu comprehenduntur omnes effectus, quos missae sacrificium producit tum respectu Dei tum respectu hominum; strictiore sensu significantur effectus, quos missa in hominibus producit i. e. bona, quae Deus intuitu sacrificii oblati confert hominibus. Qui quidem fructus missae sub triplici respectu considerari et dividi possunt: *a.* ratione *modi*, quo producuntur; *b.* ra-

[1]) Cf. *s. Thomas* III. q. 82. a. 6. *Gobat*, Exper. theol. tract. 3. n. 111 ss. *Sporer-Bierbaum* III. q. 2. n. 320 ss. *Dicastillo*, De sacram. tract. 5. n. 190 ss.

[2]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 2. n. 222 ss. *Lugo* disp. 19. sect. 9. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 994 ss. *Gihr*, Das hl. Messopfer S. 115 ff.

tione *rei,* quae confertur; *c.* ratione *personarum,* quibus fructus conferuntur.

169. Ratione modi, *quo producuntur,* alii fructus proveniunt ex opere operato, alii ex opere operantis. *Ex opere operato* provenire dicuntur fructus, qui conferuntur ex institutione et oblatione sacrificii independenter a sanctitate et dispositione offerentis; *ex opere operantis* provenire dicuntur fructus, qui conferuntur intuitu dignitatis ac meriti offerentis.

a. Fructus, qui ex missae sacrificio offerentibus et iis, pro quibus missa offertur, eatenus proveniunt, quatenus *ecclesia* per ministros suos offert et orat, ab aliis dicuntur provenire ex opere operato, ab aliis ex opere operantis (n. 49). Qui sint fructus ex opere operato provenientes inferius dicitur.

b. Effectus, qui per sacrificium missae causantur ex opere operato, sequuntur *infallibiliter,* si in subiecto, in quo causantur, non inveniant obicem: quod enim ex opere operato producitur, excluso obice infallibiliter sequitur. Huic affirmationi non obstat α. factum, quod multi peccatores, pro quibus missae sacrificium offertur, non convertantur: omnibus enim vi sacrificii oblati conferuntur auxilia, quibus converti possent, si vellent; nec β. factum, quod beneficia, quae per missae sacrificium petuntur, non semper concedantur: etsi enim non concedantur illa determinata bona, quae petuntur, praesertim temporalia semper tamen vi sacrificii oblati conceditur aliquod aliud bonum loco eius, quod petitur, si non reperiat obicem.

170. Ratione rei, *quae confertur,* fructus missae quadruplex est:

a. Meritorius gratiae et gloriae. Christus quidem per sacrificium eucharisticum nihil amplius meretur nec satisfacit: redemptio enim per sacrificium crucis completa est; neque ecclesia missae sacrificium offerens quidquam mereri potest: meritum enim supponit actionem personalem; sacerdos autem offerens ministerialis et offerentes secundarii omnes percipiunt fructum meritorium, si in eis adsint conditiones ad meritum requisitae. Hunc fructum missae sacrificium producit *ex opere operantis.*

Oblatio enim huius sacrificii est *opus bonum* a sacerdote et ceteris offerentibus positum, quod exsistentibus debitis conditionibus, ut omne

aliud opus bonum, habet valorem meritorium, impetratorium et satisfactorium ex opere operantis.

b. Impetratorius. Missae sacrificium vim habet impetrandi bona tum spiritualia tum etiam temporalia, si ad salutem conducant. Provenit autem hic fructus *ex opere operato,* cum missae sacrificium ex institutione sua vim habeat impetrandi bona, quae postulantur, si saluti petentium expediant.

Effectus *impetratorius* eo producitur, quod Christus merita sua offerens Patrem rogat, ut propter haec merita velit huic vel illi homini haec vel illa bona sive supernaturalia sive naturalia concedere. Ab hoc fructu impetratorio distinguendus est fructus impetratorius, qui ex ecclesiae supplicatione provenit, cuius supplicationis efficacia eo maior est, quo plures hic et nunc in ecclesia sunt eximiae sanctitatis fideles. Ab utroque tandem fructu impetratorio distinguendus est fructus impetratorius, qui sacerdoti et fidelibus cum ipso offerentibus ex opere operantis provenit, eo quod missam offerentes opus salutare ponunt.

c. Propitiatorius seu expiatorius. Sacrificium missae vim habet Deum placandi remittendique peccata tum mortalia tum venialia[1]). Peccata autem non remittit immediate sed mediate, quatenus gratiam confert eliciendi pios actus, quibus anima ad remissionem obtinendam disponatur. Hunc quoque effectum missa producit *ex opere operato,* quatenus per missae sacrificium merita Christi sacrificio crucis parta Deo patri repraesentantur eumque ad misericordiam movent, ut donum poenitentiae concedat.

α. Fructus *propitiatorius* in hunc modum explicari potest. Propter peccata Deus iuste indignatus atque aversus negat peccatori auxilia saltem uberiora, quibus ad poenitentiam adducatur; oblato tamen sacrificio placatur Deus et deposita indignatione concedit auxilia, quae non placatus negasset. Ergo missae sacrificium dupliciter auxilia confert perveniendi ad poenitentiam atque ad delenda peccata: impetrando directe et propitiando seu placando indirecte: placatione enim directe aufertur indignatio, quae obstabat, quominus illa auxilia concederentur[2]).

β. Omnes quidem concedunt *peccata mortalia* per missae sacrificium solum mediate remitti, eo scilicet, quod missa peccatori impetret et conferat auxilia gratiae (non tamen semper efficacia), quibus moveatur ad contritionem vel ad suscipiendum cum attritione sacramentum.

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 22. c. 2. et can. 3.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 19. n. 141.

Nam sacrificium immediate institutum est ad cultum Dei, non autem ut sacramenta ad hominem immediate iustificandum et sanctificandum. Idem innuit concilium tridentinum: „huius quippe (sacrificii) oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata dimittit“ [1]).

γ. Quoad *venialia* autem nonnulli docent ea in iustis per missae sacrificium etiam immediate deleri supposita dispositione, quae ad id requiratur. Verum sententia, quae tenet etiam venialia solum *mediate* deleri, eo scilicet, quod missae sacrificium iustis auxilia conferat pios actus eliciendi, quibus saltem virtualis detestatio venialium et causa immediata remissionis eorum contineatur, praeferenda videtur[2]).

d. Satisfactorius. Sacrificium missae vim habet remittendi tam vivis quam defunctis poenam temporalem, quae pro peccatis iam remissis adhuc debetur[3]). Fructus iste *ex opere operato* et quidem immediate (non solum mediate impetrando auxilia ad actus satisfactorios eliciendos) producitur, quatenus oblatione huius sacrificii satisfactiones Christi applicantur iis, pro quibus illud offertur. Non tamen simul omnem poenam remittit, sed maiorem minoremve partem secundum mensuram a Deo statutam et secundum dispositionem fidelium.

Haec sacrificii vis ex concilio tridentino colligitur, quod l. c. docet animas in purgatorio detentas *potissimum altaris sacrificio iuvari;* hoc autem verum non esset, si missa vim non haberet defunctis immediate remittendi poenas temporales, quam habent etiam indulgentiae: non enim *potissimum* per missae sacrificium iuvarentur. Quodsi missae sacrificium vim habet remittendi poenas temporales defunctis, nulla est ratio eandem vim negandi quoad vivos.

Nota. 1. Qui fructum propitiatorium ab expiatorio distinguunt, fructum *propitiatorium* eum dicunt, qui confert ad remissionem peccatorum mortalium obtinendam, *expiatorium* vero illum, qui confert ad delenda peccata venialia. Uterque remissionem peccatorum mediate tantum et per modum impetrationis producit.

2. Divisio, qua missae sacrificium ratione finis dicitur latreuticum, eucharisticum, impetratorium et satisfactiorum adaequata est dicenda, quia sub fine impetratorio continetur etiam propitiatorius seu expia-

---

[1]) Sess. 22. c. 2.

[2]) Cf. *Laymann* l. 5. tr. 5. c. 1. n. 4. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 2. n. 242.

[3]) *Concilium trid.* sess. 25. De purgat.

torius: sacrificium enim propitiatorium (expiatorium) est, quatenus a Deo per ipsum sacrificium placato impetrat gratias atque auxilia, quibus peccator moveatur ad conversionem.

171. Ratione personarum, *quibus fructus obveniunt*, quadruplex distinguitur fructus missae: generalis, specialis, specialissimus et ministerialis.

Patet, hic non [illegible] sermonem de fructu meritorio, cuius ipsi offerentes et assistentes participes redduntur, [illegible] quod actum religionis supernaturalem exercent, sed de fructibus, quos missa producit ex opere operato, quatenus est sacrificium a Christo et ab ecclesia Deo oblatum, de fructu scilicet impetratorio et satisfactorio.

a. Generalis est, quem participat tota ecclesia, omnes scilicet fideles vivi atque defuncti, modo obicem non ponant. Hunc fructum generalem fideles tam vivi quam defuncti percipiunt *sine applicatione* celebrantis ex voluntate ecclesiae, quae semper intendit offerre pro omnibus suis membris vivis et defunctis. Sacerdos autem hunc fructum generalem *aliter applicare non potest*, quia ipse iure divino constitutus est a Deo, ut sacrificia offerat pro peccatis populi[1]).

Ergo omnes fideles ex quavis missa percipiunt fructum impetratorium et propitiatorium; num etiam satisfactorium percipiant, non constat: plerisque enim theologis incredibile videtur unumquemque iustum ex tot millenis sacrificiis quotidie oblatis remissionem poenae percipere[2]).

b. Specialis obvenit iis, qui peculiari modo ad sacrificium concurrunt (offerentes secundarii). Etiam iste fructus ab *intentione celebrantis independens est,* qui eum *aliter applicare non potest,* cum illis, quibus confertur, ex institutione Christi et ex voluntate ecclesiae obveniat, et intensiore quidem gradu, quo propius cum sacerdote celebrante coniunguntur.

Complures auctores (*Coninck, Gobat, Sporer* et alii) censent hunc fructum ab offerentibus secundariis donari et applicari posse aliis, quia in canone de illis dicitur: *qui tibi offerunt pro se suisque omnibus.* Quocirca duplici sensu fideles *pro alio missam audire* possunt, tum eo quod fructum ex opere operantis percipiendum et alteri applicabilem

[1]) Cf. Hebr. 5, 1.

[2]) Cf. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 2. n. 247.

ei donare intendunt, tum eo quod fructum specialem ex opere operato partum ei donant.

Qui eodem tempore pluribus sacris assistit, de fructibus omnium participat: cum enim debita praesentia et attentio, quae est conditio, a qua participatio fructus dependet, simul pluribus sacris exhiberi possit, nulla est ratio negandi, etiam fructus ex singulis sacris percipi.

c. Specialissimus seu personalis est ipsius sacerdotis offerentis: sicut enim ipse est proprie offerens, ita etiam pro se ipso potissimum offert. Fructus iste a celebrante percipitur, licet de eo non cogitet neque illum sibi acquirere intendat. Ex eo, quod sacerdos offerens in sacro ministerio tam prope ad Christum accedit et tam arcte cum eo coniungitur, recte infertur hunc fructum quoad gradum non esse fructu ministeriali multo inferiorem.

Plerique theologi cum *s. Thoma, Suario, de Lugo* aliisque negant hunc fructum aliis applicari posse; nonnulli tamen id affirmant et insuper addunt sacerdotem pro applicatione huius fructus stipendium accipere posse. Verum haec doctrina ab ecclesia damnata est[1]). Ratio damnationis non est, quod plane certum sit hunc fructum applicari non posse, sed quod incertum sit, num applicari possit: nam pro solutione incerta non licet certum stipendium accipere seu obligationi certae (iustitiae) non potest satisfieri per solutionem incertam.

d. Ministerialis, qui obvenit iis, pro quibus sacrificium in particulari offertur et quibus a celebrante applicatur. Fructus iste satisfactorius est pro poenis debitis, propitiatorius pro peccatis et impetratorius bonorum spiritualium et temporalium; sed ut certis personis obtingat, necesse est, *ut a celebrante applicetur.*

Articulus secundus.

De valore sacrificii.

172. Declarationes. Quaeritur, utrum *valor sacrificii missae sit infinitus an finitus.* Ut apte haec quaestio solvi possit, complura praenotanda sunt.

---

[1]) Cf. propositio 8. *Alexandri VII.: Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.*

a. Valor sacrificii missae imprimis intelligitur *moralis dignitas*, quae huic sacrificio natura sua insita est sine respectu ad effectus, quos producit. Porro dignitas sacrificii a dignitate offerentis et a pretio victimae dependet. Ideo dignitas sacrificii eucharistici est simpliciter infinita, cum ipse Christus, qui simul est offerens et victima, dignitatis sit infinitae.

b. Deinde nomine valoris intelligitur *vis*, quam missae sacrificium ex natura et dignitate sua habet, producendi certos effectus sive respectu Dei sive in hominibus, tum in offerentibus, tum in iis, pro quibus offertur Valor igitur et fructus missae invicem habent ut causa et effectus.

c. Valor iste seu vis sacrificii eucharistici considerari potest in *actu primo* i. e. quoad sufficientiam, quam ob suam naturam et dignitatem ex se et in se habet, producendi certos effectus, et *in actu secundo* i. e. quoad efficaciam, quam ex voluntate et institutione Christi reipsa habet producendi certos effectus. Valori in actu primo respondent effectus, quos ex se producere *potest;* valori in actu secundo respondent effectus, quos ex voluntate Christi *reipsa producit.*

d. Valor sacrificii missae potest esse infinitus intensive et extensive. *Intensive infinitus* dicitur valor, qui causare potest effectum semper maiorem et perfectiorem; *extensive infinitus* dicitur valor, qui causare potest effectus semper plures et quidem in subiectis semper pluribus.

e. Patet valorem sacrificii missae, quatenus hoc est latreuticum, eucharisticum et propitiatorium, esse in actu secundo infinitum: ratione enim offerentis et rei oblatae actus adorationis et gratiarum actionis est simpliciter infinitus et plane satisfacit iuri, quod infinitae Dei maiestati competit, exigendi creaturis suis adorationem, gratiarum actionem et expiationem infinitam. Sed quaeritur, quantus sit missae sacrificii valor producendi fructum impetratorium, propitiatorium et satisfactorium in hominibus, seu quaeritur, quanta sit vis applicativa sacrificii missae.

173. Valor missae. 1. Valor sacrificii missae *in actu primo* est *intensive et extensive infinitus.* Etenim sacrificium missae eiusdem valoris est ac sacrificium crucis; quemadmodum ergo sacrificium crucis infiniti valoris est, quia dignitatis infinitae, ita sacrificium missae, ut est actio sacrificans Christi, infinitae dignitatis est, ideoque ex se vim applicativam habet infinitam seu vim habet producendi effectus indefinite intensos in innumeris hominibus.

2. Valor sacrificii missae *in actu secundo* est quoad *fructus speciales extensive infinitus:* fructus enim, quos per-

cipiunt offerentes secundarii, in singulis non minuuntur pro numero concurrentium ad sacrificium eique assistentium, sed quantumvis numerus eorum augeatur, singuli eosdem fructus percipiunt, ac si unus tantum assisteret. Et sane ad percipiendos hos fructus ex parte hominum aliud non requiritur, nisi ut ipsi sacrificium offerant; sed haec conditio eodem modo impletur, sive multi sive pauci offerunt.

3. Valor sacrificii missae in actu secundo quoad *fructus ministeriales* est *intensive et extensive finitus.*

a. Fructus *ministeriales,* quos illi percipiunt, pro quibus missa applicatur, *reipsa finiti* sunt: hi enim fructus ratione quantitatis dependent a capacitate et numero hominum, pro quibus missa offertur; atqui non solum eorum numerus, sed etiam singulorum capacitas limitata et finita est.

b. Sed quaeritur, utrum hi fructus *de iure* ex voluntate Christi ad certam mensuram limitati sint, etsi maior sit eorum, quibus applicantur, numerus et capacitas, an vero solum ex eorum numero et capacitate limitentur. Porro quorundam est sententia parum probabilis, in quolibet sacrificio missae applicari fructus indefinitos tum intensive respectu eiusdem tum extensive respectu diversorum, pro quibus ipsum offertur. Quocirca si missa pro pluribus offeratur, eam singulis tantum prodesse, quantum si pro uno offeratur[1]). Verum omnino tenendum est valorem sacrificii missae ex voluntate et institutione Christi limitatum esse. Quare si missa pro pluribus offertur, fructus ex voluntate Christi determinatus inter eos dividitur, ideoque eo minor est, quo plures sunt, pro quibus sacrificium offertur.

Argumenta, quibus sententia de valore finito sacrificii missae potissimum probatur, haec sunt. *a.* Effectus, quem sacramenta producunt, ex quorundam sententia finitus est, non solum propter capacitatem subiecti, quae semper finita est, sed maxime ex institutione et voluntate Christi (n. 3.); atqui nulla est ratio de effectu, quem sacrificium missae producit, aliter statuendi: Deus enim in ordine super-

[1]) Non licet tamen plura stipendia accipere pro una missa, quia stipendium datur ad sustentationem ministri, quae una est; ergo nullus exsistit titulus plura accipiendi. Cf. *s. Alphonsus* n. 313.

naturali aeque atque in ordine naturali omnia secundum certas leges determinavit; ergo etiam missa solum finitum et ex voluntate Christi determinatum effectum producit.

b. Hanc doctrinam confirmat praxis ecclesiae, quae est infallibilis interpres institutionum Christi. Ecclesia nimirum semper sollicita fuit, non solum ut ad eundem effectum obtinendum plura sacra offerrentur, sed etiam ut pro *singulis* defunctis sacra dicerentur, ac tandem ut pro eadem anima defuncti plura [illegible] fierent; atqui si missa esset valoris infiniti et ideo aeque multis prodesset atqui uni, quaelibet missa pro omnibus vivis [illegible] defunctis applicanda esset.

c. Ex sententia adversariorum consectaria fluunt, quae admitti non possunt. Et primo quidem posset sacerdos [illegible] pluribus obligationibus, non quidem [illegible] pluribus stipendiis, sed [illegible] uno stipendio et ex aliis titulis contractis iure satisfacere. Deinde sequeretur praxim, quam pii quoque sacerdotes in applicandis missis ubique servant, christianae caritati esse adversam: non enim pro iis solum, qui dant stipendium, sed quodvis sacrum pro omnibus simul applicare deberent, cum omnes eundem fructum caperent, [illegible] tamen ille, qui stipendium dedit. damnum pateretur[1]).

d. Voluit Deus, ut gratia per media salutis distribueretur dependenter ab applicatione mediorum ex parte hominum facta; insuper voluit, ut homines ad media salutis frequenter usurpanda et ad actus virtutum saepius iterandos incitarentur; iam vero ad hunc finem melius obtinendum rem ita disposuit, ut uni applicationi alicuius medii salutis non indefinitus, sed solum determinatus effectus responderet.

Quaestio tertia.

De applicatione sacrificii missae.

Articulus primus.

De ipsa applicatione.

174. Missa applicari debet. *Applicatio* missae est intentio, qua sacerdos vult, ut sacrificii fructus ministerialis

[1]) Cf. *Suarez* disp. 79. sect. 12. n. 7. *Lugo* disp. 19. n. 246.

determinatae cuidam personae obveniat; iam vero iste fructus iis, pro quibus sacrificium offertur, per intentionem celebrantis applicari potest et debet.

a. Sacerdos vi ordinationis constituitur dispensator mysteriorum Dei et potestatem accipit offerendi sacrificium eiusque fructum applicandi tam pro vivis quam pro defunctis[1]). Cum igitur sacerdoti commissa sit applicatio, missa ex complurium sententia nemini prodest, eiusque fructus in thesauro ecclesiae manet, si ipse sacerdos fructum sacrificii non applicet, vel si ille, cui fructus applicatur, istius non sit capax.

b. Sunt tamen, qui opinentur, si nulla facta sit applicatio vel si facta sit incapaci, in missis quidem gratuitis fructum ministerialem obvenire sacerdoti celebranti, in missis vero debitis ex stipendio hunc fructum obvenire propinquis illius, qui stipendium dedit[2]). Censent enim sacerdotem semper habere implicitam et habitualem intentionem, ut sacrificii fructus sibi obveniant, nisi alteri applicentur; fideles vero fundantes vel petentes missas habere hanc implicitam et habitualem intentionem, ut si missae ipsis non prosint, prosint iis, quibus aliqua ratione coniuncti sunt.

c. Nihilominus omnino suadenda est praxis *sub conditione* explicite applicandi fructus vel sibi ipsi vel alteri, si quando dubitetur, an ille, pro quo sacrum offeratur, eorum capax sit. Et in missis quidem gratuitis fructus applicari possunt sub conditione: *si non sit capax;* in missis vero debitis: *si sine praeiudicio eius, qui eleemosynam dedit, fieri possit.*

d. Ex his intelligitur *secundam intentionem,* ad quam missae sacrificium offertur, esse applicationem, quae praeter primam, sive ex aliquo titulo debitam sive ex libera electione factam, elicitur. Haec secunda intentio dupliciter fieri potest: aut *conditionate,* ita ut fructus alteri obveniat, si is, cui primo loco applicatur, eius capax non sit; aut *absolute,* ita ut praeter eum, cui missa primo loco applicatur, ex eadem etiam alteri fructus obveniat. Conditionate secunda intentio ab iis fieri solet, qui timent, ne fructus missae vel ex toto vel ex parte in thesauro ecclesiae remaneant, ubi subiectum primae intentionis eorum non sit capax. Absolute secunda intentio ab iis fieri solet, qui opinantur fructus missae esse infinitos et proinde secundam intentionem aeque prodesse ac primam. Verum cum haec sententia vix probabilis sit, secunda intentio absoluta non est nisi peculiare *Memento.*

e. Applicatio, seu missae oblatio pro determinatis fidelibus dicitur *publica,* si fideles publice monentur, pro quo missae sacrificium offeratur; *semipublica,* si sacerdos et is, qui stipendium obtulit, sciat, pro quo missae sacrificium applicetur; *occulta* seu *secreta* (alii dicunt *pri-*

---

[1]) Cf. Hebr. 5, 3.

[2]) *Lugo* disp. 19. n. 225. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 1042.

vata), si solus sacerdos scit, pro quo missae fructum applicare velit; *privata* ea dicitur, qua sacerdos fructus, quos ipse, ut est persona privata, ex missae sacrificio percipit, alteri donat (n. 176. 3).

175. Pro quibus missa offerri possit. Generatim dicendum est missae sacrificium offerri posse pro omnibus, qui alicuius fructus capaces sunt, nisi ab ecclesia prohibeatur. Fructuum autem capaces non sunt sancti in coelo, damnati in inferno et parvuli sine baptismo defuncti; praeter hos autem omnes tam vivi quam defuncti aliquem fructum ex missae sacrificio percipere possunt; quocirca pro omnibus, etiam peccatoribus, infantibus, obsessis, haereticis, infidelibus missa offerri et applicari potest, nisi obstet peculiaris ecclesiae prohibitio.

a. Missae sacrificium *pro defunctis in purgatorio detentis* in genere offerri posse illudque eis prodesse de fide certum est[1]); attamen non constat, num missae fructus illi animae in particulari applicentur, pro qua missa offertur: fieri enim potest, ut iustitia divina ob occultas rationes impediat, quominus missae fructus ei obveniat. Item non constat, qua *mensura* ei applicentur: haec enim Deus secundum animae dispositionem eiusque merita determinat. Tandem non constat, quo *modo* missae sacrificium defunctos iuvet: quamvis enim certum sit missam ratione fructus satisfactorii *immediate* eorum poenas abbreviare vel mitigare, aeque certum non est, utrum missa ratione fructus impetratorii immediate poenae remissionem obtineat an *mediate* tantum impetrando gratias, quibus fideles moveantur, ut pro eadem anima orent et satisfactiones offerant.

b. Patet illos, pro quibus missa offertur, ex applicato sacrificio eos tantum fructus percipere, quorum sunt capaces, reliquos vero, nisi alteri applicentur, in thesauro ecclesiae manere. Solus christianus adultus in statu gratiae exsistens omnium fructuum capax est; infantibus solus fructus impetratorius, peccatoribus solus propitiatorius et impetratorius, defunctis directe (ut videtur) solus satisfactorius obvenire potest.

c. In *honorem sanctorum* offertur missae sacrificium: α. ad Deum in sanctis suis honorandum; β ad gratias Deo agendas pro donis gratiae et gloriae ipsis sanctis et pro donis gratiae per intercessionem sanctorum hominibus collatis; γ. ad impetranda a Deo per merita et intercessionem sanctorum bona tum spiritualia tum temporalia; δ. tandem ut cultus sanctorum hic in terris augeatur.

---

[1]) Cf. *Concilium trid.* sess. 22. c. 2. et can. 3. De sacrif. miss.

d. Pro parvulis post baptismum defunctis missae sacrificium offertur in finem latreuticum et eucharisticum, ut colatur Deus eique gratiarum actiones offerantur, quod illi per redemptionis mysterium sine propriis meritis aeternae salutis facti sint participes.

176. Num pro infidelibus, haereticis et excommunicatis. 1. Missae sacrificium offerri potest *pro infidelibus vivis* tum generatim pro omnibus tum pro singulis, non solum ad eorum conversionem impetrandam, verum etiam (accepto, si libet, stipendio) ad alias eorum intentiones, modo absit scandalum et constet nihil mali aut erroris aut superstitionis subesse, quia infideles fructus impetratorii capaces sunt neque ab eo percipiendo ab ecclesia excluduntur[1]).

2. Pro excommunicatis *non vitandis,* quibus accensentur etiam haeretici, schismatici et apostatae, missae sacrificium *privatim* et remoto scandalo offerri potest non solum ad eorum conversionem impetrandam, sed ex novo iure (accepto, si libet, stipendio) etiam ad eorum intentionem.

3. Pro excommunicatis *vitandis* missam ne privatim quidem offerre licet, nisi ad eorum conversionem[2]).

Quoniam vero ecclesia excommunicatos vitandos solum publicis et communibus suis suffragiis privat, nihil impedit, quominus sacerdos ut persona privata est, missam pro iis offerat et in missa, praesertim inter *Memento,* pro iisdem oret. Missae enim sacrificium quatenus offertur a sacerdote ut est persona privata, ex opere operato producit fructum specialissimum, quem sacerdos etiam excommunicato donare potest; ex opere operantis vero habet omnes effectus, quos habet opus virtutis quodcunque (n. 170); iam vero sicut aliorum operum bonorum, ita etiam missae effectus ex opere operantis partos sacerdos alteri, etiam excommunicato, donare et applicare potest. *Memento,* quod dicitur, est quidem et ipsum oratio publica ecclesiae, verum quatenus fit a sacerdote ut est persona privata, habet effectum impetratorium orationis, qui omnibus indiscriminatim donari potest.

---

[1]) *S. Officium* 12. iul. 1865. Cn 809.

[2]) Cn 809. Cn 2262, 2. n. 2.

4. Missae sacrificium *publice* offerri potest pro omnibus *defunctis*, qui in externa unione cum ecclesia catholica decesserunt, qui proinde etiam sepultura ecclesiastica donati sunt.

5. *Privatim* applicari potest pro omnibus defunctis in purgatorio degentibus[1]), etiam pro excommunicatis, quibus accensentur haeretici, schismatici et apostatae, solis iis exclusis, qui in actu peccati decesserunt, nec ante mortem signa poenitentiae dederint.

α. Valde dubium est, an *defuncti infideles* seu non baptizati fructus satisfactorii capaces sint. Censent enim theologi illos effectus, qui per signa visibilia conferuntur, communicari non posse nisi iis, qui visibiliter ecclesiae adhaerent[2]). Attamen pro *catechumenis defunctis* missae sacrificium applicari posse videtur, quia per fidem et desiderium baptismi iam aliquo modo ad ecclesiam pertinent[3]).

β. Hi (qui n. 5 enumerantur), si ante mortem signa poenitentiae dederint, ab excommunicatione post mortem absolvendi sunt; si signa poenitentiae non dederint, sacerdos, qui occulte pro iis celebrat, praeprimis scandalum fidelium evitare debet. Quam ob rem consulendum est ei, ut missam petentibus dicat se velle celebrare pro defunctis huius familiae et in specie pro hoc defuncto, si per missam iuvari possit.

Nota 1. Pro *fidelibus*, qui decesserunt *in actu peccati* ut ebrii, suicidae etc. missae sacrificium publice offerri potest, nisi privandi sint sepultura ecclesiastica, quo in casu solum occulte pro eis missam celebrare licet.

Pro *fidelibus*, qui notorie *in statu peccati mortalis* defuncti sunt, missae sacrificium sub condicione offerri potest: si ante mortem poenituerit — si forte in statu gratiae fuerit. Ratione scandali autem huiusmodi applicatio publice fieri non potest.

Nota 2. Applicatio contra legem ecclesiae facta illicita quidem, non tamen invalida est; hinc si sacerdos pro eiusmodi applicatione stipendium accepit, applicatione facta ad eius restitutionem non tenetur. Si quis tamen contra prohibitionem ecclesiae pro excommunicato vitando missam offerat, fructus, qui respondet missae,

---

[1]) Cn 809.
[2]) Cf. *Lugo* disp. 19. sect. 10.
[3]) Cf. *Aichner*, Compend. iuris. eccles. § 51.

prout in persona Christi offertur, valide ei applicatur, fructus autem, qui respondet missae, prout nomine ecclesiae offertur, nec licite nec valide ei applicatur.

Articulus secundus.

De modo applicationis.

177. Conditiones validae applicationis. Ut valida sit applicatio, haec tria requiruntur:

1. *Ut ab ipso celebrante fiat:* dispensatio enim fructuum sacerdoti a Christo demandata est, a quo etiam potestatem sacrificandi habet. Attamen non requiritur, ut applicatio sit actualis vel virtualis, sed sufficit etiam *habitualis* et implicita: applicatio enim fit per modum donationis; atqui donatio semel facta valida est et manet, donec revocetur. At quamvis intentio semel facta duratione complurium mensium certo non sit extincta, tamen ad tempus nimis diuturnum (ad plures annos), non potest extendi, quin valorem suum amittat.

a. Applicatio autem ita a celebrantis voluntate pendet, ut si contra voluntatem superioris applicet, illicita quidem, non tamen invalida sit.

b. Nihil efficeret celebrans hac intentione: sacrum facio pro eo, cui illud applicat Deus vel Christus vel beata Virgo.

2. *Ut ante consecrationem fiat:* valde quidem suaderi debet, ut applicatio fiat ante missam; attamen applicatio facta in ipsa missa valida est, modo ante consecrationem fiat: sacrificium enim effectum a ministro intentum producit, quando completur; atqui per consecrationem sacrificium essentialiter completur.

Qui huius sunt sententiae, sacrificium ante communionem essentialiter nondum completum, consequenter docent valere applicationem, quae *ante s. communionem* fiat; cum tamen haec sententia vix ullam probabilitatem habeat, valde dubiae, ne dicam invalidae, sunt

applicationes post secundam consecrationem factae. Applicatio *inter utramque consecrationem* facta ex complurium sententia valida est: cum enim iuxta sententiam vix non certam sacrificium consecratione calicis demum perficiatur, eius fructus ante secundam consecrationem adhuc applicari possunt.

3. *Ut ad certam personam vel ad certum finem explicite vel implicite determinata sit:* nam sacerdotis est missae fructum applicare, quem Deus non confert nisi ad intentionem celebrantis; hinc si sacerdos nullum finem vel nullam personam determinavit, non est ratio, cur uni potius quam alteri fructus missae applicetur, et ideo nulli applicatur. Tamen non requiritur, ut ipse sacerdos personam vel finem cognoscat vel explicite determinet, sed sufficit omnino, ut alius id faciat et sacerdos ad hanc intentionem ab alio explicite determinatam celebret.

a. Ideo valent istae applicationes: ad intentionem superioris; pro eo, qui primus stipendium dedit; ad intentionem dantis vel petentis; ad intentionem in libello notatam; secundum ordinem, quo stipendia data sunt; pro quo exigit fundatio; pro quo applicare teneor; pro maximo peccatore; pro anima maxime derelicta; pro anima, quae proxima est redemptioni etc. In omnibus hisce casibus obiective seu coram Deo, qui fructus missae distribuit, habetur vera et sufficiens applicationis determinatio. Qui tamen ex decem intentionibus sibi oblatis applicaret iuxta unam ex decem nullam determinans, validam applicationem non faceret. Qui autem applicaret pro omnibus decem collective, et valide applicaret et, si decem stipendia accepisset, obligationi suae satisfaceret: in singulis enim missis quilibet petentium decimam partem acciperet, et decimo sacro celebrato quilibet totum suum fructum percepisset.

b. Quaeritur, num valda sit applicatio *ad mentem bonae Virginis Mariae.* — Ut valida sit applicatio, ipse sacerdos fructus missae applicare et personam vel finem, cui applicare intendit, saltem implicite determinare debet. Ideo non valet haec applicatio: *offero pro eo, cui Deus fructus dare voluerit; pro eo, cui Deus applicat vel applicare voluerit,* quia non ipse sacerdos personam determinat. Valet autem haec: *applico pro eo, pro quo Deus vult me applicare,* quia ipse sacerdos personam determinat, eam scilicet, pro qua ex beneplacito Dei applicare debet; sicut valet applicatio pro eo, pro quo vult superior, ut applicetur, dummodo superior determinatam voluntatem habeat; Deus autem determinatam voluntatem semper habet: semper enim vult, ut pro eo applicetur, pro quo ipsi magis placet. Iam vero applicare

ad mentem beatae Virginis significat pro eo applicare, pro quo beata Virgo vult, ut applicetur; valet ergo haec applicatio, quia ipse sacerdos personam determinat, cui fructus sacrificii obvenire debent, ei scilicet, cui beatae Virgini magis placet, ut obveniant[1]).

178. Num fructus missae dividi possint. Diversos fructus missae dividi atque invicem separari posse certum est. Quandoque enim accidit, ut fructus missae separentur, quin celebrans id velit et intendat. Si e. g. sacrum offertur pro eo, qui in statu peccati mortalis est, fructus quidem impetratorius et propitiatorius, non autem satisfactorius illi obveniet. Sed etiam ex voluntate celebrantis fructus missae valide et quandoque etiam licite dividuntur, ut si uni applicetur solus fructus impetratorius, alteri vero satisfactorius aut vice versa. Immo idem fructus inter plures dividitur, si idem missae sacrificium pro pluribus applicetur.

De hac re sequentes regulae statui possunt:

a. Qui tenetur missam applicare ex iustitia pro stipendio accepto, non potest licite fructus missae dividere, sed totum sacrificii fructum, cuius capax est, danti stipendium applicare debet.

b. Etiam in missis pro defunctis, quae ex stipendio accepto celebrari debent, illis totus fructus, tam satisfactorius quam impetratorius, applicari debet, licet in missis pro defunctis ex iustitia debitis fructum impetratorium aut sibi aut alteri applicare. Non constat quidem, qua ratione animabus defunctorum prosit sacrificium quatenus impetratorium est, at certum est defunctos fructu impetratorio iuvari posse (n. 175); et pariter certum est eos, qui dant stipendium pro defunctis, ius habere, ut defuncti ex missa omni, quo possunt, modo iuventur.

179. Quaestiones particulares, quae pro praxi celebrantium alicuius momenti sunt.

1. *Quaenam intentio valeat, si sacerdos duas diversas fecerit.* — Respondendum est primam valere, nisi per sub-

---

[1]) Cf. *Pasqualigo*, De sacrificio novae legis I. q. 169. *Suarez*, De sacramentis disp. 43. sect. 6.

sequentem censeri debeat revocata. Itaque *a.* si primam intentionem absolute fecerit, ita ut voluerit illam valere, etiamsi illius immemor aliam formaverit, certe prior valet; *b.* si memor prioris aliam fecerit, certo posterior valet; *c.* si immemor prioris aliam fecerit, valet intentio praedominans; illa autem censetur esse praedominans, quam fecisset, si prioris meminisset. Quodsi intentiones aequales sint, valet posterior, cum haec actualis, prior vero solum habitualis sit[1]).

Quia saepe dubium erit, quaenam intentio valuerit, practice sufficit, ut sacerdos alia vice intendat missam ei applicare, pro quo nondum applicavit: alterutra enim certo valida erat.

2. *Num valida sit applicatio pro eo, qui primus daturus est stipendium.* — Missam applicare pro eo, qui primus postea stipendium est daturus, *illicitum* est, nec stipendium pro missa antea applicata postea datum retinere licet[2]). Et sane missa applicata *probabiliter tantum valida est:* etsi enim intentio in cognitione Dei determinata sit, sacramenta tamen humano modo secundum humanam determinationem administranda sunt. Saepe eiusmodi applicatio certo *invalida* erit: saepe enim accidet, ut missa dicatur pro causa, quae nondum exsistit (e. g. pro infirmo, qui adhuc sanus est): quare fructus missae suspendi deberet, id quod fieri nequit.

Si sacerdos praevidet futurum esse, ut missae postulentur e. g. pro aliquo defuncto, potest statim eas offerre et postea stipendium pro oblatis accipere: applicatio enim valida et licita est, utpote facta pro determinata persona.

3. *Num valida sit applicatio facta vivo, qui creditur mortuus, si pro eo mortuo applicandum fuisset.* — Si contractum iuxta rigorem iuris interpretemur, sic applicans non satisfacit, quia finis, quem dans stipendium intendit, non obtinetur, nempe per missae sacrificium delendi poenas *post mortem* adhuc luendas. Quia tamen vivus ex missae sacrificio uberiorem certioremque fructum percipit quam defunctus, insuper quia poenae purgatorii propter missae

[1]) Cf. *Lugo,* De sacram. in gen. disp. 8. n. 121 s.

[2]) Cn. 825, 1. Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 222.

sacrificium, quod vivo applicatur, breviores mitioresque evadere possunt, non improbabiliter supponitur eum, qui dedit stipendium, nolle ad amussim urgere ius suum.

Si cui missa persolvenda traditur pro defuncto, ipse vero per errorem missae fructus applicet defunctae, intentioni petentis satisfecit. Reipsa enim duas habet intentiones, unam generalem applicandi ad intentionem petentis, alteram particularem applicandi pro defuncto. Iam vero prima intentio praedominans est, proindeque secunda invalida censetur. Ad idem redit, si dicatur, error fuit accidentalis, qui actum seu intentionem substantialem applicandi ad intentionem petentis vitiare non potuit.

4. *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet.* — Celebrare potest sacerdos *ad intentionem dantis,* quia celebrans saltem implicitam intentionem habet applicandi singulis iuxta ordinem temporis, quo stipendia dederunt: qui enim prior est tempore, potior est iure; et sic applicatio sufficienter determinata est.

Hoc valet non solum in casu, quo idem sacerdos omnibus obligationibus satisfacturus est, sed etiam in casu, quo plures sacerdotes intentiones accipiunt ex arca in ecclesia ad colligendas eleemosynas missarum posita vel ex cumulo stipendiorum per sacristam a diversis collecto; obligationi nempe satisfacit celebrans, si toties applicet ad intentionem dantis, quot stipendia missarum accepit: distributor enim eandem implicitam intentionem habere censetur tradendi stipendia iuxta ordinem temporis, quo collata fuerant. Potest etiam celebrans singulas missas iis omnibus applicare, qui stipendia dederunt, pro rata stipendii: celebrato enim debito numero missarum singuli acceperunt, quod eis debitum erat[1]).

Quaestio quarta.

De obligatione celebrandi.

Ex sextuplici titulo oriri potest obligatio celebrandi vel applicandi fructus sacrificii missae: *a.* ex sacerdotio;

[1]) Hac agendi ratione satisfieri obligationi applicandi missas pro stipendio declaravit 7. dec. 1892 *s. Poenitentiaria,* „dummodo missis

b. ex officio; *c.* ex stipendio; *d.* ex beneficio; *e.* ex oboedientia; *f.* ex promissione.

§ 1. Obligatio ratione sacerdotii.

180. 1. Omnis sacerdos ex iure divino aliquoties celebrare tenetur, nisi legitime excusetur.

Conveniunt quidem plerique auctores in asserenda gravi obligatione aliquoties celebrandi[1]); sed non omnes hanc obligationem ex eodem fonte derivant. Complures enim affirmant, *praeceptum divinum* omnibus sacerdotibus esse impositum aliquoties celebrandi, quod ita probant: *a.* Verba Christi: *hoc facite in meam commemorationem* verum praeceptum continent graviter obligans; hoc autem praeceptum non refertur ad ordinem sacerdotalem universim, neque ad solos pastores, sed ad apostolos ut sacerdotes sunt, proindeque ad omnes futuros sacerdotes. — Verum illis Domini verbis contineri non videtur praeceptum sacrificandi singulis seorsim, sed singulis collective sumtis impositum, i. e. praecipitur eis, ut curent, ne unquam deficiat in ecclesia oblatio sacrificii. *b.* Sacerdos, qui celebrare negligit, gratia sibi data non utitur et potestatem frustrat in ordinatione sibi traditam; atqui gravis deordinatio in hoc continetur, si per longum tempus fiat: nam missae sacrificium exhibet Deo cultum debitum et hominibus immensam utilitatem affert. — Verum ex potestate sacrificandi singulis sacerdotibus collata inferri posset obligatio ea etiam utendi, si demonstrari posset oblationem sacrificii esse necessariam; atqui singulorum oblationem necessariam esse, demonstrari nequit.

Qui autem hisce argumentis strictum praeceptum et gravem obligationem demonstrari negant[2]), id saltem concedunt sacerdotem, qui per integrum annum sine causa excusante (nimia scrupulositas) a celebratione abstinet, graviter peccare *ratione scandali:* omissio enim diuturna sacrificii missae a fidelibus tamquam signum malae conscientiae, vitae pravae et cuiusdam contemptus habetur.

2. Quoties autem sacerdos celebrare teneatur, nec lex divina nec ecclesiastica determinat; auctores vero communiter docent ad vitandum grave peccatum sufficere, ut

---

integre satisfiat intra tempus ab ecclesiastica praxi praefinitum, nec missae retardentur, quae ad certam diem vel pro urgenti causa offeruntur."

[1]) *Pluries per annum* habet cn. 805.

[2]) *Lugo,* disp. 20. n. 2. ss. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 1005.

ter quaterve in anno sollemnioribus festis, immo quibuslibet diebus celebret, modo inter illos ad evitandum scandalum aptum intersit intervallum, i. e. modo celebratio non ultra sex menses differatur.

Ad evitandum grave peccatum duo ergo requiruntur: *a.* ut singulis annis ter quaterve celebretur; *b.* ne celebratio ultra sex menses differatur. Quae quidem *lege ecclesiastica* probe confirmantur: „Qui sine iusta causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter et potest ab episcopo puniri“ [1]).

3. Sacerdos, qui *quotidie celebrare* potest et sine rationabili causa id negligit, ubi consuetudo quotidie celebrandi viget, a veniali excusari nequit; sed non peccat, si ex rationabili motivo e. g. maioris praeparationis, humilitatis, veri incommodi aliquoties a celebratione abstineat [2]).

§ 2. Obligatio ratione officii.

181. De ipsa obligatione. 1. Praecepto divino sub gravi obligante tenentur omnes, *quibus officium pastorale incumbit,* non solum certis diebus celebrare, sed etiam pro populo sibi commisso sacrificium applicare. Quae quidem *obligatio est iustitiae,* cum ad eam, sicut ad cetera officia pastoralia, ex quasi-contractu pastores teneantur.

a. Obligatio offerendi sacrificium pro populo in ipso officio pastorali continetur: *Omnis pontifex pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [3]). Cum officium pastorale in genere sit institutionis divinae, obligatio applicandi pro populo *iuris divini* est. Quare concilium trid. ait, *praecepto divino* mandatum esse pastoribus *pro ovibus suis sacrificium offerre* [4]); et episcopis quidem *iure divino absoluto,* quia episcopatus institutionis divinae est, parochis vero iure *divino hypothetico* (si et quamdiu ecclesia id eis iniunxerit), quia munus parochiale institutionis ecclesiasticae est.

---

[1]) S. C. C. mense decembri 1669.

[2]) *S. Alphonsus* n. 559.

[3]) Hebr. 5, 1.

[4]) *Concilium trid.* sess. 23. c. 1. et c. 14. De ref. — S. C. C. 10. maii 1692. Cf. Constit. *Nuper* Innocentii XII. Encyclica *Amantissimi Redemptoris* Pii IX. 3. maii 1858. *In suprema* Leonis XIII. 10. iun. 1882. Cn 466.

b. Hac lege igitur tenentur *episcopi* dioecesani, *abbates* iurisdictionem in clerum et populum cum territorio separato habentes, *parochi*, sive saeculares sunt sive regulares, et quidem postquam sedis possessionem adepti sunt, *vicarii capitulares* sede vacante; in locis missionum *vicarii et praefecti apostolici* et *quasi-parochi*, qui praesunt quasi-paroeciis, i. e. partibus vicariatus vel praefecturae apostolicae, deinde etiam parochorum *vicarii*, qui vel parochiam vacantem administrant vel vices parochi absentis tenent. Praelati autem regulares, episcopi titulares, administratores apostolici hac lege non tenentur, [illegible] parochorum cooperatores vel capellani[1]).

c. Quamvis *praelati regulares* missae sacrificium pro subditis suis applicare stricto iure non teneantur, quia tamen cura pastoralis in subditos suos ab ecclesia vere eis commissa sit, summopere convenit, ut et ipsi missae sacrificium pro subditis suis offerant. Quoties et quando id faciant, [illegible] aestimationi commissum est. Si aliquoties durante officio suo missam pro subditis celebrant, huic aliquali obligationi certe satisfaciunt.

d. Quandoquidem parochus missae sacrificium offerre debet pro *ovibus suis — pro populo sibi commisso*, fideles vero defuncti non pertinent ad „oves suas", ad „populum sibi commissum", pro vivis tantum applicare tenetur et reipsa pro ipsis solis applicat, nisi intentionem explicite etiam ad defunctos parochianos extendat. Sed applicatio ad defunctos extendenda non est nisi conditionate, quatenus nempe sine praeiudicio vivorum id fieri potest, quia ipsi parochiani ex voluntate ecclesiae ius habent ad integrum sacrificii fructum ministerialem.

2. Quoties missae sacrificium pro populo offerre debeant animarum pastores, ecclesia determinavit, scilicet *omnibus diebus dominicis et festis de praecepto* etiam suppressis; atque id quidem etiamsi congruis reditibus non fruantur et consuetudo etiam immemorabilis obstet[2])

a. Dies festi, in quibus pro populo applicari debet[3]): 1. Nativitatis Domini; 2. Circumcisionis; 3. Epiphaniae; 4. Resurrectionis cum

---

[1]) Cn. 339 (pro episcopis), 323 (pro abbatibus vel praelatis nullius), 466 (pro parochis), 440 (pro vicario capitulari), 306 (pro vicario vel praefecto apostolico), 466 (pro quasi-parochis).

[2]) *Benedictus XIV.* constit. *Cum semper* 19. aug. 1744. S. C. C. 25. sept. 1847.

[3]) *Urbanus VIII.* constit. *Universa* 13. sept. 1642, quam retinendam esse declaravit *Pius IX.* constitutione *Amantissimi* 3. maii 1858 et *Leo XIII.* constitutione *In suprema* 10. iun. 1882. Cn 339, 306.

duabus sequentibus feriis; 5. Ascensionis; 6. Pentecostes cum duabus sequentibus feriis; 7. SS. Trinitatis; 8. Corporis Christi; 9. Inventionis s. Crucis; 10. Purificationis; 11. Annuntiationis; 12. Assumtionis b. V. Mariae; 13. Nativitatis b. V. Mariae; 14. Dedicationis s. Michaelis; 15. Nativitatis s. Ioannis Bapt.; 16. SS. Petri et Pauli; 17. S. Andreae; 18. S. Iacobi; 19. S. Joannis; 20. S. Thomae; 21. SS. Philippi et Iacobi; 22. S. Bartholomaei; 23. S. Matthaei; 24. SS. Simonis et Iudae; 25. S. Matthiae; 26. S. Stephani protomartyris; 27. SS. Innocentium; 28. S. Laurentii; 29. S. Sylvestri; 30. S. Ioseph (19. martii); 31. S. Annae Matris; 32. Omnium sanctorum; 33. Patroni regni; 34. Patroni loci; 35. Immaculatae conceptionis.

Vicarii et Praefecti apostolici, item Quasi-parochi rarius quam ceteri applicare tenentur, scilicet: In sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Chr., Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. N. V. s. Joseph, ss. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum[1]).

b. Si dies festus incidat in diem dominicam, parochus unica missa obligationi satisfacit; si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi missam et abstinendi a servilibus, missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo*[2]).

c. Parochus, qui duabus parochiis aeque principaliter unitis praepositus est, aut praeter propriam aliam vel alias administrandam suscepit unam tantum missam applicare debet. Idem valet de Episcopo[3]).

d. Obligatio *gravis* ad ipsam applicationem refertur, adiuncta autem applicationis (personae, loci, diei) non obligant sub gravi; eorum ergo omissione peccatum grave non committitur, nisi saepe et fere ex consuetudine violentur.

182. Qualis sit obligatio[4]). Obligatio applicandi pro populo est:

a. Realis, ita ut pastor, qui ipse ex iusta causa impeditus applicare non potest, per alium aut alio die obligationi satisfacere teneatur.

b. Personalis, ita ut ipse applicare debeat, nisi legitime impediatur[5]). Impedimentum autem legitimum est

[1]) Cn 306 et 466. — [2]) Cn. 339, 3. — [3]) Cn. 339, 2; 406, 2. — [4]) Cn. 466, 3. 4. 5. — [5]) S. C. R. 20. dec. 1864. n. 3128. Ratio autem, ob quam parochus alia quidem munera pastoralia per alium implere possit, pro populo autem ipse applicare debeat, haec est, quia officium sacerdotale mediatoris, quod offerendo sacrificium exercetur, munus personale est. Cf. *Pasqualigo,* De sacrif. miss. q. 855. n. 7.

infirmitas, obligatio celebrandi missam conventualem, si parochus simul sit canonicus, vel aliud, quod prudenti iudicio vere grave existimetur.

Causa gravis, quae parochum ab hac obligatione excusat, ex declaratione S. C. C. *non est:* α. consuetudo contraria; β. exsequiae celebrandae; γ. missa pro sponsis dicenda; δ. missa pro certo die fundata, quae incidit in diem festum de praecepto; ε. persuasio fidelium, qui putant missam parochialem semper pro se ipsis applicari et ideo libenter ad eam audiendam confluunt.

c. Localis, i. e. missa pro populo in ecclesia parochiali dici debet, ut populus ei interesse possit; si tamen parochus legitime absit, pro lubitu vel ipse in loco, ubi moratur, vel alius pro eo in ecclesia parochiali applicare potest[1]).

d. Affixa determinatae diei, ut applicationem sine necessitate in alium diem transferre non liceat, nisi speciali indulto concessum sit[2]). At non requiritur, ut missa, quae pro populo applicatur, sit missa sollemnis vel ipsa parochialis, sed per missam privatam obligationi satisfieri potest.

Compluribus dioecesibus e. g. Metensi concessa est facultas transferendi applicationem pro populo in alium diem sequentem, si in festis suppressis occurrat celebratio matrimonii vel unius missae exsequialis, quae anticipari vel transferri nequeat[3]). — Curatis pauperibus conceditur, ut, si eo die offeratur pingue stipendium, missa ad intentionem petentis dici possit applicatione pro populo in alium diem translata[4]). — Parochis illarum dioecesium, in quibus diebus festis suppressis missa non pro populo, sed ex apostolico indulto ad mentem episcopi applicare licet, permittitur, ut non ipsa die, qua tenentur, nec per se, sed per alium sacerdotem, suae obligationi satisfaciant[5]).

§ 3. Obligatio ratione stipendi[6]).

183. De ipso stipendio. Licitum est pro missae applicatione exigere et recipere iustum stipendium, non ut

---

[1]) S. C. C. 14. dec. 1872. Cn. 466, 5.

[2]) *Pius IX.* constit. *Amantissimi Redemptoris* 3. maii. 1858.

[3]) S. C. C. 3. sept. 1903.

[4]) *Benedictus XIV.* constit. *Cum semper* 19. aug. 1744.

[5]) S. C. C. 16. dec. 1914.

[6]) *Link,* Meßstipendien (Regensburg. Manz. 1901).

pretium sacrificii seu fructus applicati, quod esset gravissimum simoniae peccatum, sed ad honestam sustentationem. Hoc constat ex consuetudine universaliter in ecclesia recepta. Et sane, qui pro alio occupatur in ministerio spirituali, iure divino ab eo exigit sustentationem temporalem[1]).

Stipendia missarum ex oblationibus fidelium *originem* ducunt. *a.* In primaeva ecclesia inter missarum sollemnia fideles oblationes suas (panem et vinum) dabant ad altare. Ex his eligebatur, quod ad consecrationem (et communionem fidelium) necessarium erat; quod consecrationi supererat, partim clericis cedebat, partim distribuebatur pauperibus. Pro iis, qui oblationes obtulerant (initio erant omnes adstantes), missae sacrificium offerebatur.

b. Paulatim cessabant oblationes panis et vini et eorum loco fideles offerebant denarios, non tamen ut antea omnes, sed nonnulli tantum. Quando iam denarii offerebantur, visum est id ipsum, quod intra missam offerre licebat, etiam ante vel post missam offerri posse. Tandem postulabant illi, qui extra missam sacerdoti denarios offerebant, ut ipsum missae sacrificium pro se specialiter offerretur.

c. Inde a saeculo septimo factum esse videtur, ut denarii extra missam sacerdoti oblati sint ab iis, qui missam celebrari petebant. Eodemque tempore introducta est consuetudo sacrificandi pro particularibus fidelibus atque ad specialem eorum intentionem. Cum oblationes, ex quibus ortum est missae stipendium, initio rationem eleemosynae clericis et pauperibus oblatae haberent, stipendium etiam nunc temporis quandoque *eleemosyna* vocatur[2]).

184. De obligatione ex stipendio orta. 1. Ex stipendio accepto oritur *gravis obligatio iustitiae* offerendi missam ad intentionem eius, qui stipendium dedit: intercedit enim inter sacerdotem et eum, qui stipendium largitur, contractus onerosus, qui ex iustitia servari debet. Hinc sacerdos, qui accepto stipendio missam non applicat ad intentionem dantis stipendium, graviter laedit iustitiam et ad restitutionem stipendii tenetur[3]).

---

[1]) Math. 10, 10; 1. Cor. 9, 13. Cf. *De praeceptis*[12] n. 198. Cn. 824.

[2]) Cf. *Link*, S. 22 ff. *Benedictus XIV.*, De missae sacrificio l. 3. c. 21. n. 1—5. *Gasparri* I. n. 535 s.

[3]) S. C. C. 21. iun. 1625; 5. iul. 1664. Benedictus XIV. *Quanta cura* 30. iun. 1741.

a. Graviter peccare eum, qui vel *unum sacrum* ex stipendio debitum non celebret, theologi recentiores communi consensu tamquam certum docent, quamvis alii ob quorundam antiquorum contrariam sententiam eum *probabilius* tantum graviter peccare doceant, nisi quantitas stipendii gravis sit. Hi auctores quantitatem peccati ex quantitate stipendii falso dimetiebant. Vera ratio, ob quam hoc peccatum grave sit, desumenda non est ex quantitate stipendii (nisi ab homine paupere datum sit), neque ex gravitate damni spiritualis, quod patitur is, qui stipendium dedit (nisi in gravi necessitate petierit), sed *ex voluntate ecclesiae* tot decretis manifestata, quae sacerdotem ob magnum rei momentum sub gravi obligat ad implendum hunc contractum. *Ad restitutionem stipendii* autem sub gravi non tenetur sacerdos, qui obligationi suae non satisfecit, nisi stipendium summam relative gravem constituat.

b. Contractus, qui fit inter eum, qui stipendium dat, et eum, qui stipendium accipit, dici non potest contractus permutationis seu venditionis, quo labor intrinsecus cum celebratione coniunctus cum stipendio permutatur; sed cum plerisque auctoribus dicendus est contractus innominatus *Do, ut facias* i. e. do in sustentationem stipendium, ut applices pro me missae sacrificium[1]). Unde sequitur inito hocce contractu in sacerdotem transire dominium stipendii cum obligatione iustitiae applicandi missae sacrificium ad intentionem dantis, cui obligationi vel per se vel per alium satisfacere potest. Si ergo sacerdos etiam sine culpa, casu fortuito stipendium receptum amiserit, non cessat obligatio applicandi, cum res domino pereat[2]).

2. Etiam illa *adiuncta ex iustitia servanda* sunt, quae ab eo, qui dat stipendium, iure postulantur scilicet celebrandi determinato *tempore* et *loco* et determinatam *missae qualitatem,* dummodo acceptans stipendium ad ea servanda se obligaverit. Quare gravis huius rei defectus suppleri debet, si aliter fieri non potest, per aliam missam iuxta voluntatem dantis stipendium rite celebratam[3]).

a. Si *tempus,* quo missa dicenda sit, vel expresse vel tacite, ipsa scilicet qualitate intentionis (e. g. pro moribundo, pro felici partu, pro felici exitu gravis negotii) determinatum fuerit, tempore pacto applicari debet.

b. Si in *altari privilegiato* ex stipendio accepto pro defuncto celebrandum sit, obligationi satisfacit sacerdos, qui privilegio *personali* altaris gaudet, in quolibet altari

[1]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 198. [2]) Cn. 829. [3]) Cn. 833.

celebrans; sed non satisfacit applicando aliam indulgentiam plenariam, quia hanc defunctus non tam certo lucratur[1]).

Qui huic obligationi ex errore *bona fide* commisso non satisfecit, e. g. quia absque privilegio personali in alio altari non privilegiato celebravit, non tenetur quidem restituere stipendium, sed tenetur in compensationem eidem defuncto applicare aliam indulgentiam plenariam[2]).

c. Qui ratione stipendii vel fundationis *missam votivam* dicere tenetur, non satisfacit obligationi applicando missam de die, nisi legitimum impedimentum excuset. Cum tamen iste defectus non substantiam sed solam missae qualitatem afficiat, veniale peccatum non excedit. Obligationi autem applicandi *pro defunctis* satisfacit dicens missam de Sancto, et pariter obligationi applicandi *pro vivis* satisfacit dicens missam de Requiem; nullatenus autem convenit, ut ita fiat, nisi iusta causa excuset. Licet enim ratione sacrificii inter unam alteramque missam non sit discrimen, ratione tamen orationum, quae in missa occurrunt, una defunctis magis prodest quam altera.

Si oblato stipendio missa petitur *in honorem alicuius mysterii, b. Mariae virginis* vel *Sancti,* obligationi satisfit, eo quod missa diei currentis applicatur ad intentionem dantis stipendium, nisi expresse petatur missa votiva. Sed consultius est, ut, quantum fieri potest, intentioni dantis stipendium satisfiat per missam votivam[3]).

3. Non licet pro *uno sacro plura stipendia* accipere, sed absolute tot missae celebrari debent, quot ratione stipendii collati et acceptati petitae fuerint, etiamsi stipendia sint exigua[4]).

a. Non licere pro unica missa plura stipendia accipere, manifestum est in sententia eorum, qui tenent sacrificii fructum esse fini-

---

[1]) S. C. Indlg. 2. maii 1852.

[2]) S. C. Indlg. 22. febr. 1847. Hoc decreto concedit congregatio sacerdotibus, qui ad applicandam indulgentiam altaris privilegiati tenebantur et quam *bona fide* errantes lucrati non sunt, ut compensatio fiat per applicationem alius indulgentiae plenariae, ut declarat eadem congregatio 24. iul. 1885. Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe[14] (Paderborn. Schöningh. 1915) I. 568.

[3]) S. C. R. 13. iun. 1899. n. 4031. [4]) Cn. 828.

tum: sed illi etiam, qui opinantur sacrificii fructum esse infinitum non concedunt, ut pro una missa plura stipendia accipiantur, tum quia deest titulus ea accipiendi: unica enim est sustentatio diurna, tum quia ab ecclesia prohibitum est[1]).

b. Stipendium accipi potest pro [redacted] missa, quae die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et pro singulis, quae festo *Nativitatis Domini* celebrantur. Item pro onere et labore extraordinario e. g. pro missa celebranda [redacted] cantu, in loco dissito, sero tempore, per plures dies continuos etc. licitum est exigere taxam consueta maiorem; nullatenus autem pro emolumento spirituali e. g. pro celebratione in altari privilegiato, coram imagine miraculosa etc. id licet.

c. Licet accipere stipendium pro applicatione missae, quae celebratur *pro sponsis*, si ipsi sponsi pro applicatione missae stipendium [redacted] dederint[2]). Idem licet pro applicatione *missae exsequialis*, si datum non fuerit stipendium, ut applicetur pro defuncto, cuius exsequiae fiunt[3]): in utroque enim [redacted] sola qualitas missae, non eius applicatio ab ecclesia praescribitur.

d. Attamen non licet alterum stipendium pro sola celebratione, alterum pro applicatione accipere, nisi certo constet stipendium oblatum esse pro celebratione sine applicatione, [redacted] 825, 4.

185. De quantitate stipendii. 1. Potest sacerdos pro missa licite *accipere*, quod liberalitas fidelium ultro et sponte offert[4]). *Exigere* autem non licet nisi stipendium quod vel lege episcopi vel eius defectu consuetudine loci determinatum est. „Si ultra eleemosynam ab episcopo taxatum plus sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem ecclesiae, verum etiam iustitiam commutativam laedit“[5]); peccatum simoniae tamen non committit[6]).

a. Si benefactor stipendia missarum dederit, nec numerum missarum determinaverit, numerus supputandus est secundum stipendium loci, *in quo oblator morabatur*, nisi alia eiusdem intentio praesumi possit, (cn 830), ut si forte alias pinguius stipendium dare consuevisset.

b. Si quis testamento vel legato missas celebrandas praeceperit, nec quantitatem stipendii determinaverit, vel recurrendum est ad epi-

[1]) Damnata est ab *Alexandro VII.* haec propositio (10): *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre.*

[2]) *S. Officium* 1. sept. 1841.

[3]) S. C. C. 27. apr. 1895.

[4]) *S. C. de prop. fid.* 30. iul. 1877.

[5]) *Benedictus XIV.* De synodo l. 5. c. 9. n. 2.

[6]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 198.

scopum, ut congruum stipendium praescribat, vel stipendium taxandum est secundum consuetudinem loci.

2. Episcopus prohibere potest, ne sacerdotes admittant eleemosynam consuetâ taxâ *minorem*. Eiusmodi autem prohibitio, sicubi exsistat, non ita intelligenda est, ut, si ratio misericordiae vel caritatis id postulaverit, non liceat minus stipendium admittere, modo declaretur titulo eleemosynae id fieri. Prohibere autem non potest, ne fideles dent eleemosynam consuetâ maiorem, quia opera pietatis episcopus prohibere non potest.

Iure communi quidem quilibet sacerdos licite applicare potest missam pro eleemosyna infra taxam dioecesanam. Exsistente autem prohibitione episcopali, [redacted] eleemosynae pro missis infra taxam dioecesanam recipiantur, non solum clerici saeculares, sed etiam regulares statuto episcopi subiiciuntur[1]).

186. De missis manualibus rite persolvendis.

1. Ut onera missarum ac missae manuales ex stipendio debitae rite persolvantur, et omne commercium circa missarum stipendia vitetur, [redacted] s. sede complura edita sunt decreta, quorum praecipua haec sunt:

a. S. C. C. sub *Urbano VIII.* 21. iun. 1625 *Cum saepe.*

b. S. C. C. sub *Innocentio XII.* 23. nov. 1697 *Nuper.*

c. Constitutio *Benedicti XIV.* 30. iun. 1741 *Quanta cura.*

d. S. C. C. 9. sept. 1874.

e. S. C. C. 24. apr. 1875.

f. S. C. C. 25. maii 1893 *Vigilanti.*

g. S. C. C. 28. aug. 1897.

h. S. C. C. 11. maii 1904 *Ut debita.*

i. S. C. C. 22. maii 1907.

k. Cum decreto *Ut debita* fere consonant dispositiones novi *Codicis* cn 837—844.

Dispositiones quamplurimae, quae a s. sede de missis manualibus lapsu temporis editae sunt, decreto *Ut debita* innovantur, confirmantur et accuratius determinantur. Ex mente legislatoris hoc decretum eos, ad quos spectat, per [redacted] sub gravi, ergo in materia gravi sub gravi, in materia levi sub levi, obligat (n. 4)[2]). Huius decreti summa sequentibus continetur, notatis iis, quae in novo Codice modificantur.

---

[1]) Cf. *Concilium trid.* sess. 22. decr. *Quanta cura* De sacrif. missae; *Benedictus XIV.* De synodo l. 5. c. 9. n. 2. Cn. 832.

[2]) Integrum decretum prooemio et 15 numeris constat, ad quos numeri hic in textu intra parenthesim additi referuntur.

2. Tria genera missarum distinguuntur:

a. Missae manuales, quarum stipendia a fidelibus offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta.

Ad missas manuales etiam illae pertinent, quas familia vi hereditatis, etsi in perpetuum, celebrandas curare debet et quae perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitati aut locis piis, sed fundatae non sunt, ita ut a quolibet sacerdote applicari possint[1]).

b. Missae ad instar manualium, quae fundatae sunt, sed in proprio loco vel ab iis, qui ex fundatione ea persolvere deberent, applicari non possunt, et ideo de iure aut s. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt, ut celebrentur.

c. Missae fundatae, quarum stipendia ex fundationum reditibus percipiuntur[2]).

3. Valde sollicita est s. mater ecclesia, ut missae, quae a fidelibus oblato stipendio petuntur, certe riteque persolvantur; ad hunc finem obtinendum complures praecautiones praescribit.

a. Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum, in quibus stipendia missarum recipi solent, peculiarem habeant librum, in quo accurate notent missarum receptarum numerum, intentionem, stipendium, celebrationem. — Ordinarii singulis saltem annis hos libros sive per se sive per alios recognoscere tenentur.

b. Ordinarii locorum et superiores religiosi, qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, missas acceptas cum suis stipendiis cito in librum referant curentque pro viribus, ut quamprimum celebrentur.

c. Sacerdotes omnes sive saeculares sive religiosi accurate adnotare debent, quas intentiones receperint et quibus satisfecerint.

---

[1]) S. C. C. 19. dec. 1904. [2]) Cn. 826.

d. Ius et officium advigilandi, ut onera missarum adimpleantur, ad loci ordinarium, in ecclesiis religiosorum ad eorum superiores pertinet[1]).

187. De tempore celebrationi apto[2]). 1. Si ab offerente sive explicite sive implicite tempus celebrationis determinatum est, sacerdos missas acceptans tempore determinato eas celebrare tenetur.

a. Implicite tempus eo determinatur, quod finis applicationis indicatur e. g. pro moribundo, pro felici partu, pro neocommunicantibus, pro felici exitu gravis alicuius negotii etc.

b. Graviter peccat sacerdos, si non celebrat intra tempus ratione finis aptum, et transacto illo tempore stipendium restituere tenetur, etsi postea celebraverit, quando scilicet finis, in quem celebrare debuisset, obtineri amplius [redacted] potuit.

2. Tempore ab offerente neque explicite neque implicite determinato, missae intra modicum tempus pro maiore vel minore numero celebrandae sunt: si *una* celebranda est, intra *mensem*, missae *centum* ab eodem petitae intra *semestre* et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve iuxta maiorem vel minorem numerum missarum. Ex iudicio auctorum haec accuratior determinatio fieri potest: Si ab uno eodemque sine determinatione temporis offeruntur 20 missae, intra duos menses, si 40, intra tres menses, si 60, intra quatuor menses, si 80, intra quinque menses, si 100, intra sex menses et sic porro, si 200, intra annum persolvendae sunt, nisi offerens aut celebrationem intra brevius tempus deposcat, aut pro ea longius tempus concedat (n. 2).

a. Si quis ergo oblato stipendio missam petit, haec intra mensem applicari debet; si viginti diversae personae ab eodem sacerdote missam petunt pariter intra mensem omnes applicari debent. Quin etiam si in aliqua sollemnitate quingentae personae diversae offerunt stipendium pro una missa, per se intra [redacted] applicari debent[3]). Quodsi idem ab eodem viginti missas petit, sufficit, si intra duos menses applicentur.

b. Pro sacerdotibus, qui non a fidelibus, sed ab ordinario stipendia missarum accipiunt, ex concessione s. sedis tempus, intra quod

[1]) Cn. 842 ss. — [2]) Cf. cn. 834 s. — [3]) S. C. C. 27. febr. 1905.

missae applicari debent, incipit a die, quo ab ordinario stipendia acceperunt, non a die, quo a fidelibus oblata sunt[1]).

c. Haec temporis determinatio non scrupulose et mathematice, sed humano modo et moraliter accipienda est. Illud tamen, quod hucusque ab auctoribus tradebatur, missas nempe pro recenter defuncto intra mensem, missas autem ad alias intentiones oblatas intra duos menses applicandas esse, nisi pro causa urgenti petantur — tuto doceri ulterius non potest. Neque amplius facienda est distinctio inter missas pro defunctis et missas pro vivis applicandas; sed tempus applicationi aptum in utroque casu idem est.

d. Praeceptum valet de omnibus missis, quae ab hoc decreto dicuntur manuales. Si quis ergo a parocho missas in eius ecclesia fundatas accipit celebrandas, intra tempus supra determinatum celebrari debent: sunt enim pro eo, qui illas accipit, missae *ad instar manualium*, quamvis parochus eas utpote fundatas intra annum applicare potuisset.

e. Qui ergo missas sine iusta causa notabiliter ultra tempus praescriptum differt, graviter peccat; ad stipendii restitutionem tamen non tenetur, quia obligationi celebrandi postea adhuc satisfacere potest. Notabilis censetur dilatio, si missa, quae intra determinatum tempus celebranda erat, ad mensem ultra tempus praescriptum differatur.

3. Si oblator tempus expresse reliquit arbitrio sacerdotis, hic eas celebrare potest tempore, quo sibi magis placuerit, attamen intra annum a tempore, quo eas accepit, computandum.

188. 4. Ideo *a.* nemini licet plures missas quaerere vel accipere, quam intra tempus statutum probabiliter celebrare potest sive per se sive per subditos suos, si agatur de ordinario vel praelato regulari (n. 1). His accensendi sunt etiam parochi, quorum capellani ad ipsorum intentionem celebrare debent.

α. Nihil impedit, quominus sacerdos, qui ab uno alterove stipendia iam accepit, ab aliis offerentibus plures alias missas accipiat, dummodo intra tempus aptum applicari possint. Si cui e. g. ab uno eodemque 40 missae offeruntur, sufficit si eas intra tres menses persolvat; interim etiam compluribus aliis obligationibus sive ex officio sive ex aliis stipendiis debitis satisfacere potest.

β. Sacerdoti non licet quidem pro eas acceptare missas, quas intra debitum tempus applicare nequit, attamen pro aliis eas acceptare potest,

---

[1]) S. C. C. 27. febr. 1905.

i. e. offerenti stipendia se paratum declarare potest, curandi, si ipsi placuerit, ut ab alio sacerdote applicentur.

b. Nemini licet plures missas accipere, quam intra annum a die susceptae obligationis probabiliter applicare potest, nisi quis maiorem numerum sponte sua tribuat (n. 3).

Sensus huius numeri ex exemplo patebit. Si sacerdoti, qui intra annum ex beneficio 150 missas celebrare debet, ab eodem donatore offerantur 300 stipendia, non potest accipere plura quam 200, quia praeter debita ex beneficio intra [redacted] plura applicare nequit. Attamen si quis sponte [redacted] sacerdoti tribuat 500 missas, eo ipso non exigit, ut intra annum applicentur, sed consentit, ut complurium applicatio ultra annum differatur.

5. Omnes, qui ad missarum onera implenda obligati sunt, in fine anni missas, quibus nondum satisfecerint, propriis ordinariis tradere debent, nisi agatur de minore numero missarum (n. 4).

a. Omnes, sive clerici sive laici, praesertim vero beneficiati et administratores causarum piarum. Heredes ergo, qui vi testamenti vel legati curare tenentur, ut missae dicantur, per decursum anni eas cuilibet sacerdoti celebrandas tradere possunt: quod si neglexerint, post annum amittunt ius per se celebrationem curandi, sed eas ad ordinarium mittere tenentur.

b. In fine anni. Si agitur de missis fundatis vel alicui beneficio annexis, obligatio incipit [redacted] fine illius anni, intra quem missae applicari debuissent; si agitur de missis manualibus maioris numeri, obligatio incipit post [redacted] die susceptae obligationis.

c. Minore numero: tot enim missas sacerdos licite retinet, quot intra debitum tempus applicare potest. Pari modo licite eas retinet, quarum celebratio [redacted] voluntate donatorum ultra annum differri potest.

d. Proprii ordinarii regularium sunt praelati regulares (generales, provinciales, superiores locales), quibus regulares in fine anni missas tradere debent, quibus nondum satisfecerunt[1]).

6. In ecclesiis (e. g. piarum peregrinationum), in quibus plures missae petuntur, quam ibidem debito tempore celebrari possunt, moneantur fideles per tabellam in patenti loco positam, missas petitas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi.

189. De missis superfluis aliis tradendis. 1. Qui missas superfluas habet, quas ipse intra tempus celebra-

[1]) S. C. C. 27. febr. 1905.

tioni aptum applicare non potest, eas vel ordinario vel s. sedi vel alteri sacerdoti tribuere debet servatis conditionibus praescriptis (n. 5).

Qui missas cum stipendio tradit ordinario vel s. sedi, ipsa traditione ab omni obligatione liberatur; qui aliis sacerdotibus tradit, ab obligatione celebrandi non liberatur, *donec acceptatae obligationis et recepti stipendii* testimonium obtinuerit[1]).

Testimonium *peractae celebrationis* ulterius non exigitur.

190. 2. *Conditiones praescriptae* sunt hae:

a. Quoad missas. Ut missae celebrentur eo loco (ecclesia, altari) et eo tempore (die, hora), prout fundatorum vel offerentium exigit voluntas.

b. Quoad personas. α. Intentiones missarum a fidelibus vel locis piis acceptae licite tradi possunt sacerdotibus (sive intra sive extra dioecesim commorantibus), qui eas vel per se vel per subditos suos celebrent, ubi nimirum tradantur ordinariis vel praelatis regularibus (vel parochis) n. 8[2]).

Non licet dare stipendia missarum bibliopolis et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, neque venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, nec ullis, quamvis ecclesiastici viri sint, qui missas requirant, non ea intentione, ut eas celebrent vel per se vel per suos subditos (n. 8). Patet his non prohiberi, quominus sacerdotibus dentur vel procurentur intentiones missarum, ut ex earum stipendiis libros vel res quascunque emant.

β. Sacerdotes, quibus intentiones missarum traduntur, debent aut noti esse ut omni exceptione maiores i. e. tales, qui moralem certitudinem praebeant, quod missas acceptas celebraturi sint (n. 5), aut testimonio proprii Ordinarii commendati[2]).

γ. Recepti stipendii testimonium exigi debet.

Hoc testimonium exigendum est, ut tradens aliis stipendia missarum sciat, ab obligatione celebrandi immunem esse. Et ad obtinendum quidem hunc finem pro foro interno conscientiae nihil refert, utrum testimonium scriptum sit an orale, quin etiam moralis certitudo

[1]) Cn. 839. [2]) Cn. 838.

ex adiunctis rerum et personarum prudenter consideratis parta pro foro conscientiae sufficere videtur.

Nota. Si agitur de missis ad ecclesias ritus orientalis mittendis *a. non licet* eas *mittere* α. ad viros laicos, qui eas distribuant sacerdotibus; nec β. directe ad presbyteros orientales; nec γ. directe ad superiores congregationum religiosorum orientalium; nec δ. directe ad episcopos titulares vel simplices vicarios patriarchales; sed *b. mittendae sunt* vel α. ad s. congregationem de propaganda fide; vel β. ad delegatos apostolicos, significando simul numerum missarum et summam stipendiorum, quae tradi debent praelatis orientalibus intra ambitum delegationis exsistentibus; vel γ. praelatis ordinariam iurisdictionem habentibus pro sacerdotibus sibi subiectis[1]).

191. 3. *Quoad stipendium.* 1. *In missis manualibus* transmittendis integrum stipendium transmittendum est, nisi *oblator* expresse aliquid retinere permittat aut certo constet, excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae[2]).

His addere licet alium casum, si nimirum *recipiens* stipendium partem stipendii oblati sponte remittat[3]): etenim non prohibetur donationes facere. Expensas transmissionis detrahi posse manifestum est.

[redacted] *Peccatum grave contra religionem* committit, qui partem stipendii in materia gravi retinet, etiamsi peccuniam retentam in pios usus impendat. Stipendii partialem retentionem ab ecclesia *sub gravi* prohibitam esse, manifestum est ex poenis in hanc agendi rationem antea latis; sed dubitatum est, utrum hac agendi ratione contra iustitiam commutativam cum onere restitutionis [redacted] solum contra religionem peccetur. Certe probabilis est sententia eorum, qui *laesionem iustitiae cummutativae negant*[4]): argumenta enim, quibus sententia affirmans demonstratur, rem non evincunt. Ita arguunt: α Ex propositione damnata sacerdos, qui missarum stipendia accepit, non potest per alium satisfacere parte stipendii sibi retenta[4]); sed qui suae obligationi non satisfacit, iustitiam laedit. — Verum nihil exigit, ut propositionis dam-

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 15. iul. 1908. [2]) Cn. 840.

[3]) *Benedictus XIV.* constit. *Quanta* [redacted] 30. iuni 1741.

[4]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 1017. *D'Annibale* III. n. 190. nota 17. *Génicot,* Theol. mor. inst. 231.

[5]) Damnata est ab *Alexandro VII.* haec propositio (9): *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

natae verba ita intelligantur: *non potest sine laesione iustitiae satisfacere*, cum commode ita intelligantur: *non potest licite satisfacere* obligationi suae. β. Sacerdos accipiens stipendium huius dominium quidem acquirit, sed iuxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, ut missa celebretur pro tali stipendio; qui ergo partem stipendii retinet, contra voluntatem dantis, quae ad substantiam contractus pertinet; proindeque contra iustitiam agit et ad restitutionem tenetur, non quidem ei, qui stipendium dedit, sed sacerdoti celebranti. — Verum nullatenus constat hanc esse voluntatem eius, qui stipendium dat, id quod ex hisce liquet: qui missae stipendium accepit, obligationi celebrandi per alium satisfacere potest, etsi nullum stipendium det, modo stipendium conferens expresse non postulaverit, ut ipse accipiens missam celebret: etenim si alius loco accipientis stipendium gratis ad intentionem dantis celebret, nemo dubitat eum obligationi satisfecisse, qui stipendium accepit.

b. Administratoribus ecclesiarum, qui extraneis sacerdotibus in suis ecclesiis celebrantibus stipendia largiuntur, non licet partem stipendii retinere eo titulo, ut sacerdotes celebrantes pro necessariis expensis aliquid solvant, etsi ecclesia sit pauper; licet tamen rectoribus ecclesiarum a sacerdotibus in ipsorum ecclesiis celebrare volentibus solutionem expensarum exigere tamquam conditionem, ut in ecclesia celebrare permittantur, praesertim si ecclesia pauper sit aut multi sacerdotes vel iidem frequenter ibi celebrent.

c. Executori testamenti, qui pro certa pecuniae summa determinatum numerum missarum celebrandum curare debet, non licet sine iniustitia partem summae sibi retinere, eo quod missas celebrandas curat, ubi minora sunt stipendia: cum enim dominium stipendiorum nunquam acquisivit, nullus exsistit titulus, ex quo partem eorum retinere possit[1]).

192. *In missis ad instar manualium* satis est transmittere stipendium dioecesis, *in qua missa celebratur*, si excessus locum tenet pro parte dotis beneficii aut causae piae, nisi obstet mens fundatoris.

a. Si ergo fundatio ita facta est, ut missarum celebratio certo cuidam sacerdoti demandetur, satis est taxam dioecesanam transmittere. Quodsi fundatio ita facta est, ut missarum celebratio alicui ecclesiae annexa sit, parochus, qui eas per alium celebrandas curat, ei integrum stipendium dare debet[2]), excepto casu, quo fundationes partem concongruae parochialis constituunt.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 322.

[2]) S. C. C. 25 iul. 1874.

b) Pro missis exsequialibus vel nuptialibus, quarum celebratio de iure et consuetudine ad parochum spectat, maior taxa dari solet, cuius excessum parochus retinere potest, si missam per alium celebrandam curat. Si tamen maius stipendium datur ratione cantus, horae tardioris etc., [redacted] tradendus est celebranti, qui extraordinarium onus subire debet.

c) Si sacerdoti, qui funus comitatur, offeruntur 5 coronae cum onere celebrandi missam, vel si parocho dantur 20 coronae cum onere, ut triduum instituatur et tres missae celebrentur, sufficit, ut ei, cui missae celebrandae committuntur, detur stipendium dioecesanum. Quodsi sacerdoti extra dioecesim exsistenti missa dicenda committitur, dari debet stipendium dioecesis celebrantis. Si missa beneficio connexa committitur alteri sacerdoti, dari debet stipendium ordinarium illius loci, in quo missa celebratur[1]).

Decretum *Ut debita* duo insuper monet: a. Missae stipendium a missae celebratione licite *separari* non posse (n. 8).

Cum hisce verbis illud solum prohibeatur, ne missarum stipendia dentur iis, qui ea in alium, non in hunc finem accipiunt, ut missas vel per se vel per subditos suos persolvant, non prohibetur, quominus rogentur sacerdotes, ut missas celebrandas suscipiant, earum stipendia autem operi pio donent. — Nec prohibetur, quominus sacerdos ex iusta causa necessitatis cum altero *missae intentionem permutet*, retento proprio stipendio, licet utriusque stipendia non sint aequalia, sed unum altero maius. In hoc enim casu unus alteri excessum sponte et libere donare censetur. — Nec tandem prohibetur, quominus parochi, quorum vicarii ad intentionem parochi celebrare debent, stipendia missarum pro victu retineant.

b. Missae stipendium in alias [redacted] licite *commutari non posse*, sed in propria specie reddendum esse (n. 9).

α. Etsi non liceat ope missarum res quascunque vendere vel emere, licet tamen ei, qui missam vel missas petit, sacerdoti pro missis celebrandis vel iam celebratis loco pecuniae librum vel aliam rem tradere, dummodo id habitualiter non fiat nec in subsidium alicuius commercii cedat (n. 10).

β. Tum ex declarationibus [redacted] sedis tum ex indultis et privilegiis ab eadem s. sede sive episcopis sive sacerdotibus concessis, licitum erat stipendia missarum [redacted] alia re e. g. diariis, foliis religiosis permutare, quin etiam ad promovendum opus pium stipendia parte eorum retenta aliis tradere. Iam vero haec omnia obrogantur et tamquam abrogata haberi debent (n. 9.), — Pari modo revocatum est indultum

---

[1]) *S. Officium* 11. mai 1904 *Ut debita* n. 15.

celebrioribus sanctuariis concessum, vi cuius ex missarum stipendiis a fidelibus oblatis partem detrahere poterant, ut decori atque ornamento sanctuarii consulatur (n. 11).

193. De reductione missarum. 1. Ex iusta causa solet ecclesia onera missarum reducere vel etiam penitus exstinguere.

Occasio reducendi onera missarum tum potissimum se offert, quando cursu temporis factum est, ut reditus fundationis iam non sufficiant ad integrum numerum missarum persolvendum. Eiusmodi reductione fundatores nullum damnum patiuntur: nam summus pontifex fructum quidem satisfactorium eo supplet, quod ex thesauro ecclesiae satisfactiones Christi et sanctorum pro iis applicat, pro quibus sacra offerenda fuissent; fructum vero impetratorium ex oratione ecclesiae partum eo supplet, quod preces, quae nomine ecclesiae fiunt, in hunc finem dirigit.

2. Potestatem reducendi onera missarum summus pontifex sibi reservavit, ita ut episcopus sine speciali indulto s. sedis numerum missarum valide reducere non possit, nisi fundator hanc potestatem etiam ordinario loci concesserit[1]).

a. Quando ob tenuitatem legati, quod nondum acceptatum est, reductio necessaria sit, potest episcopus absque sedis apostolicae facultate numerum missarum celebrandarum ad normam consueti stipendii reducere.

b. A casu, in quo summa fundationis in se non minuitur, sed omnibus oneribus iam non sufficiat, distinguendus est casus, in quo ipsa summa fundationis vel ex toto vel ex parte, sed sine culpa eius, qui missas celebrare debet, periit. In priore casu reductio missarum a solo summo pontifice fiere potest. Si in altero casu summa fundationis ex toto periit, cessat obligatio missas celebrandi; quodsi ex parte periit, observandum est, quod novus *Codex* cn 1517, 2 statuit: „Si exsecutio onerum impositorum ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius quoque, auditis iis, quorum interest et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta missarum reductione, quae semper s. Sedi unice competit." Sic si fundator certum stipendium pro singulis missis determinavit, Ordinarius numerum missarum aeque imminuere potest; quodsi fundator numerum misssarum determinavit, earum reductio ab apostolica Sede fieri debet.

---

[1]) S. C. C. 31. iun. 1625. Cn. 1517, 1.

194. De condonatione missarum. Sub certis conditionibus solet ecclesia onera missarum, sive fundatae sive manuales sunt, *condonare*. Condonationis effectus duplex est, *supplendi* ex thesauro ecclesiae fructus sacrificiorum omissorum, adeo ut petentes percipiant eosdem fructus, quos percepissent, si missae celebratae fuissent, ac *remittendi* obligationem eas celebrandi.

a. Solus summus pontifex condonationem concedere potest, quia ipse solus ex thesauro ecclesiae pro missis non celebratis supplere potest.

b. Condonatio concedi solet, quando sacerdos complures missas, quas ex fundatione vel ex stipendio celebrare debuisset, non celebravit nec celebrare amplius potest. Condonatio non conceditur, quando adsunt facultates vel reditus, quibus omissiones praeteritae suppleri possunt.

Nota. Omnia opera, quibus Christus Dominus redemptionem generis humani peregit, continentur in thesauro ecclesiae; opera autem redemptionis erant opera adorationis, gratiarum actionis, obsecrationis, placationis et satisfactionis; continentur ergo in thesauro ecclesiae adorationes, gratiarum actiones, obsecrationes, placationes et satisfactiones infiniti valoris, quas Christus Dominus Deo Patri pro nobis obtulit. — Insuper cum in thesauro ecclesiae sint merita Christi, in eodem sunt merita, quae proveniunt ex sacrificio crucis; sed missae sacrificium est renovatio sacrificii crucis; omnes ergo effectus, quos missae sacrificium producere potest, continentur in thesauro ecclesiae et reipsa per condonationem ex eis a summo pontifice applicantur iuxta intentionem eorum, qui missas petiverant.

§ 4. Obligatio ratione beneficii.

195. Beneficium intelligitur beneficium simplex vel capellania, quae beneficiato imponit obligationem ex pia fundatione quotidie aut quotannis certis diebus missam celebrandi. Obligationes istae ex fundationibus ortae dici solent „perpetua onera missarum“. Intentio fundatorum

vel eo dirigitur, ut certus numerus missarum ad eorum intentionem celebretur, vel eo, ut missae in certo loco dicantur, quo populo occasio praebeatur missam audiendi.

1. *Obligatio iustitiae*, cui beneficiatus satisfacere tenetur, non solum ad *ipsas missas* determinato numero celebrandas, sed etiam ad *alia adiuncta* a fundatore praescripta refertur, scilicet ad speciem missae (lecta vel cantata), ad locum, ad tempus etc., si fundator ob gravem causam ea designavit

2. Obligationi *celebrandi* beneficiatus ipse per se satisfacere non tenetur, nisi id expressis vel aequivalentibus verbis exigatur. Quod si ipse celebrare debet, obligatio gravis est, quae tamen parvitatem materiae admittit, ita ut graviter peccet, si absque causa excusante saepius non celebret ipse.

3. *Applicatio* missarum, ubi fundator de illa expresse nihil statuit, secundum praesumptam fundatoris intentionem facienda est. Et animae quidem fundatoris missas esse applicandas recte praesumitur, quando fundator simpliciter onus imponit celebrandi missas; quando autem missarum celebrandarum certum numerum sibi applicandum esse praescribit, aliarum applicationem liberam reliquisse censetur.

4. Si beneficiatus, qui habet onus missae quotidianae, non ipse per se celebrare debet, nullam licite potest omittere, sed curare debet, ut per alium missa dicatur, quando ipse non celebrat. Si autem ipse per se quotidie celebrare tenetur, missam aliquando ex iusta causa omittere potest, nec per alium supplere tenetur[1]). Eiusmodi causae sunt:

a. Infirmitas; si tamen infirmitas non sit brevis, sed diuturna, per alium, etiam collato stipendio, si opus fuerit, celebrare debet.

---

[1]) S. C. C. 18. sept. 1683.

Brevis autem infirmitas aliis ea videtur esse, quae non excedit quindecim dies, aliis, quae mensem, aliis, quae duos menses non excedit. Etiam haec ultima sententia nonnullis videbatur probabilis[1]), verum adsunt decreta contraria, ex quibus per alium supplere tenetur, si infirmitas ultra quindecim dies perdurat[2]), excepto casu, quo beneficiatus ob infirmitatem factus esset omnino impotens nec aliunde haberet unde viveret et ordinatus fuisset ad titulum beneficii[3]).

b. Religio; potest propter defectum devotionis vel dispositionis, ergo humilitatis et reverentiae causa semel in mense celebrationem omittere.

c. Rationabile impedimentum; potest ergo itineris causa vel ad peragenda exercitia missam omittere, immo permittunt auctores, ut aliquando (quinquies aut sexies in anno) pro se vel pro suis applicet. Non licet autem, quando pro alio celebrat, stipendium accipere, quia ex fundatione stipendium iam percepit.

5. Beneficiatus, qui missam celebrare debet in determinata ecclesia, in determinato altari, certa hora, graviter peccat, si has fundatoris dispositiones saepius (quam semel iterumque in mense) sine iusta causa non observat, modo fundator eas determinaverit ob gravem causam adhuc perdurantem e. g. ob commodum populi, ob specialem cultum alicuius sancti etc.

a. In eiusmodi fundatoris dispositionibus ad tempus iusta causa dispensare potest episcopus, in perpetuum vero sola s. sedes.

b. Beneficiatus, qui ex fundatione diebus festis celebrare tenetur in determinato altari vel in determinata ecclesia, festis postea ab ecclesia abrogatis celebrare potest in alia ecclesia vel in alio altari, si finis fundationis is est, ut populo praebeatur occasio audiendi sacrum[4]).

c. Beneficiatus, qui ex fundatione applicare tenetur pro fundatore singulis diebus festis, ad id tenetur etiam festis suppressis[5]).

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 333.
[2]) S. C. C. 4. iun. 1689 et 17. nov. 1695.
[3]) S. C. C. 14. apr. 1655.
[4]) *S. C. Ep. et Reg.* 1. mart. 1872.
[5]) *S. C. Ep. et Reg.* 15. dec. 1856.

§ 5. Obligatio ratione oboedientiae.

196. 1. Tum concilium tridentinum[1]) tum Codex iur. can.[2]) iisdem fere verbis episcopis et superioribus religiosis curandum praecipiunt, ut sacerdotes sibi subditi saltem singulis dominicis aliisque festis de praecepto ss. missae sacrificium offerant, quibus sacerdotes subditi, sicubi superiores tale praeceptum dederint, oboedire tenentur.

2. Posse *praelatos saeculares* i. e. summum pontificem et episcopum sacerdotibus sibi subditis per se non solum missae *celebrationem*, sed etiam *applicationem* praecipere, certum est, et contraria quorundam opinio falso nititur fundamento, ecclesiam nempe non posse praecipere actus internos; attamen raro hac potestate utuntur superiores, qui non sunt religiosi, quia sacerdotes subeunt damnum temporale, eo quod stipendio missarum privantur.

Missa *conventualis*, (si plures celebrari debent, solum una) ex lege ecclesiastica quotidie applicanda est pro benefactoribus in genere[3]). Religiosi quidem non de iure communi, sed plerumque ex statuto ordinis ad hanc applicationem faciendam tenentur. Missa conventualis dicitur missa, quae canenda est in ecclesiis cathedralibus et collegiatis et in ecclesiis regularium utriusque sexus, in quibus officium canonicum persolvitur in choro; qui ergo ad chorum non tenentur, non habent missam conventualem.

3. Superiores autem *regulares* suis subditis ex diversis titulis missae applicationem praecipere solent, et quidem ex iustitia, ubi stipendia missarum a superioribus accipiuntur eo pacto, ut per subditos ea persolvenda curent; vel ex oboedientia, ubi aut vi potestatis dominativae, qua in subditos pollent, missae applicationem ipsi iniungunt aut vi constitutionum missas, quae ab his ad certam intentionem exiguntur, praescribunt.

a. Tenentur ergo sacerdotes religiosi subditi sive ex iustitia sive ex oboedientia missae sacrificium ad intentionem a superioribus praescriptam applicare. Si religiosus subditus contra praeceptum superioris

---

[1]) Sess. 23 c. 14. De reform.

[2]) Cn. 805.

[3]) Ita statuit *Benedictus XIV.* constit. *Cum semper alia* 10. aug. 1754.

agat, valide quidem ad aliam intentionem applicat, attamen illicite, et si ex iustitia tenebatur offerre, sine dubio graviter peccat, secus vero graviter vel leviter vel nulla ratione peccat contra oboedientiam, prout superior sub gravi vel sub levi vel nullatenus sub peccato subditos obligare intendebat. Constitutiones ordinum missas iniungentes sub peccato plerumque non obligant[1]).

b. Praeceptum superioris missae sacrificium iniungentis ultra finem a superiore intentum non se extendit. Qui ergo ex sola oboedientia i. e. ex praecepto superioris vel ex statuto ordinis sacrum facere tenetur, potest reliquos fructus, qui directe non conferunt ad finem praeceptum, sibi vel aliis applicare. Sic si missa exigitur pro infirmo ad impetrandam eius sanitatem, sacerdos alios fructus praeter impetratorium, et si missa exigitur in gratiarum actionem, saltem fructum satisfactorium pro lubitu applicare potest.

§ 6. *Obligatio ratione promissionis.*

197. 1. Qui serio et cum animo sese obligandi promittit se pro aliquo missae sacrificium oblaturum esse, promissione ab altero acceptata, ordinarie *ex fidelitate* tenetur pro eo missam applicare. Plerumque tamen eiusmodi promissiones non serio fiunt et cum animo sese obligandi, sed benevolum tantum propositum ostendunt, quare veram obligationem raro inducunt. Ab intentione igitur promittentis omnia dependent.

2. Obligatio ex fidelitate ordinarie solum levis est, etiam in re gravi. Qui ergo unum vel plura sacra alteri vere promisit et ea applicare omittit, graviter non peccat, nisi expresse sub gravi se obligare intenderit vel onus illius in se susceperit, qui sub gravi celebrare tenebatur. Si autem vera promissio non intercesserit, omissio celebrationis nullum est peccatum.

Qui ex liberali promissione sacrum facere tenetur, obligationi satisfacit, si solum fructum promissum vel petitum applicet; reliquos autem sibi vel alteri reservare potest. Liberalis enim promissio ita est interpretanda, ut promittenti sit quam minime onerosa. Qui e. g. uni promisit sacrum in gratiarum actionem pro beneficio accepto, alteri ad impetrandam sanitatem, tertio pro defuncto amico, unico sacro triplici promissioni satisfacit[2]).

---

[1]) Cf. *S. C. de Relig.* 3. maii 1914.

[2]) Cf. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 8. n. 417, qui secutus est *Gobat.* Experient. theol. tr. 3. n. 144. *Lugo* disp. 19. n. 193.

Quaestio quinta.

De loco celebrationis[1]).

Locus celebrationis est *ecclesia* et *oratorium;* sed quandoque etiam extra ecclesiam vel oratorium celebrandi licentia conceditur.

198. De ecclesia et oratorio. 1. *Ecclesia* est aedificium ad cultum divinum eo fine exstructum, ut *omnibus* fidelibus usui sit ad divinum cultum *publice* exercendum. 2. *Oratorium* est locus ad cultum divinum destinatus, *non* tamen eo fine, ut *omnibus* fidelibus usui sit ad religionem *publice* exercendam. Oratorium dicitur *publicum*, si ita alicuius personae aut familiae aut communitatis usui inserviat, ut tamen omnibus fidelibus competat ius assistendi divinis officiis, quae ibi celebrantur, et dicitur *privatum*, si ita alicuius personae, familiae aut communitatis usui inserviat, ut aliis nullum sit ius assistendi divinis officiis, quae ibi celebrantur.

Ideo oratorium publicum habere debet ianuam, quae pateat e platea vel e loco publico, ut fideles libere illud adire possint. Quandoque auctores hac nota, quae potius necessarium consequens et publicitatis indicium est, oratorium publicum definiunt; atqui propria nota oratorii publici est ius fidelium accedendi ad functiones ibi celebrandas, ita ut sine hoc iure oratorium sit privatum, etsi ianua eius in viam publicam pateat, et concesso hoc iure oratorium sit publicum, etsi intra parietes domus privatae situm sit. Quodsi ad oratorium e platea perveniri nequit nisi per atrium domus vel per pratum, requiritur ut dominus liberum fidelium accessum teneatur non impedire; alias oratorium non est publicum.

3. Oratorium privatum est *stricte privatum* seu domesticum, si usui alicuius personae vel familiae particularis

---

[1]) *Gasparri,* I. c. 3.: De loco celebrationis missarum n. 121—358. *I. B. Gattico,* De oratoriis domesticis. *Van Gameren,* De oratoriis publicis et privatis. *Ephemerides liturgicae* De oratoriis vol. X. (1896) p. 41. Cn. 1161 sq. 1188 sq.

inservit, et est *semiprivatum* vel *semipublicum,* si usui alicuius communitatis vel coetus fidelium inservit nec cuique liberum sit illud adire.

a. Oratoria privata ergo sunt omnia oratoria erecta *in domo privata,* in domo nempe alicuius individui vel particularis familiae, etiam magnatis, principis vel ipsius regis. Quamvis oratoria Cardinalium atque Episcoporum tum residentialium tum titularium sint oratoria privata, fruuntur tamen iuribus et privilegiis oratorii semiduplicis. Cn. 1189. — Aediculae in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectae sunt oratoria privata. Cn. 1190.

b. Oratoria semipublica sunt oratoria in *domo publica* erecta, in domo nempe alicuius communitatis, cuiusmodi sunt: seminaria clericorum, monasteria virorum et mulierum etiam votorum simplicium et sine clausura, collegia educationi puerorum vel puellarum destinata, quamvis sine auctoritate ordinarii erecta, hospitalia, orphanotrophia, carceres publici, universitates, domus confraternitatis vel piae associationis ab episcopo spprobatae, domus exercitiis peragendis et domus operibus misericordiae exercendis addictae[1]).

199. De licentia in iis celebrandi. 1. Ex iure communi missa celebrari solum potest in *ecclesia* vel in *oratorio publico,* dummodo locus iste sit consecratus vel saltem benedictus[2]).

Oratoria publica eodem iure reguntur, quo ecclesiae (cn. 1191). Ibi ergo missa celebrari et functiones eccl. peragi possunt omnibus anni diebus etiam sollemnioribus, nisi obstent rubricae.

2. Facultatem erigendi *oratorium semipublicum* episcopus concedere potest, sed *a.* in quavis communitate unum tantum, praeterquam quod in convictibus, gymnasiis, lyceis, carceribus, xenidochiis etc. praeter oratorium principale alia minora erigi possunt, si ex iudicio ordinarii necessitas aut magna utilitas id exigat; et *b.* ea conditione, quod oratorium vel per se vel per alium virum ecclesiasticum visitaverit et decenter instructum repererit[3])

a. Oratorium semipublicum legitime erectum sine episcopi licentia ad usus profanos converti nequit. Cn. 1192, 3.

---

[1]) S. C. R. 23. ian. 1899 n. 4007.

[2]) *Concilium trid.* sess. 22. decr. *Quanta cura* De observand. et evitand. in celebrat. missae.

[3]) Cn. 1192.

b. In monasteriis monialium cum clausura papali episcopus propter ipsam clausuram permittere nequit, ut intra clausuram missa celebretur; non desunt autem, etsi rara, exempla huius facultatis per indultum apostolicum concessae.

c. Etiam in oratoriis semipublicis omnes functiones ecclesiasticae peragi possunt, nisi obstent rubricae aut episcopus aliquas exceperit. (Cn. 1193). Potest enim episcopus in facultatis concessione varias limitationes apponere, e. g. ut una tantum missa celebretur, ut non celebretur certis diebus aut certis horis[1]).

d. Vi privilegii societati Iesu concessi[2]), possunt provinciales per se et absque licentia episcopi in domibus regularibus necnon in collegiis a regularibus directis et in aliis domibus, ubi aliqui regulares resident, oratoria erigere, in quibus plures missae eodem die etiam ab extraneis celebrari et assistentes praecepto satisfacere possunt. Vi eiusdem privilegii etiam in *grangiis regularium* (domus oeconomicae) oratoria erigi possunt, quae privilegiis oratorii semipublici gaudent.

3. Facultatem celebrandi in oratorio *stricte privato* hodie solus concedit romanus pontifex.

a. In eiusmodi oratorio, postquam episcopus illud visitaverit et probaverit, celebrari potest, sed unica missa tantum, eaque lecta singulis diebus exceptis festis sollemnioribus.

b. Potest tamen episcopus, dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab iis, ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis per modum actus celebrationem permittere. Cn. 1195.

4. Facultatem celebrandi extra ecclesiam et oratorium e. g. *sub diu* episcopus concedere solum potest in casu necessitatis.

Eiusmodi casus adesset: *a.* Si templa celebrationi facta essent inepta e. g. incendio vel terrae motu. In hoc casu id fieri potest etiam ex licentia praesumpta, si expressa tam cito haberi non possit. *b.* Si magna fidelium multitudo sacro praecepto careret, ubi illud solum in ecclesia celebraretur.

---

[1]) Oratoria semipublica eatenus quoque publicis aequiparantur, quatenus missae, quae in iis celebrantur, respondere debeant calendario loci, non celebrantis, saltem si agitur de oratorio principali. S. C. R. 22. maii 1896 n. 3910.

[2]) *Gregorius XIII.* constit. *Decet rom. pontificem* 3. maii 1575.

5. Ut celebrari possit *in navi,* hodie peculiare indultum *apostolicum* requiritur, ita ut nec missionarii apostolici vi huius tituli nec sacerdotes habentes privilegium celebrandi ubique vi huius privilegii absque speciali indulto apostolico in navi celebrare possint[1]).

a. Conditiones, sub quibus haec facultas conceditur, sunt: α. ut mare sit tranquillum; β. ut nullum adsit irreverentiae periculum; γ. ut assistat alius sacerdos vel diaconus, qui post consecrationem teneat calicem; haec tamen conditio quandoque omittitur, quo in casu effundendi pretiosissimi sanguinis periculum alio modo praecaveri debet; δ. ne in privatis cellulis celebretur, nisi ex adiunctis remotum sit irreverentiae periculum[2]).

b. Iudultum est concessum episcopis totius Americae, Oceaniae atque Australiae, ut quotiescunque Romam petituri sint perdurante maritimo itinere etiam in reditu singulis diebus in navi sacrum facere possint, dummodo α. locus ad hoc delectus nihil indecens prae se ferat; β. mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis pretiosissimi sanguinis; γ. et, si adsit, alter sacerdos superpelliceo indutus praesuli celebranti assistat[3]).

Quaestio sexta.

De tempore celebrationis.

Articulus primus.

Quando celebrare liceat.

200. Quibus diebus celebrare liceat. *Quotidie* celebrare licet exceptis paucis diebus, quibus celebratio speciali lege ecclesiastica restringitur vel omnino prohibetur, nimirum *tribus ultimis maioris hebdomadae diebus.*

---

[1]) S. C. R. 4. mart. 1901. *S. C. de prop. fide* 20. ian. 1667. *Benedictus XIV.* De sacrif. miss. l. 3. c. 6. n. 11.

[2]) *S. C. de prop. fide* 7. mart. 1902, quo celebratio iu privatis cellulis absolute prohibetur, 13. aug. 1902, quo celebratio sub conditione in textu indicata permittitur.

[3]) S. C. R. 30. iun. 1908.

1. *Feria quinta in coena Domini* celebrare licet *unum sacrum sollemne,* sed solum in ecclesiis, in quibus asservatur ss. sacramentum et functiones tridui sacri vel iuxta formam missalis romani vel saltem iuxta formam parvi ritualis (Memoriale rituum) *Benedicti XIII.* peraguntur[1]).

Quia multae ecclesiae parochiales praesertim rurales ministris et paramentis carent, et ideo functiones tridui sacri iuxta formam missalis romani peragere non possunt, *Benedictus XIII.* pro parochiis pauperibus et praesertim ruralibus edendum curavit parvum rituale, quo functiones simpliciores describerentur. Hoc rituale in ecclesiis parochialibus adhiberi *debet*[2]), in aliis autem ecclesiis non parochialibus e. g. regularium vel monialium adhiberi *non licet* absque apostolico indulto, sed in his ecclesiis functiones iuxta formam missalis peragendae aut prorsus omittendae sunt.

2. *Missae privatae* exceptis paucis casibus hac die *prohibentur.* *a.* In ecclesiis parochialibus, in quibus functiones tridui sacri haberi nequeunt, permittere potest episcopus, ut parochus missam privatam pro commoditate populi celebret[3]). Ex consuetudine autem veniae petitio, quae quotannis renovanda esset, ommittitur.

Ubi functiones sollemnes tridui sacri non habentur, *superiores religiosi* missam privatam celebrare possunt ad s. communionem suis praebendam, sed in sacello domestico et hoc deficiente in ecclesia ianuis clausis[4]).

b. In ecclesiis parochialibus, in quibus functiones tridui sacri fiunt, permittere potest episcopus, ut ante missam sollemnem celebretur missa privata pro infirmis, qui sollemni interesse non possunt. Sed veniae petitio ex consuetudine omittitur.

c. Ut in ecclesiis non parochialibus, in quibus functiones sollemnes fiunt, missa privata ante sollemnem celebrari possit, episcopi licentia petenda est; episcopus autem indultum eam concedendi impetrare debet. Sed consue-

---

[1]) S. C. R. 14. iun. 1659 n. 1120.
[2]) S. C. R. 28. iul. 1821 n. 2616.
[3]) S. C. R. 28. iul. 1821 n. 2616.
[4]) S. C. R. 31. aug. 1839 n. 2799.

tudo habet, ut sine veniae petitione ex praesumpta licentia pro fidelium commoditate passim celebretur missa in omnibus ecclessiis etiam seminariorum, hospitalium, carcerum, regularium tum virorum tum mulierum, dummodo hae ecclesiae proprio sacerdote curato et iure asservandi ss. sacramentum gaudeant[1]).

Episcopo, qui in ecclesia cathedrali celebrare nequit, licet missam dicere in oratorio suo domestico, et, si in itinere constitutus est, in domo, ubi habitat[2]).

3. Si in feriam quintam in coena Domini *incidat festum de praecepto* (s. Ioseph vel annuntiationis b. v. Mariae, ubi de praecepto sunt), episcopus curare debet, ut tot missae in ecclesiis dicantur, quot sufficiant, ut populus praecepto audiendi sacrum satisfacere possit[3]). Ubi istis diebus nulla amplius exsistit obligatio audiendi sacrum, nulla pariter est ratio plura sacra celebrandi[4]). Ceterum standum est in hac re legitimae consuetudini regionis.

201. 1. *Feria sexta* maioris hebdomadae dicitur dies *aliturgicus*, quo, excepto casu necessitatis, quaevis missa sive sollemnis sive privata sub gravi prohibetur. Celebratur tantum *missa praesanctificatorum*, quae vera missa non est, sed solum communio sacerdotis.

a. Missa praesanctificatorum celebrari *debet* in omnibus ecclesiis, in quibus feria quinta in coena Domini habita est functio consueta[5]).

b. In casu necessitatis, quo nempe infirmus alias sine viatico moreretur, licet hac quoque die missam celebrare. Dicenda autem est missa, quae tempori magis conveniat, scilicet *de passione Domini*.

2. Si in hanc feriam sextam vel in sabbatum sanctum *incidat festum annuntiationis b. v. Mariae*, officium et missa festi (cum obligatione audiendi missam et abstinendi

---

[1]) Cf. tamen *Schneider-Lehmkuhl*, Manuale sacerdot.[15] p. 500. 516.
[2]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 1057.
[3]) S. C. R. 13. sept. 1692 n. 1883; 12. sept. 1716 n. 2240
[4]) S. C. R. 26. sept. 1868 n. 3179.
[5]) S. C. R. 9. dec. 1899 n. 4049.

ab operibus servilibus ubi de praecepto sunt) transferuntur in feriam secundam post dominicam in albis[1]).

Si in feriam sextam in parasceve vel in sabbatum sanctum *incidat aliud festum de praecepto* e. g. patroni, officium cum missa transfertur in alium diem non impeditum, obligatio abstinendi ab operibus servilibus ipsa feria sexta observatur, obligatio autem audiendi missam die parasceves cessat[2]). cum missae privatae prohibitae sint et auditio missae praesanctificatorum ad satisfaciendum praecepto non sufficiat; sabbato sancto autem utraque obligatio festi observari debet[3]), sed qui missae sollemni interesse nequeunt, a praecepto audiendi sacrum excusantur, cum celebratio missae privatae etiam hac die prohibita sit.

202. *Sabbato sancto* celebrare licet sacrum sollemne in ecclesiis, in quibus functiones tridui sacri habentur; missae vero privatae in quibuscunque ecclesiis vel oratoriis omnino prohibentur non obstante quacunque consuetudine in contrarium[4]).

a In eccleslis parochialibus, in quibns fons baptismalis benedicendus est, functiones hac die fieri debent; in aliis autem ecclesiis omitti possunt, etsi feria quinta et sexta functiones secundum rituale parvum habitae sint[5]).

b. Quamvis etiam sabbatum sanctum *dies aliturgicus* sit; missa enim sollemnis hodie per anticipationem mane celebratur; indulto tamen apostolico conceditur facultas, etsi rarissime, celebrandi missam privatam, quae facultas pro feria sexta in parasceve nunquam conceditur. In missa, quae hac die permittitur, omissis prophetiis et reliquis incipiendum est more solito a *confessione*, quam, cum non habeatur *Introitus*, sequitur *Kyrie*[6]).

c. Licet autem hoc die sacram communionem distribuere fidelibus, etiam ad satisfaciendum praecepto paschali, at solum inter missarum sollemnia vel statim post ea expleta. Cn. 867, 3.

---

[1]) S. C. R. 11. febr. 1690 n. 1822.
[2]) S. C. R. 20. mart. 1706 n. 2164.
[3]) S. C. R. 2. sept. 1903.
[4]) S. C. R. 11. febr. 1690 n. 1822.
[5]) S. C. R. 9. dec. 1899 n. 4049.
[6]) 22. iul. 1848 n. 2970.

203. Qua diei hora celebrare liceat. 1. Dispositionem Missalis romani, missam nempe celebrari posse quacunque hora ab aurora ad meridiem, novus *Codex* ita ampliavit, ut diceret, ne missae initium fiat citius quam una hora ante auroram nec serius quam una hora post meridiem[1]).

a. Nomine *aurorae* intelligitur initium crepusculi matutini, quod cum diversum sit pro diversis locis et pro eodem loco diversum sit diversis anni temporibus, pro singulis regionibus exarari et directorio officii divini apponi solet tabella, quae horam aurorae indicet.

b. Tempus aurorae et meridiei moraliter sumendum est, ita ut praecepto ecclesiae satisfaciat is, qui missam ante auroram non absolvat et post meridiem non incipiat.

c. In regionibus, in quibus aurora per integram noctem perdurat, per se nihil obstat, quominus missa mox post mediam noctem inchoetur; attamen ne id sine iusta causa fiat, decentia prohibet. Ubi aurora valde tarda est, servari potest consuetudo celebrandi citius quam per regulam generalem licet[2]). Ubi aurora non apparet, ut fit certo anni tempore in regionibus polaribus, licet inchoare missam ab exordio diei civilis et usualis, quo homines diluculo surgere solent ad opera diurna[3]).

2. *In nativitate Domini* licet unam missam sollemnem celebrare *post mediam noctem;* nullam vero privatam sine apostolico indulto[4]).

a. Iure ergo communi non licet media nocte seu ante auroram ei, qui missam sollemnem dixerat, alias duas missas[5]), neque aliis sacerdotibus vel unicam missam privatam celebrare nec sacram communionem dare fidelibus. Potest tamen in omnibus religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate ss. sacramentum habitualiter ibi asservandi unus sacerdos tres missas vel, servatis servendis, unam tantum, quae adstantibus ad praecepti satisfactionem valeat, celebrare et s. communionem petentibus ministrare[6]). Pro ecclesiis regularium privilegium non valet et pro oratoriis publicis solum ianuis clausis[7]).

---

[1]) Rubricae gen. missas. XV. 1. Cn. 821, 1.
[2]) *Génicot,* Theol. mor. inst. II. 236.
[3]) *Congreg. special.* 18. sept. 1634.
[4]) Rubricae gen. miss. XV. 4. Cn. 821, 2.
[5]) S. C. R. 20. apr. 1641 n. 752: 7. dec. 1641 n. 781.
[6]) Cn. 821, 3.
[7]) *S. Officium* 26. nov. 1908.

b. Missam, quae in nocte nativitas Domini dicitur, non licet incipere ante mediam noctem, ita ut consecratio post mediam noctem fiat. Eiusmodi usum s. congregatio reprobavit atque abolendum praecepit[1]), et cn 827, 2 dicit: media nocte *inchoari* potest Missa.

Nota. Quandoque conceditur privilegium celebrandi duabus horis ante auroram vel post meridiem. Eiusmodi privilegia nonnullis ordinibus religiosis concessa non videntur esse abrogata.

204. Gravitas huius praecepti. 1. Praeceptum de hora celebrationis *sub gravi* obligat in materia gravi. Qui ergo sine iusta causa notabiliter ante vel post tempus ab ecclesia statutum i. e. integris duabus horis ante auroram vel post meridiem celebrat, grave peccatum committit[2]), nisi particularia adiuncta excusent.

a. Gravius est praeceptum non celebrandi ante auroram quam praeceptum non celebrandi post meridiem; hinc per se gravior causa requiritur ad tempus statutum antevertendum quam ad illud postponendum, et facilius conceditur licentia celebrandi post meridiem quam ante auroram. Reipsa in nonnullis civitatibus diebus dominicis et festis missa iam celebrabatur integra hora post meridiem.

b. Communiter auctores *postetatem in hac lege* in casu particulari *dispensandi* episcopis quoque concedunt[3]). Eadem potestas competit etiam superioribus regularibus, qui excluso speciali privilegio ante auroram et post meridiem celebrandi cum subditis suis in particulari casu in hac lege dispensare possunt[4]).

2. Ex iusta causa citra dispensationem licitum est ante vel post statutum tempus missam celebrare: lex enim ecclesiastica cum gravi incommodo non obligat. Porro in sequentibus adiunctis causa censetur esse iusta:

a. Si conficiendum sit viaticum; in hoc casu celebrari debet etiam statim post mediam noctem.

---

[1]) Rubr. gen. XV. n. 4. S. C. R. 11. mai 1878 n. 4448. 2. iun. 1883 n. 3576.

[2]) *S. Alphonsus* n. 346.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 20. n. 27.; *s. Alphonsus* n. 344.; *Lehmkuhl* Theol. mor. II. n. 117 (n. 298); *Ballerini-Palmieri* IV. n. 1051.

[4]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 225.: *s. Alphonsus* n. 344.

b. Ut opificibus et famulis praebeatur occasio audiendi missam; ex hac causa licet etiam diebus ferialibus integra hora tempus antevertere.

c. Si sacrum sollemne ultra meridiem protrahitur et mos est postea celebrandi missam privatam, ne magna pars populi missa careat.

d. Si sacerdos die praecepto ex itinere impeditur, quominus debita hora celebret: potest in hoc casu plus quam una hora missam anticipare vel postponere.

e. In funere magni principis, occasione contionis, publicae supplicationis, collationis ordinum, matrimonii etc.; licet in his adiunctis missam serius quam integra hora post meridiem celebrare.

Articulus secundus.

Quoties eodem die celebrare liceat.

205. Iure divino quidem nihil obstat, quominus missa pluries eodem die celebretur; lege autem ecclesiastica *semel tantum in die* celebrare licet[1]) excepto die nativitatis Domini, die commemorationis omnium fidelium defunctorum et potestate facta a s. sede aut ab ordinario loci.

1. Die nativitatis Domini omnes sacerdotes tres missas (in missali pro hac die assignatas) celebrare possunt, sed non tenentur, ita ut vel tres vel duas vel unam tantum celebrare possint[2]).

a. Si sacerdos unam tantum vel duas missas celebrat, eam eligere debet, quae circiter horae celebrationis respondeat, i. e. primam, si media nocte, secundam, si in aurora, tertiam, si post auroram celebret.

b. Sacerdotibus *coecutientibus*, qui ex privilegio quotidie missam de Beata dicunt, die nativitatis Domini ex concessione *Benedicti XV.* ter eandem missam votivam celebrare licet[3]).

c. Sacerdos, qui die nativitatis vi indulti *in oratorio privato* ratione propriae vel proximi infirmitatis celebrare potest, licite *tres missas* dicit[4]).

---

[1]) Cn. 806.
[2]) S. C. R. 18. iun. 1875 n. 3355.
[3]) S. R. C. 26. ian. 1920.
[4]) S. C. C. 13. ian. 1725.

d. Olim dubium erat, an sacerdos, qui sacrum ab alio inceptum sed non absolutum complere debet, adhuc celebrare possit; hocce dubium autem a s. sede *negative* definitum est[1]).

2. Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnibus sacerdotibus licet tres missas celebrare, quarum unam cuicumque maluerint applicare et pro ea stipendium accipere possunt; alteram sine stipendio pro omnibus fidelibus defunctis; tertiam item sine stipendio ad mentem s. Pontificis applicare debent[2]).

a. In *Hispania, Lusitania,* in insulis *Philippinis* et in *America lat.* ex concessione *Benedicti XIV.* omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares die commemorationis omnium fidelium defunctorum tres missas pro defunctis celebrare poterant;[3]) hocce privilegium nunc ad universam ecclesiam extensum est.

b. Hoc ipso die omnia altaria *privilegiata* sunt.

c. Missae autem hae dicendae sunt: *Prima,* quae in Missali habetur die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; *altera,* quae in Missali legitur in Anniversario defunctorum cum sequentia et orationibus propriis; *tertia,* quae in Missali est pro Missis quotidianis cum sequentia et orationibus propriis[4]).

d. Qui unam tantum celebrat, eam legere debet, quae in Missali habetur in Commemoratione omnium fidelium defunctorum; eandem adhibere debet, qui missam cum cantu celebraturus est; hic secundam et tertiam anticipare potest.

e. Pro missa, pro qua stipendium accipi potest, non licet maius accipere, nisi ultro offeratur, nec licet ratione incommodi externi quidquam accipere pro aliis duabus missis, nec licet duas missas stipendio accepto pro arbitrio applicare et alio die duas ad intentionem praescriptam sine stipendio offerre[5]).

f. Sacerdos, qui unam tantum celebrat, eam (accepto stipendio) ad propriam intentionem applicare potest; qui duas celebrat, alterutram pro omnibus fidelibus defunctis applicare debet[6]).

---

[1]) S. C. R. 16. dec. 1823 n. 2630.

[2]) Constitutio *Incruentum Altaris* Benedicti XV. 10. aug. 1915. Cn 806, 1.

[3]) Constit. *Quod expensis* 27. aug. 1748.

[4]) S. C. R. 11. aug. 1915.

[5]) S. C. C. 15. oct. 1915.

[6]) S. C. R. 28. febr. 1917.

3. Ex concessione s. sedis vel ordinarii licet bis in die celebrare seu binare, at nunquam licet absque speciali privilegio apostolico eodem die *tres missas* celebrare[1]).

Hoc privilegium rarissime et solum propter extraordinarius causas conceditur, prout ad quinquennium dioecesi Mexicanae[2]) et ob magnam penuriam sacerdotum etiam dioecesi de Tulancingo in provincia Mexicana[3]) concessum est. Tempore magni belli capellanis castrensibus concessum est.

Nota. Leges ecclesiae de iteratione missae diversis temporibus diversae erant. Primis saeculis vix vestigium missae eodem die iteratae occurrit; media aetate vero, praesertim post saeculum tertium decimum, praxis iterandi missam invaluit. Duplex potissimum incommodum [illegible] iterata celebratione ortum est, species nempe et suspicio avaritiae propter duplicatum stipendium ex celebratione perceptum et periculum, ne sacerdotes cetera munera pastoralia negligerent. Quare factum est, ut abusus iteratae celebrationis prohiberi debuerit. In concilio tridentino et in novo Codice iuris canonici latae sunt leges nunc vigentes, iuxta quas excepto casu necessitatis *binare* non licet.

206. De facultate binandi. 1. Facultatem binandi ordinarius concedere non potest, nisi in casu necessitatis, ubi nempe propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars missam audire non posset[4]). Haec necessitas duplici modo accidere potest:

a. Si unus sacerdos duas parochias administrat, quae tam longe ab invicem distant, ut utriusque parochiae populus eidem sacro interesse non possit, neque adsit alius sacerdos, qui in altero loco celebret.

b. Si populus eiusdem parochiae universae sive propter angustiam loci sive ob alias causas ad eandem missam simul convenire non possit, nec adsit alius sacerdos.

α. Hinc si in parochia, cuius parochus binandi facultatem habet, casu moratur sacerdos, qui celebraturus sit alteram missam, cessat facultas binandi, cum cesset necessitas, quae huius facultatis est unica ratio.

β. Antehac quidem etiam propter *utilitatem spiritualem* alia missa celebrari solebat, e. g. ut populus diebus festis suppressis sacrum audire

[1]) Cn 806, 1.
[2]) S. C. C. 29. mart. 1896.
[3]) S. C. C. 9. sept. 1899.
[4]) Cn 806. 2.

posset, ut in adventu piae peregrinationis, episcopi, principis, in celebratione nuptiarum vel exsequiarum adesset opportunitas audiendi sacrum, ut nobiles diebus festis missam in oratorio privato audire possent. Ex iure autem nunc vigente solum in casu *necessitatis* binatio permittitur.

γ. Si conficiendum est viaticum morituro deferendum, binare potest et debet sacerdos, qui adhuc est ieiunus i. e. qui post consecrationem et ante sumptam purificationem moneatur: immo probabiliter id potest etiam sacerdos, qui non sit ieiunus (n. 155).

2. Iudicium de exsistentia necessitatis prudentiae ordinarii committitur[1]), quare facultas binandi ab ipso petenda est, a quo eiusdem concessio dependet.

a. In casu tamen improviso urgentis necessitatis, in quo recursus ad episcopum impossibilis est, ex praesumpta licentia altera missa celebrari potest, modo celebrans sit ieiunus[2]). Si e. g. in loco, ubi duo sacerdotes curam animarum agunt, die sabbati unus eorum morbo corripitur, adeo ut sequenti die celebrare non possit, alter die dominico binare potest, si alius sacerdos haberi nequeat et alias magna populi pars (60 circiter personae) sacro carerent. Post factum tamen res ad ordinarium ad recognitionem causae referenda est.

b. Cum facultas haec binandi propter necessitatem populi concedatur, non personalis sed realis est, proindeque si sacerdos, cui concessa est, celebrare nequeat, alius sacerdos, qui eius vices suppleat, vocari potest.

3. Extra casum necessitatis ad obtinendam facultatem binandi recurrendum est ad s. Sedem, quae in casibus extraordinariis eam concedit.

Eiusmodi casus extraordinarius censetur, si populus vel magna eius pars die, non quidem de praecepto, sed magnae devotionis missam audire non posset, vel si in regionibus missionum fideles raro opportunitatem habent missae audiendae.

207. De stipendio pro altera missa accipiendo. Ut a celebratione missarum omnis occasio turpis quaestus excluderetur, ecclesia semper prohibuit, *ne binantes* absque speciali privilegio *pro secunda missa stipendium acciperent* aut per eam *obligationi iustitiae* sive propriae sive alterius satisfacerent[3]). Nihil tamen impedit, quo-

[1]) Cn 806, 2.

[2]) Cf. *Gury*, Casus conscientiae II. n. 264.

[3]) S. C. C. 19. dec. 1835; 25. sept. 1858; 21. mart. 1863. Cn. 824, 2.

minus per eam obligationi *caritatis* vel *gratitudinis* satisfaciant[1]). Licentia pro secunda missa accipiendi stipendium quandoque conceditur ratione paupertatis celebrantium vel in favorem piae causae. Compensatio autem, quae celebranti intuitu extraordinarii laboris vel incommodi, ut si missa in loco dissito celebranda sit, tribuitur, non habet rationem stipendii ab ecclesia prohibiti[2]).

a. Applicatio fructuum secundae missae arbitrio celebrantis permittitur, nisi pro populo applicare debeat. Quodsi contra gravem prohibitionem ecclesiae pro missa binationis stipendium accepit, ad eius restitutionem tenetur, cum desit titulus illud retinendi.

b. Prohibitio *accipiendi stipendium pro secunda missa* non ita accipienda est, ut pro ipsa secunda missa stipendium accipi nequeat, sed ita, ut alterum [redacted] secundum stipendium accipi non possit, nihil autem refert, utrum stipendium licitum pro prima an pro secunda accipiatur.

c. Ergo parochi binantes, qui unum sacrum pro populo applicare debent, pro neutra missa stipendium accipere possunt; possunt tamen per secundam missam satisfacere oneri diebus dominicis et festis pro populo applicandi, si bis pro populo applicare debent.

d. Sacerdotes, qui ex statutis sodalitatis, cui nomen dederunt, pro defuncto sodali missam celebrare tenentur, huic obligationi satisfacere possunt applicantes secundam missam in die binationis[3]), quia ad hanc applicationem non tenentur ex iustitia.

e. A prohibitione percipiendi eodem die duplex stipendium ex cipiuntur *tres missae*, quas celebrare licet in sollemnitate nativitatis Domini: pro his enim tria stipendia accipi possunt, ut pluries declaravit S. C. C. Eodem die *parochus* unum sacrum pro populo offerre tenetur, pro reliquis stipendium accipere potest.

Nota. De *ritu servando in iteratione missae* conferatur appendix ritualis romani, ubi habetur instructio S. C. R. 12. sept. 1857 edita pro sacerdote apostolicam facultatem habente bis missam eodem die celebrandi.

---

[1]) S. C. C. pluries, nuper autem *in Trevir.* 6. aug. 1881.
[2]) S. C. C. 23. maii 1861.
[3]) S. C. C. 5. mart. 1887.

Quaestio septima.

De ritu celebrationis.

Huius loci non est ritus docere, iuxta quos missae sacrificium ex praescripto ecclesiae offerendum sit, sed potius de ipsis ritibus seu de praeceptis liturgicis, quae maioris momenti sunt, quantum fieri potest, indicari debet, utrum sub gravi an sub levi obligent. Ritus in celebratione missae servandos exhibent rubricae missalis.

208. De missali eiusque rubricis. 1. In ecclesia latina missa celebrari debet *lingua latina iuxta rubricas missalis romani*, cn. 819.

Summus pontifex *Pius V.* in bulla, quae missali iussu eius edito praefigitur, duo statuit: imprimis aliorum missalium usum, nisi ex speciali privilegio concedantur, prohibet; deinde missam iuxta rubricas ibi contentas celebrandam praecipit[1]). Recenti tempore S. C. C. *editionem typicam* missalis romani publicandam curavit, cui omnes futurae eiusdem editiones ad amussim conformes esse debent[2]). Codex haec habet: Reprobata quavis contraria consuetudine sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, cn 818. Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus, cn 819.

2. Rubricae missalis aliae sunt *praeceptivae*, aliae *directivae* (n. 20). Rubricae, quae indicant ritus in ipsa celebratione servandos, praeceptivae sunt sub gravi vel sub levi iuxta earum materiam; rubricae vero, quae indicant ritus extra i. e. ante vel post missam servandos, directivae sunt.

a. Sententia tum inter antiquos tum inter recentes theologos communissima, quae rubricas missalis aliorumque librorum liturgicorum in *praeceptivas et directivas* distinguit, omnino tenenda est, neque audiendi sunt nonnulli rubricistae recentes, qui omnes omnino rubricas volunt esse praeceptivas[3]).

---

[1]) Constit. *Quo primum* 19. iul. 1570.

[2]) Constit. *Officiorum ac munerum* 25. ian. 1897 n. 18.

[3]) Cf. *Civiltà cattolica* 1891 IV. p. 34 ss.

b. Etsi rubricae directivae per se non obligent in conscientia, in iis tamen violandis facile committi potest peccatum veniale, ubi nempe sine rationabili motivo non observentur.

208. De rituum omissione. Ut determinari possit, quae omissio in celebratione missae gravis, quae vero levis sit, distinguendum est inter missae *partes ordinarias,* quae semper peragendae sunt ut confessio, epistola, orationes propriae, offertorium, fractio hostiae, istius cum sanguine mixtio etc., *et partes extraordinarias,* quae non in qualibet missa dicuntur ut gloria, credo, commemorationes, sequentia, ea, quae in praefatione et canone quorundam festorum propria sunt[1]).

1. Omissio *partis ordinariae* facile evadere potest grave peccatum, praesertim si fiat in canone missae, qui arctius cum missae sacrificio connectitur; sic grave est omittere quamcunque orationem canonis vel eius verba ita mutare, ut sensus varietur.

Conantur auctores accuratius determinare, quae ommissiones praesertim in canone graves censeri debeant; in iis autem determinandis non consentiunt; sic ad grave peccatum committendum alii requirunt, ut duo, alii ut decem nomina sanctorum in canone omittantur[2]). „Nec multum", ut bene advertit *Génicot,* (II. n. 241.), „ad praxim faciunt illae minutiores omissionis gravis vel levis determinationes: siquidem nemo solet directa voluntate praetermittere missae partem; si qui vero quaedam omittunt ob negligentiam culpabilem, eorum reatus diiudicandus est a causa generali omissionum, quam culpabiliter ponunt, non autem ex omissionibus, quae reapse contigerunt."

2. Omissio *partis extraordinariae* veniale non excedit, quia hae partes minus arcte cum missae sacrificio connexae sunt; sic veniale est omittere *credo* vel *sequentiam* vel *prophetias* in feriis quatuor temporum, vel etiam *passionem* in hebdomada sacra: respectu enim Missae haec dicenda videtur pars non notabilis, quae proinde exsistente gravi causa (ut si alias populus die festo missa careret) et excluso scandalo absque peccato omitti posset. Si tamen

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 404.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 405.

complures simul partes omitterentur, gravis materia attingi posset.

210. De rituum additione. 1. In celebratione missae ritibus ex praescripto missalis peragendis aliquid addere cum animo introducendi novum ritum vel sine hoc animo, sed in notabili quantitate, praesertim si addantur preces, quae in missali non contineantur, peccatum grave est.

Concilium tridentinum prohibet, ne sacerdotes „ritus alios aut alias ceremonias et preces in missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab ecclesia probatae fuerint[1]): et *Pius V.* prohibet, ne sacerdotes in celebratione missae alias ceremonias vel preces, quam quae in hoc missali contineantur, addere vel recitare praesumant[2]). Quae prohibitiones imprimis de additione, quae fiat cum animo introducendi novum ritum, intelligenda sunt.

2. Non licet ex privata devotione vel ex aliqua privata necessitate ritibus aut orationibus missalis collectam vel eiusmodi addere.

Caveat sacerdos celebrans, habet cn 818, ne alias ceremonias aut preces proprio arbitrio adiungat. Ex his probabilitatem amittit sententia illorum auctorum (S. Alphonsi, Ballerini, D'Annibale, Génicot), qui putabant ex privata devotione vel ex aliqua privata necessitate orationem addere ex iis, quae in missali sunt, peccatum non esse.

3. Orationem iaculatoriam licet brevem sive ore sive sola mente inter ipsas preces liturgicas interponere certe improbandum est; at eiusmodi orationes inter singulas preces addere, dum sacerdos e. g. elevationem specierum facit, incensat, genuflectit etc., peccatum non est, etsi ore fiat, cum id proprie non sit contra rubricas.

211. De nonnullis requisitis ad celebrandum. 1. Non licet missam celebrare nisi *in altari* sive fixo sive portatili saltem mobili i. e. saltem in lapide consecrato[3]).

Privilegium celebrandi sine lapide consecrato ne missionariis quidem concedi solet[4]). Privilegium autem, quod episcopis iure communi

[1]) *Concilium trid.* sess. 22. decr. *Quanta cura* De observ. et evitand. in celebr. missae.

[2]) Constit. *Quo primum* 19. iul. 1570.

[3]) Cn. 822.

[4]) *S. C. prop. fid.* 2. sept. 1870.

convenit, ex iusta causa celebrandi in quovis loco decenti, modo adsit lapis consecratus, aliis sacerdotibus per speciale indultum s. sedis conceditur.

2. In missae celebratione requiritur *missale,* ita ut sine missali celebrare per se grave peccatum sit propter errandi periculum; at non praecipitur, ut missa *legatur,* ne canon quidem, si exclusum sit morale periculum errandi.

Non peccat, qui una alterave vice etiam solum ex devotione sine missali celebret, ubi hoc facile haberi non possit, modo certitudine morali sciat, se non erraturum esse. Ad cavendam populi admirationem in hoc casu alius liber sacer in altari ponendus esset.

3. *Crux cum imagine crucifixi* inter candelabra prominens, ut sacerdos et populus facile eam intueri possint, in altari adesse debet[1]): crux enim cum imagine crucifixi sacerdoti et fidelibus in memoriam revocat sacrificium crucis, quod in altari renovatur.

Est abusus ab ordinario removendus, sicubi collocetur parva crux sive super tabernaculum sive in ostiolo tabernaculi loco crucis collocandae inter candelabra[2]).

Si tamen in altari adsit magna imago Christi crucifixi sive sculpta sive picta, necesse non est aliam crucem apponere[3]).

4. Toto tempore missae in altarì ardere debent *duae candelae ex cera apum confectae*[4]), nec licet ratione dignitatis celebrantis, qui sit episcopo inferior, plures accendere quam duas[5]).

a. Sine ullo lumine celebrare grave peccatum est, nisi fiat in necessitate viatici pro moribundo conficiendi.

Cum uno cereo celebrare veniale est; quare ob causam rationabilem cum uno tantum cereo celebrare licet. Si lumen ante consecrationem deficiat et aliud haberi non possit, a sacro cessandum est; si post consecrationem inceptam deficiat, sacrum perficiendum est; quodsi intra horae quadrantem aliud lumen haberi possit, expectandum est.

Si cerei inter celebrandum extinguantur, iterum accendendi sunt, quin tamen interim sacrum interrumpatur[6]).

---

[1]) Rubricae general. missal. n. XX. Caeremoniale epp. l. 1. c. 12.
[2]) S. C. R. 18. sept. 1822 n. 2621.
[3]) S. C. R. 16. iun. 1663 n. 1270.
[4]) Rubricae gen. miss. n. 44.
[5]) S. C. R. 7. sept. 1850 n. 2984.
[6]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 394. *D' Annibale* III. 400.

b. Candelae sub gravi esse debent *ex cera apum* et quidem sine admixtione alienae materiae sive vegetabilis sive animalis. Cum tamen hodie frequenter etiam cerae, ex qua candelae conflantur, admisceri soleant heterogeneae substantiae, et candelae adulteratae tamquam genuinae vendantur, s. sedes, attenta magna difficultate habendi ceram apum genuinam, haec statuit: Episcopi pro viribus curent, ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in missis accendendae sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra altaribus ponendae sunt, materia in maiore vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet[1]).

Sunt, qui permittant, ut deficiente cera exsistente necessitate[2]), immo una alterave vice ex sola devotione celebrari possit cum lumine ex oleo[3]). Facilius permitti potest, ut id fiat cum candelis ex stearina vel alia materia confectis, quae hodie vix distingui possunt a candelis ex apum cera confectis. Licet enim ratio, ob quam ecclesia candelas ex cera confectas praescribat, potissimum symbolica sit, accedit tamen etiam ratio decentiae, ob quam auctores mortale dicunt, celebrare cum candelis sebaceis (Unschlitt)[4]).

c. Ratione sollemnitatis, si nimirum missa non sit stricte privata, sed conventualis vel parochialis vel sollemnis vel locum tenens sollemnis, licet plures candelas accendere, quae pariter ex cera esse debent, nec permittitur, ut ad cultum seu super altare praeter candelas ex cera adhibeantur candelae ex stearina[5]) vel illuminatio ex *gaz*[6]) vel lux electrica[7]).

5. In celebratione sub gravi requiritur *minister masculus* excepto casu necessitatis; quare utrumque per se

---

[1]) S. C. R. 14. dec. 1904 n. 4147.

[2]) *Suarez* disp. 81. sec. 6. n. 5.

[3]) *Gobat*, Exper. theol. tract. 3 n. 291.

[4]) *S. Alphonsus* n. 394; in missionibus quandoque conceditur licentia adhibendi candelas ex *adipe ceti* confectas.

[5]) S. C. R. 4. sept. 1815 n. 3376.

[6]) S. C. R. 16. maii 1901.

[7]) S. C. R. 24. iun. 1914. Quoad lucem electricam haec decreta sunt: Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altaribus, sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram ss. Sacramento vel Reliquiis sanctorum praescriptae sunt. Nec licet tempore expositionis interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiori collocatis illuminare. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas s. liturgiae postulant.

grave est, et celebrare sine ministro et admittere mulierem ad altare ministrantem, etsi sit sanctimonialis.

a. Casus necessitatis sunt: α. ut confici possit viaticum; β. ut populus praecepto satisfaciat audiendi sacrum; γ. ut ipse sacerdos diebus praeceptis satisfacere possit praecepto audiendi sacrum; δ. si minister (facta iam oblatione) abscedat, nec revertatur[1]).

b. Sacerdotes autem, quibus conceditur specialis facultas celebrandi sine ministro (ut fit in missionibus), hac facultate licite utuntur, si alias celebrare non possint.

c. Ut celebrari possit cum ministro, qui nesciat respondere, minor necessitas celebrândi requiritur.

d. Si minister male pronuntiat, ipse sacerdos, si commode fieri potest, suppleat, si id fieri non potest, sine scrupulo ab omni correctione abstineat, ne se vel alios turbet.

6. Exsistente iusta causa permitti potest, ut *mulier* sacerdoti, qui prius omnia ad missam necessaria disposuit, a longe respondeat, quin tamen ad altare accedat.

Olim S. C. R. solum urgente necessitate eiusmodi mulieris ministerium permisit[2]); recenti autem tempore non amplius exigit necessitatem celebrandi, ut mulier sacerdoti respondere possit, quin tamen accuratius determinet causam, quae ad id requiratur[3]). Cum nunc statuatur[4]), „deficiente viro iusta de causa mulierem ministrare posse, ea tamen lege, ut ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat", dicendum videtur sacerdotem respondente muliere, praesertim si sit monialis et missa dicatur in sacello monialium, celebrare posse, si alias ob defectum ministri celebrationem omittere deberet, etsi non adsit maior celebrandi necessitas.

212. De missae interruptione. Missa *sine interruptione* tractu continuo celebrari debet. Duplex distinguitur interruptio: *essentialis,* quando missae sacrificium inceptum manet incompletum, ut si inter consecrationem (unius speciei) et communionem interrumpatur, nec postea continuari possit; et *accidentalis,* quando missae partes interposita actione extranea una ab altera separantur.

---

[1]) S. Alphonsus n. 391.
[2]) S. C. R. 27. aug. 1836 n. 2745.
[3]) Cf. *Gasparri* I. n. 649.
[4]) Cn. 813, 2.

1. *Missam essentialiter interrumpere* vel potius *abrumpere* nunquam licet, nisi immineat mortis periculum vel ss. eucharistiae profanatio.

Si missa abrumpenda sit post consecrationem unius speciei, potest sacerdos, omissa calicis consecratione, sumere hostiam iam consecratam vel eam cum calice alio loco consecrando secum auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit, vel si non possit, secum auferat loco tuto postea sumendam.

2. *Missam accidentaliter interrumpere* ex iusta causa licet, et quidem:

a. Post evangelium licet eam interrumpere ad contionem habendam, ad recitandas preces pro defunctis, ad excipiendam processionem, ad faciendam proclamationem bannorum etc.

b. Ante offertorium licet eam interrumpere in adventu principis, peregrinorum, processionis, si advenientes alias die festo missam audire non possunt. In hoc casu sacerdos missam denuo incipere potest, ut fideles integram missam audiant.

c. Ante canonem eam abrumpere licet, si ipse sacerdos recordetur alicuius impedimenti, e. g. se non esse ieiunum, se esse irregularem etc. vel si nominatim excommunicatus intersit, qui expelli nequeat.

d. Incepto canone et a fortiori peracta consecratione missam solum ex gravissima causa interrumpere licet, ut si moribundus baptizari vel absolvi debeat. Alia autem sacramenta inter consecrationem et communionem ministrare non licet, quia non sunt tantae necessitatis.

α. Missa licite interrumpitur etiam ob necessitatem propriam sacerdotis celebrantis e. g. propter morbum brevi transiturum, ob necessitatem exonerationis, quae usque ad finem missae differri nequeat.

β. Sacerdos missam interrumpens curare debet, ut sacramentum interim custodiatur, proindeque illud in tabernaculum, si adsit, includat.

γ. Rediens sacerdos missam post consecrationem interruptam incipit, ubi desierat, et interruptam ante consecrationem, si mora interiecta minor sit una hora, pariter incipit, ubi desierat; quodsi mora interiecta una hora maior sit, incipit ab initio, et ita quidem ut facta iam oblatione novam materiam accipiat et antea oblatam sumpto sacro sanguine consumat.

e. Post communionem celebrantis immediate ante distributionem s. communionis licitum est de altari brevem exhortationem ad communicantes habere[1]).

f. Post communionem pariter licet missam interrumpere, ut *vota religiosa emitti vel renovari possint.*

In omnibus congregationibus religiosis utriusque sexus, in quibus vota intra missam emittuntur vel renovantur, ex praescripto ecclesiae servanda est norma per decretum generale s. rituum congregationis statuta[2]). Haec norma desumpta est ex constitutione Gregorii XIII. *Quanto fructuosius* (1. febr. 1583), qua constitutiones societatis Iesu approbantur.

g. Post communionem celebrantis seu intra missam non licet s. communionem distribuere fidelibus adeo distantibus, ut ipse altare e conspectu amittat[3]).

Prohibetur ergo praxis antea probata, secundum quam in nosocomiis, recitato ad altare *Confiteor* etc. sacerdos cum pyxide sine velo humerali s. communionem defert ad aegrotos exsistentes in cubiculis, ex quibus nequit videri altare.

213. De complendo sacrificio abrupto. Si sacerdos inter celebrandum ex morbo deficiat, haec servanda sunt:

1. Si deficiat post consecrationem primae speciei et ante sumptionem pretiosissimi sanguinis, alius sacerdos etiam non ieiunus, si non adsit ieiunus, sacrificium complere debet, quia praeceptum divinum, de procuranda integritate sacrificii praecepto ieiunii ecclesiastici gravius est. Etiam sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere debet.

Interiecta una hora inter sacrificii abruptionem eiusque continuationem probabiliter non exsistit amplius obligatio quaerendi sacerdotem, qui sacrificium compleat, sed quod superest, in alia missa sumi potest, quia probabiliter deest unio moralis inter duas missae partes. Tamen post plures adhuc horas supplere *licet*[4]).

2. Si idem sacerdos, qui inter celebrandum morbo correptus est, post aliquam interruptionem sacrum perficere

---

[1]) S. C. R. 16. apr. 1853 n. 3009; 23. mart. 1881 n. 3529.
[2]) S. C. R. 14. aug. 1894 n. 3836; S. C. R. 5. iun. 1896 n. 3912.
[3]) Cn. 868.
[4]) Cf. *s. Alphonsus* n. 355. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 549.

potest, non alius, etsi ieiunus, sed ipse, etsi non amplius ieiunus, id faciat: nam praeceptum divinum, ut idem sacrum perficiat, qui illud incepit, praevalet praecepto ieiunii ecclesiastici[1]).

3. Si deficiat ante consecrationem primae speciei vel post sumptionem pretiosissimi sanguinis, nihil ab alio sacerdote supplendum est, quia sacrificium proprie nondum inchoatum vel iam perfectum est.

214. De iis, quae clara voce vel secreto dicenda sunt[2]). 1. Qui ea, quae ex praescripto rubricae clara voce dicenda sunt, adeo submisse recitat, ut adstantes nihil intelligere possint, venialiter peccat, quia rubricam praeceptivam violat.

2. Pari modo qui ea, quae ex praescripto rubricae secreto dicenda sunt, aut nimis demisse recitat, ut etiam sublato quovis impedimento ipse se audire nequeat, aut nimis alte, ut etiam ab adstantibus audiatur, veniale peccatum committit, quia rubricam praeceptivam laedit.

3. Quia magnam canonis partem voce valde elata vel consecrationis verba adeo demisse pronuntiat, ut ipse [redacted] audire non possit, graviter peccat. Ratio *primi* est, quia notabiliter laedit rubricam praeceptivam; ratio *secundi* est quia consecrationem periculo nullitatis exponit.

Cum ab iis observandis, quae sub veniali tantum praecipiuntur, rationabilis causa penitus excuset, exsistente eiusmodi causa clara voce dici possunt, quae secreto, et submissa voce, quae per se clara dicenda essent[3]).

---

[2]) *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 552.

[1]) Cf. Rubricae generales missalis n. XVI.

[3]) Cf. *Gasparri* II. n. 848. *Génicot* Theol. mor. inst. II. n. 254.

Liber quintus.

De poenitentia[1]).

Caput primum.

De ipsa poenitentia.

Quaestio prima.

De natura poenitentiae.

Poenitentia duplici modo accipitur, ut *virtus* et ut *sacramentum* est. Virtus poenitentiae est pars sacramenti poenitentiae, scilicet actus poenitentis (dolor de peccatis), qui ad sacramentum valide suscipiendum necessarius est, atque ab hac parte sacramentum nomen sortitur.

---

[1]) *S. Thomas* III. q. 84—90. Supplementum q. 1—28. *S. Alphonsus* l. 6. n. 425—705. *Suarez*, De poenitentia disp. I—XXXVIII. *Lugo*, De poenitentia disp. I—XXVII. *Sporer-Bierbaum*, Theologia moralis sacramentalis Pars III. De poenitentia. *Coninck*, De sacramentis Tom. II. De poenitentia. *Stoz*, Tribunal poenitentiae. *Elbel-Bierbaum*, Theologia moralis Vol. III. pars 9. De sacramento poenitentiae. *Ballerini-Palmieri* Opus theologicum morale Vol. V. sect. 5. De sacram poenit. *Lehmkuhl*, Theol. moralis. II. tr. 5.

Articulus primus.

De virtute poenitentiae[1]).

215. Notio. 1. *Poenitentia in genere* significat dolorem de aliqua re a se prius commissa. *Poenitentia ut virtus* significat dolorem de peccato a se prius commisso. Distinguitur poenitentia generalis et specialis. *Poenitentiam generalem* elicit, qui de peccato ex motivo alicuius virtutis relationem ad Deum habentis dolet, et *poenitentiam specialem* elicit, qui de peccato dolet ex motivo particulari virtutis poenitentiae.

Dolor de peccato commisso aut ex peculiari motivo virtutis poenitentiae, aut ex motivo alius cuiusque virtutis procedere potest. Iam vero harum virtutum aliae relationem ad ipsum Deum habent, quia earum motivum est bonum Dei ut caritas, spes, religio, oboedientia, gratitudo; aliae relationem (saltem immediatam) ad Deum non habent, quia earum motivum est bonum naturae rationalis ut temperantia, fortitudo, veracitas, iustitia commutativa.

2. *Poenitentia* prout est *virtus specialis* definitur: dolor et detestatio peccati commissi, quatenus est iniuria Dei.

a. Virtus poenitentiae plene et complete accepta plures actus in se continet: α. *odium et detestationem* peccati, qua hoc, quantum fieri potest, non adesse seu non fecisse volumus; β. *dolorem et tristitiam* de peccato commisso; γ. *voluntatem delendi* in nobis peccatum et consequenter adhibendi medium ad id necessarium, scilicet confessionem, quae ad destruenda peccata ex voluntate Dei intelligitur necesseria; δ. *voluntas satisfaciendi Deo* per peccatum laeso: nam offensam et iniuriam alteri irrogatam consequitur obligatio satisfactionis ab offendente libere praestandae; ε. *propositum* peccata in posterum absolute vitandi.

b. Essentia virtutis poenitentiae formaliter *in detestatione et dolore* consistit. Vera poenitentia utrumque actum complectitur: peccatum enim commissum apprehenditur ut malum aliquo modo praesens, vel quatenus nondum plene quoad culpam et poenam deletum est, vel saltem quatenus verum est illud aliquando commissum esse. Iam vero cum primum peccator apprehendit peccatum commissum ut malum, in voluntate oritur actus odii (abominationis), displicentiae seu detestationis, et quia hoc malum ut praesens apprehenditur, in voluntate capaci

---

[1]) Cf. *Coninck*, De poenitentia disp. 1.

simul oritur etiam dolor et tristitia, sicut non potest diligi bonum, quod apprehenditur ut praesens, quin de eo gaudium oriatur.

c. Vera poenitentia *propositum* non peccandi *implicite* semper continet: per actum enim poenitentiae homo detestatur peccatum praeteritum: sed cum eadem malitia, ob quam detestatur praeteritum, insit etiam peccato futuro, virtualiter detestatur etiam peccatum futurum. Quodsi poenitentia ex motivo universali concipitur, quo homo detestatur omne peccatum grave, in ea propositum pariter universale continetur nullum in posterum peccatum committendi. Ideo concilium tridentinum dicit contritionem excludere voluntatem peccandi, utique etiam in posterum[1]).

216. Obiectum virtutis poenitentiae. *Obiectum materiale* poenitentiae sunt peccata a poenitente commissa; *obiectum formale* est malitia peccati, quae consistit in iniuria Deo illata, et honestas seu bonitas, quae in reparanda iniuria Deo irrogata continetur. Omne enim peccatum repugnat auctoritati divinae honorique Deo debito, quem honorem peccator summâ Dei iniuriâ laesit. Et quoniam voluntas non potest detestari malum, nisi amet bonum ei contrarium, ad obiectum formale poenitentiae pertinet etiam bonitas, quae in reparando honore Dei laeso continetur.

In quovis peccato diversae malitiae habentur, propter quas peccatum detestari possumus: α. quod sit contra voluntatem Dei praecipientem ideoque inoboedientia; β. quod sit contra auctoritatem et honorem Dei atque ideo iniuria Dei; γ. quod sit malum Dei atque ideo offensa Dei; δ. quod nos privet aeterna beatitudine et reos constituat poenae aeternae. Iam vero qui detestatur peccatum, quia est iniuria Dei, exercet actum *virtutis poenitentiae;* qui illud ex alio motivo detestatur, aliam virtutem exercet, eam nempe, a qua motivum detestationis et doloris desumptum est.

217. Quando poenitentia obliget. Homini exsistenti in peccato mortali incumbit obligatio per poenitentiam ad Deum se convertendi et cum Deo offenso se reconciliandi; quam obligationem innuit s. scriptura his verbis: *Poenite-*

[1]) Cf. sess. 14. c. 4. et sess. 6. c. 6.

mini et convertimini, ut deleantur peccata vestra[1]). *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum*[2]).

1. Praeceptum poenitentiae est *praeceptum speciale* ab aliis praeceptis distinctum, adeo ut peccator non poenitens damnetur non solum propter peccatum, cuius eum non poenituit, sed etiam propter peccatum impoenitentiae.

2. Praeceptum poenitentiae *non obligat statim* post peccatum mortale commissum.

a. Est praeceptum affirmativum, quod non obligat omni, sed solum determinato tempore; nullo autem argumento demonstrari potest hoc tempus illud esse, quod peccatum commissum mox consequitur.

b. Insuper si statim obligaret, singulis momentis obligaret; qui ergo poenitentiam differt, toties saltem novum peccatum committeret, quoties ad obligationem advertens non poeniteat; hoc autem adversatur communi sensui fidelium, qui non putant se peccare, eo quod non statim post peccatum commissum convertantur, sed conversionem ad tempus differant.

3. Praeceptum poenitentiae obligat *per se in morte:* etenim si homini peccatori incumbit obligatio poenitendi seque ad Deum convertendi, haec obligatio profecto urget, quando est necessaria nec restat aliud tempus, quo ei satisfieri possit.

4. Contra praeceptum poenitentiae delinquunt, qui conversionem *ad notabile tempus, nedum usque ad mortem differant.* Quantum vero sit hoc notabile tempus, ultra quod poenitentia et conversio citra peccatum differri nequeat, alii aliter determinant. Probabilis, quin et communior est sententia, quam *Laymann* statuit, eum nempe, qui praecepto annuae confessionis satisfacit, poenitentiam ultra licitum tempus non differre[3]).

a. Concina putat poenitentiam ultra hebdomadam sine peccato differri non posse. *S. Alphonsus* (n. 437) sententiae, quae tenet eum non peccare, qui non ultra annum poenitentiam differat, „non omnino acquiescit", sed censet poenitentiam ultra mensem sine peccato differri non posse: concedit tamen peccatores praesertim rudes a peccato dilatae poenitentiae ordinarie excusari, quia vix unquam ad hanc obligationem advertant.

[1]) Act. 3, 19.

[2]) Matth. 4, 17. Cf. Exech. 18, 30. Rom. 2, 5.

[3]) *Laymann,* De poenitentia c. 2. n. 6.

b. Sunt, qui cum *s. Thoma*[1]) dicant, praeceptum poenitentiae per se obligare *solum in morte*, quam quidem affirmationem hocce argumento demonstrant: obligatio huius praecepti utpote affirmativi restringenda est ad illud tantum tempus, pro quo de certo nobis constat, neque ad alia tempora est extendenda; atqui non potest assignari tempus, intra quod obliget praeceptum poenitentiae, praeterquam in morte. Qui autem cum *Suario*[2]) obligationem hanc ad alia quoque tempora extendunt, sententiam in hunc modum confirmant: α. s. scriptura[3]) et ss. patres[4]) poenitentiam gravissimis sententiis urgent et nimiam dilationem conversionis, praesertim usque ad mortem uno ore condemnant. β. Mortale peccatum esse censetur voluntarie per totam vitam persistere in inimicitia Dei et usque ad mortem differre compensationem iniuriae Deo illatae per peccatum mortale: contemptum enim Dei haec agendi ratio involvere videtur, praesertim cum ipse sua gratia ad conversionem moneat moveatque[5]). γ. Qui a Deo aversus in statu peccati mortalis vivit, primariae obligationi suae deest tendendi in finem ultimum et operandi suam salutem; sed incredibile videtur hominem sine peccato per longum tempus immo per totam vitam hanc obligationem negligere posse. Minus efficax ad hunc finem est argumentum ex eo desumptum, quod homo quovis momento temporis possit mori.

Articulus secundus.

De sacramento poenitentiae.

218. Definitio. *Poenitentia, ut sacramentum* est, definitur: sacramentum, quo peccata post baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittuntur.

Differentia specifica huius sacramentis ab aliis sacramentis exhibetur verbis, quibus significatur *materia* scilicet contritio et confessio, *forma* scilicet absolutio sacerdotalis et *effectus*, qui est remissio peccatorum post baptisma commissorum.

---

[1]) Cf. II. II. q. 14. a. 2; ipse tamen s. doctor necessitatem poenitentiae extra periculum mortis ex alio capite deducit, scilicet ex obligatione vitandi peccatum mortale, quod in statu peccati diu vitari non potest. Cf. I. II. q. 109. a. 8.

[2]) *Suarez*, disp. 15. sect. 6. n. 2. ss.

[3]) Cf. Rom. 2, 4. 5. Eccl. 5, 8. 9.

[4]) Cf. *Suarez* disp. 15. sect. 6. n. 3.

[5]) *Lugo* disp. 7. n. 234.

219. Natura sacramenti poenitentiae. Ad declarandam huius sacramenti naturam, quatenus in theologia morali opus est, haec ex institutionibus dogmaticis repetenda sunt[1]).

1. Christus dedit apostolis eorumque in sacerdotio successoribus veram *potestatem* remittendi retinendique peccata post baptismum commissa.

a. Apostolis hanc *postestatem collatam esse*, patet ex verbis Christi: *Accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[2]).

b. Hanc potestatem non solis apostolis, sed etiam eorum in sacerdotio *successoribus* traditam esse, ex eius fine potissimum deducitur: cum enim indigentia obtinendi remissionem peccatorum perpetuo in ecclesia exsistat, etiam potestas remittendi peccata perpetuo in ecclesia durare debet.

2. Potestas remittendi retinendique peccata *potestas iudicialis* est, quae per modum iudicii exercetur.

a. Tria ad actum seu ad sententiam iudicialem requiruntur; α. ut eam tamquam conditio necessaria praecedat cognitio causae; β. ut iudex debita auctoritate praeditus ius seu sententiam dicat; γ. ut sententiam dicat non pro arbitrio, sed secundum merita vel demerita hominis, cuius causa agitur.

b. Iam vero potestatem remittendi retinendique peccata non mere gratiosam esse, ut est potestas baptizandi, sed iudicialem, tum ex naturali vi verborum potestatem clavium significantium, tum praesertim ex potestate retinendi peccata cum potestate ea remittendi coniuncta colligitur.

3. *Exercitium potestatis* remittendi retinendique peccata est *sacramentum poenitentiae* ipsa huius potestatis traditione a Christo institutum. Sane omnia in eo habentur, quae verum sacramentum constituunt: *a. signum sensibile:* voluit nempe Christus, ut absolutione voce prolata hominibus peccata remitterentur; *b. efficax gratiae,* cum peccata per infusionem gratiae remittantur; *c. a Christo stabiliter institutum,* quamdiu nempe exsistunt peccatores, qui remissione peccatorum indigent.

---

[1]) Cf. *Palmieri,* De poenitentia p. 45. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. VII. n. 58 ss. *Hurter,* Compend. theol. dogm. III. n. 436 ss.

[2]) Ioan. 20, 22. 23.

Eo hoc sacramentum ab aliis sacramentis (excepto tamen matrimonio, quod etiam in actu iuridico, in mutuo scilicet consensu consistit) potissimum differt, quod non ut alia in quadam consecratione, sed in iudicio sacramentali consistit, et quod peccata non remittit per modum doni et beneficii, sed per actum iudicialem.

220. De necessitate sacramenti poenitentiae. 1. Sacramentum hoc, si fieri potest *in re*, si haberi non potest, saltem *in voto* susceptum necessarium est *necessitate medii* ad salutem omnibus, qui post baptismum in peccatum mortale prolapsi sunt: remissio enim peccati mortalis post baptismum commissi ad salutem simpliciter est necessaria; medium autem a Christo ad eam obtinendam institutum est sacramentum poenitentiae, si fieri potest in re susceptum, si autem fieri nequit, saltem eius votum requiritur[1]). Quare conc. trid. ait: Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium ut nondum regeneratis ipse baptismus[2]).

a. Licet contritio caritate perfecta hominem ante sacramenti susceptionem Deo reconciliet, ipsa tamen reconciliatio [redacted] contritione non producitur sine sacramenti voto, quod in illa includitur[3]); in novo enim testamento non est remissio peccatorum (mortalium) independenter [redacted] potestate clavium. Huius sacramenti necessitas est ergo, sicut baptismi, necessitas medii hypothetica[4]).

b. Votum sacramenti intelligitur seria voluntas [redacted] propositum confitendi. Hoc propositum non debet necessario esse explicitum, sed sufficit *implicitum*, cuiusmodi in actu contritionis perfectae continetur: etenim qui Deum vere diligit, voluntatem habet servandi omnia, quae ex voluntate et institutione divina necessaria sunt ad salutem. Nec debet esse propositum confitendi *quam primum*, sed suo tempore, quando scilicet aut propter mortis periculum aut propter praeceptum ecclesiasticum urget obligatio confitendi.

2. Sacramentum hoc *in re* susceptum omnibus post baptismum lapsis necessarium est *necessitate praecepti* tum *divini* tum *ecclesiastici*.

a. Praeceptum divinum: adultis enim ex institutione et voluntate Dei sacramentum poenitentiae est medium

[1]) Cf. *Pesch* VII. n. 353 ss.
[2]) Sess. 14. c. 2.
[3]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 3.
[4]) Cf. *De Praeceptis* n. 7.

necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum et salutem aeternam[1]).

b. Praeceptum ecclesiasticum de usu sacramenti poenitentiae singulis annis faciendo latum est in concilio lateranensi IV. et iterum in concilio tridentino ac demum in Codice iuris ecclesiastici[2]).

221. Quando obliget praeceptum divinum. Praeceptum divinum suscipiendi sacramentum poenitentiae seu confitendi urget tum *per se* tum *per accidens.*

1. Et *per se* quidem urget *in periculo mortis:* praecepta namque positiva obligant saltem eo tempore, quo sunt necessaria: secus enim frustra imponerentur; supposito autem peccato mortali confessio in morte plane est necessaria; peccator ergo, qui in certo vel probabili periculo mortis reperitur, iure divino tenetur confiteri, si potest.

Ex multorum auctorum sententia urget etiam *aliquoties in vita,* quin determinari possit, quoties et quando urgeat. Haec tamen obligatio *ex praecepto divino* cum certitudine demonstrari non potest. Verum ex huius sententiae argumento, quod nempe homini peccatori non liceat diu in statu peccati manere, sed quod ex iure divino teneatur se reconciliare cum Deo, non sequitur id fieri debere per sacramentalem confessionem: fieri enim potest per contritionem perfectam cum voto confessionis suo tempore faciendae.

2. *Per accidens* autem obligat: α. quando suscipiendum est sacramentum eucharistiae; β. quando requiritur status gratiae, e. g. si conficiendum vel suscipiendum sit sacramentum vivorum neque elici possit actus contritionis perfectae; γ. si quando urgeat adeo gravis tentatio, quae aliis mediis superari non possit.

222. De partibus huius sacramenti. Partes sacramenti poenitentiae diversis modis assignari possunt: *ex*

---

[1]) *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino . . a. s.* Conc. trid. sess. 14. can. 6.

[2]) Conc. lateran. IV. c. *Omnis utriusque.* Conc. trid. sess. 14. can. 8. Cn 906. Cf. *De praeceptis*[12] n. 692 ss.

parte totius sacramenti partes poenitentiae sunt duae ut in omnibus aliis sacramentis, scilicet materia (contritio, confessio et satisfactio) et forma (absolutio); partes poenitentiae *ex parte poenitentis tantum* sunt contritio, confessio et satisfactio et *ex parte sacerdotis tantum* absolutio. Obiter saltem tangenda est quaestio inter theologos controversa, quaenam *partes poenitentiae sint essentiales.*

1. Omnibus consentientibus *absolutio* est pars essentialis et principalis sacramenti poenitentiae; et pari modo omnes consentiunt *satisfactionem* actu impositam atque impletam solum esse partem integralem huius sacramenti: effectus enim primarius poenitentiae sacramenti, remissio scilicet peccati, producitur, etiamsi satisfactio non imponatur vel imposita actu non expleatur.

Si *satisfactio pars essentialis* sacramenti poenitentiae dicitur, in confessario solum de potestate, quae satisfactionem imponere potest et debet, et in poenitente solum de voluntate satisfactionem acceptandi et implendi, intelligi potest, quae voluntas in contritione semper virtualiter continetur.

2. Num *contritio et confessio* seu confessio dolorosa sit pars essentialis sacramenti, disputatur. Et *thomistae* quidem, quibus etiam nonnulli scotistae accesserant, cum recentioribus communiter docent actus poenitentis seu confessionem dolorosam esse partem sacramenti essentialem, ita ut una cum absolutione significet et causet remissionem peccatorum et gratiam iustificantem. Complures vero *scotistae* cum paucis recentioribus affirmant[1]), solum absolutionem sacerdotalem esse partem sacramenti proprie essentialem, quippe quae sola significet et causet peccatorum remissionem et gratiam sanctificantem; confessionem autem dolorosam seu actus poenitentis necessario requiri per modum dispositionis et *conditionis sine qua non.*

3. Ad quaestionem igitur, in quo consistat *essentia sacramenti poenitentiae,* thomistae respondent: in dolorosa

[1]) Inter auctores recentes sententia scotistica non displicet *D' Annibale* (III. n. 181, 2), *Ballerini-Palmieri* (V. n. 3 ss.), *Berardi* (Prax. confess. IV. n. 2).

confessione peccatorum et in absolutione sacramentali simul; scotistae vero respondent: in sola absolutione sacramentali supposita contritione et confessione tamquam conditione necessario praerequisita. Quid in hac quaestione verum sit, certo definiri non potest; utraque sententia probabilis, neutra certa est.

223. Effectus sacramenti poenitentiae: 1. *Remissio peccatorum per infusionem gratiae sanctificantis,* qua peccata ita remittuntur, ut postea propter subsequens peccatum non amplius reviviscant.

2. *Condonatio poenae aeternae:* deleta enim culpa mortali remittitur etiam poena aeterna, quae commutatur in temporalem. Sane gratia, quae per sacramentum infunditur, tribuit ius ad gloriam aeternam, quod simul cum reatu poenae aeternae consistere nequit.

3. *Condonatio poenae temporalis:* pro dispositione poenitentis Deus etiam poenam temporalem secundum maiorem minoremve mensuram remittit. Quamvis ergo fieri possit, ut etiam poena temporalis pro mortalibus remissis debita tota deleatur, id tamen non contingit, ut ait concilium tridentinum, *sine magnis nostris fletibus et laboribus*[1]).

4. *Reviviscentia meritorum:* opera enim meritoria per peccatum mortificata per poenitentiam iterum reviviscunt, quatenus ablato impedimento peccati mortalis iterum digna sunt praemio vitae aeternae.

a. Ex promissione divina peccata per poenitentiam ita delentur ut impietas post conversionem non noceat impio[2]); sed quam maxime noceret, si merita non reviviscerent. Insuper nisi merita reviviscerent, Deus dicendus esset punire poena aeterna peccata iam remissa: poena enim peccati, quatenus in privatione meritorum consistit, per privationem maioris gradus gloriae illis proportionatae in aeternum duraret; atqui hoc admitti non potest, tum quia in revelatione nullum vestigium huius poenae occurrit, tum quia status poenae cum statu perfectissimae amicitiae, qualis est in beatis, simul componi non potest.

---

[1]) Sess. 14. c. 2.

[2]) Ezech. 18, 21 ss.

b. Operum ergo moralium, quae ab homine peraguntur, quinque genera distingui possunt: α. *opera meritoria* seu viva, quae digna sunt praemio vitae aeternae; β. *opera mortifera*, quae hominem dignum reddunt morte aeterna; γ. *opera mortua*, quae in se quidem bona sunt, sed quia ab homine in statu peccati mortalis fiunt, nec praemio nec poena digna sunt; δ. *opera mortificata*, quae antea quidem viva erant, sed superveniente peccato non possunt esse digna vita aeterna; ε. *opera rediviva*, quae antea mortificata ablato peccato mortali iterum viva fiunt et digna praemio aeterno.

5. *Gratia sacramentalis* seu ius ad auxilia gratiae. Et quoniam finis huius sacramenti est, ut deleantur peccata, haec auxilia eo tendunt, ut homo pro peccatis praeteritis satisfacere et peccata futura cavere possit.

Quaestio secunda.

De materia poenitentiae.

Materia poenitentiae alia est *remota*, alia *proxima*; notandum tamen vocabulum *materiae* hic alio sensu adhiberi atque in reliquis sacramentis.

Articulus primus.

De materia remota.

a. Materia remota sunt omnia peccata post baptismum commissa. Dicitur etiam materia *circa quam*, quia circa ipsa detestanda et destruenda versantur actus poenitentis et absolutio sacerdotis.

b. Materia remota distinguitur: α. necessaria et libera; β. certa et dubia; γ. sufficiens et non sufficiens.

224. De materia necessaria. Materia necessaria dicuntur peccata, quae ex praecepto divino clavibus eccle-

siae per confessionem necessario subiicienda sunt. Hanc constituunt *omnia et sola peccata mortalia post baptismum commissa et vi clavium nondum directe remissa* vel *directe quidem remissa, sed non ut oportet accusata*[1]).

a. Directe remitti dicuntur peccata, quae vi absolutionis remittuntur; et hac quidem ratione remittuntur omnia illa peccata, quae a poenitente in se clavibus ecclesiae rite subiiciuntur et a confessario iurisdictionem in ea habente condonantur. *Indirecte* remitti dicuntur peccata, quae vi gratiae sanctificantis per sacramentalem absolutionem infusae remittuntur. Si e. g. poenitens apte dispositus peccatum grave ex oblivione inculpabili in confessione omittit, absolutio confessarii necessario producit remissionem peccatorum et infusionem gratiae, at ipsa nequit remittere nisi peccata clavibus subiecta; non potest autem gratia infundi, quin omnia peccata mortalia deleantur; ergo vi gratiae infusae indirecte et per concomitantiam remittititur etiam peccatum in confessione omissum.

b. Si poenitens ob legitimam causam ab integritate confessionis excusantem e. g. moribundus peccata sua in genere tantum accusat, haec directe remittuntur, sed manet obligatio ea postea, si fieri potest, accuratius declarandi, quia praeceptum divinum peccata secundum speciem et numerum declarandi nondum impletum est.

225. *Num adultus, qui sub conditione rebaptizatus est, teneatur confiteri peccata ante hunc baptismum commissa.*

a. Adultus catholicus, qui sub conditione iterum baptizatus est, non tenetur denuo confiteri peccata *iam accusata:* si enim primus baptismus validus fuit, peccata per absolutionem iam remissa sunt, et si baptismus validus non fuit, per secundum baptismum remittuntur; peccata autem ab ultima confessione commissa et *nondum accusata* integre in confessione declarari debent.

Nec dicatur, quia haec peccata per baptismum modo collatum forte iam remissa sunt, non constat certo de obligatione ea confitendi; obligatio autem dubia nulla est: obligatio enim ea peccata confitendi plane certa est, quod ex iis constabit, quae de adulto acatholico denuo baptizato mox dicenda sunt.

b. Adultus acatholicus, qui ad fidem conversus propter baptismum dubie collatum sub conditione iterum baptizatur, peccata sua integre confiteri debet.

---

[1]) *Conc. trid.* sess. 14. c. 5. Prop. damn. Alexandri VII. n. 11

α. Complures auctores *(D' Annibale, Ballerini-Palmieri, Bucceroni, Génicot)* docent suadendam quidem esse confessionem, at non esse ex obligatione imponendam, nisi iis in locis, in quibus ab episcopis praescripta sit. Baptismum enim antea susceptum dubie esse validum et proinde obligationem confitendi peccata anteactae vitae [redacted] dubiam, obligationem autem dubiam esse nullam. Ipsa vero peccata post baptismum dubie validum commissa certe deleri. Si enim primus baptismus invalidus fuit, delentur per secundum baptismum; si validus fuit, delentur per contritionem perfectam vel indirecte per confessionem cum attritione peractam[1]). Decreta autem s. sedis hac de re edita non continere legem universalem, sed solum praeceptum particulare pro iis, ad quos referebantur, datum ob speciales eorundem conditiones.

β. Nihilominus tenenda videtur sententia affirmans obligationem integrae confessionis in casu, de quo agitur.

a. Verum quidem est, nullum exsistere s. sedis decretum, quo obligatio integrae confessionis pro iis, qui sub conditione rebaptizantur, expresse declaretur. Quatuor enim decreta *S. Officii* hucusque de hac re edita, quibus obligatio confessionis edicitur, re vera particularia sunt: Primum in causa Caroli Wippermann a. 1715. Alterum ad episcopum Philadelphiae a. 1859. Tertium ad episcopos Angliae a. 1868. Quartum ad episcopum Vallispratensem a. 1874. Responsum autem *S. C. de prop. fide* 10. iul. 1869 ad episcopum Quebecensem datum, et a. 1899 demum vulgatum, quo edicitur, decretum s. Officii ad episcopos Angliae continere legem universalem, privatae auctoritatis est, [redacted] secretario congregationis, ipsa congregatione inconsulta, editum[2]). Attamen recte affirmatur, ecclesiam hisce decretis, licet in se particularibus, virtualiter atque aequivalenter declarasse peccata dubie baptizatorum constituere materiam necessariam confessionis atque iure divino in confessione esse declaranda. Licet enim decreta referantur ad casus particulares, cum tamen eorum adiuncta sint valde diversa et nihilominus semper eadem decisio exhibeatur, signum est omnibus eandem subesse rationem, quae alia non est nisi quia peccata dubie baptizatorum ex voluntate Christi materiam necessariam absolutionis constituunt et proinde ab omnibus ecclesiae clavibus subici debent.

b. Ratio interna, qua probatur *certa obligatio* confitendi peccata commissa post baptismum non certo validum haec est. Ex certa collatione baptismi oritur ius ecclesiae certum in eum, qui baptismum

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 1. n. 323.

[2]) Cf. *Mannajoli*, De obligationibus christianorum propriis, quibus in genere dubie baptizati obstringuntur. (Romae. Pustet) 1913. p. 139 ss. p. 197.

(etsi forte invalidum) suscepit; idque propter gravissima damna, quae sequerentur, si dubie baptizati non censerentur eius subditi omnibusque eius legibus subiicerentur. Idem prorsus iudicium est ferendum in dubio de valore matrimonii certe contracti, in dubio de valore professionis religiosae certe emissae, in dubio de valore sacrae ordinationis certe susceptae, idque propter gravia mala, quae alias sequerentur.

226. *Peccata in ipso baptismo commissa* practice adnumerari possunt materiae dubiae sacramenti poenitentiae; quare non debent in confessione necessario declarari nec possunt ipsa sola absolute per absolutionem remitti[1]).

Peccatum fictionis seu indigna susceptio baptismi vel aliud peccatum e. g. dubii in fide in ipso actu baptismi commissum non quidem valorem, sed tamen effectum baptismi impedit. Iam quaeritur, utrum haec peccata deleantur vi baptismi, quod remoto obice reviviscit, [redacted] vero accusari debeant in sequenti confessione, ut vi absolutionis remittantur. Communiter auctores nulla distinctione facta inter peccatum fictionis et alia peccata affirmant omnia peccata in ipsa susceptione baptismi commissa constituere materiam necessariam poenitentiae: haec namque peccata dici debent post baptismum commissa, ergo per poenitentiam delenda. Fieri enim vix potest, ut peccatum in ipso instanti collati baptismi ita compleatur, ut post susceptum baptismum non continuetur; quodsi tamen in ipso instanti collati baptismi iam completum esset, per poenitentiam deleri non posset. Cum tamen alii de obligatione haec peccata confitendi dubitent[2]), alii eam negent[3]), ac tandem cum discerni vix possit, utrum peccatum in ipso instanti baptismi iam terminatum fuerit, an etiam postea duraverit, haec peccata in praxi materiae dubiae recte accensentur.

227. De materia libera. Materia libera dicuntur ea peccata, quae clavibus ecclesiae subiici possunt, sed non debent. Hanc constituunt peccata venialia post baptismum commissa et nondum remissa, et peccata tam mortalia quam venialia iam directe remissa.

a. Peccata venialia sunt *materia* huius sacramenti, quia vera sunt peccata contra legem Dei commissa, ideoque per potestatem clavium,

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 18.

[2]) *S. Alphons.* n. 427.

[3]) *D' Annibale* III. n. 164. *Lugo* disp. 16. n. 2.

quae non ad aliquod genus peccatorum restricta est, remitti possunt; *libera* autem, quia in confessione citra culpam taceri et multis aliis modis deleri possunt[1]).

b. Peccata iam *remissa* sunt *materia* huius sacramenti, quia nihil impedit, quominus peccati commissi venia iteratis vicibus peti et dari possit, ut infra dicetur, *libera* autem, quia peccata iam remissa iterata accusatione non egent.

c. Quandoquidem peccata tam venialia quam mortalia iam semel remissa non sunt materia necessaria, sed libera, sequitur in confessione mortalium licite posse omitti venialia sive omnia sive complura; in confessione autem venialium posse omitti aliqua, etiam pleraque venialia; in confessione tandem generali, quae non sit necessaria, omitti posse non solum venialia, sed etiam mortalia sive aliqua sive complura, quorum confessio iam semel rite est facta.

228. De materia certa et dubia. Materia *certa* est omne verum peccatum certo commissum, cuius proinde absolutio (suppositis supponendis) certo valida est; materia *dubia* est peccatum dubium i. e. vel non certo commissum, vel quod non est certo verum peccatum, cuius proinde absolutio (etiam suppositis aliis requisitis) certo valida dici nequit. Si ergo clavibus non subiicitur nisi peccatum dubium, cuiusmodi est *a.* peccatum dubie commissum; *b.* dubie mortale; *c.* dubie accusatum, absolutio erit valida, si ei reipsa subest culpa, eritque invalida, si ei nulla subest culpa.

a. Qui non affert, nisi materiam dubiam (sive quod de consensu dubitet, sive quod meras imperfectiones narret), per se nunquam absolute et sine urgenti causa ne conditionate quidem absolvi potest, quia sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Quam ob rem si poenitens peccata dubia tantum confiteatur, inducendus est, ut ex vita anteacta peccatum certum iam remissum vel mortale vel saltem veniale accuset, eo quod dicat: *me accuso de peccatis contra caritatem, religionem castitatem olim commissis,* vel quod confessario interroganti: *num te accusas et doles de peccatis contra caritatem, religionem, castitatem . . olim commissis,* respondeat affirmando.

b. Quod si hoc fieri non possit, sive quod certa non commisit, sive quod ex simplicitate aut debilitate eorum non recordatur, absolvendus est sub conditione *(si capax es),* si peccata proposita dubia sint mortalia. Si autem peccata dubia, quae confitetur, sint venialia et nihil certi ex priori vita adiungi possit, ne sub conditione quidem absolvendus est nisi raro, quia hinc quidem ex negata absolutione non oritur magnum damnum spirituale, inde vero sacramentum non est

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 5.

exponendum periculo nullitatis, nisi timeatur damnum spirituale, quod aliter commode evitari non potest.

c. Usus in ecclesia invaluit, ut poenitentes praesertim pii, qui saepius confitentur, peccatis ex ultima confessione commissis adiungant saltem generice unum alterumve peccatum praeteritae vitae, atque id fieri solet ex duplici ratione: imprimis ut certa confessionis materia habeatur, si forte peccata ex ultima confessione commissa solum sint dubia; deinde ut de peccatis in confessione declaratis dolor certius concipiatur, si forte de levibus quotidianis defectibus desit verus atque sincerus dolor. Iam vero ne frustretur finis huius praxis, scilicet consulendi validitati et fructui sacramenti, monendi sunt poenitentes, ut ex peccatis anteactae vitae subiungant ea, quae magis eorum conscientiam gravent et de quibus vere et sincere doleant et emendationem proponant.

d. Non raro poenitentes hac vel simili formula se accusant: habui dubia contra fidem vel habui tentationes contra castitatem, *de his me accuso prout coram Deo reus sum.* Ordinarie hac formula dubium de peccato commisso significare intendunt. Quare si alia peccata certa non accusaverint, absolvi non possunt, nisi ex vita anteacta aliquod peccatum certum, de quo doleant emendationemque proponant, clavibus subiiciant.

229. De materia sufficienti et non sufficienti. Materia *sufficiens* dicuntur peccata, a quibus poenitens valide absolvi potest; *insufficiens* autem dicuntur peccata, a quibus valide absolvi nequit. Materiam sufficientem constituit omne verum peccatum personale; insufficientem autem quod non est verum peccatum personale ut imperfectio constituit, cn. 902.

1. Peccata per absolutionem iam remissa constituere materiam sufficientem absolutionis, constat ex usu et praxi ecclesiae: impium enim esset de valore alicuius actionis sacramentalis dubitare, quam tota per orbem frequentat ecclesia.

Peccata iam remissa posse esse materiam absolutionis certum est atque in hunc modum declarari potest. Sicut [redacted] pluries vere renuntiare possumus iuri, cui iam semel renuntiavimus e. g. renovando vota religiosa, ita Deus pluries vere renuntiare potest iuri in vindictam, quod ex peccatis nostris acquisierat. Et sicut pater, qui filio veniam

delicti iam dedit, eamdem, si filius denuo deprecetur, vere et proprie iterum concedit, ita Deus peccatori iterum in confessione veniam petenti, eam vere et proprie denuo largitur. Sed veniae concessio ex institutione divina fit per gratiae infusionem. Nec potest dici verba absolutionis in hoc casu non esse vera, cum nulla adsint peccata absolvenda: nam verba absolutionis non unice significant remissionem peccati, sed etiam infusionem gratiae, quae de se et natura sua remissiva est peccati ideoque illud remitteret, si adesset; cum autem non adsit, per accidens ipsa sola confertur[1]).

2. Nomine *imperfectionis* hic intelligitur tum transgressio indeliberata praecepti tum actio vel omissio, quae adversatur non praecepto, sed consilio[2]). Imperfectiones igitur per se non sunt peccata, proindeque non constituunt materiam sufficientem poenitentiae; nihilo secius poenitentes non sunt impediendi, quominus imperfectiones suas confiteantur, tum quia ordinarie adiunctum habent peccatum veniale, tum quia confessarius ex earum cognitione melius dirigere potest poenitentem. Verum solae imperfectiones, quae ecclesiae clavibus subiiciantur, non constituunt nisi materiam dubiam, quia *fortasse* cum peccatis venialibus coniunguntur[3]).

a. Imperfectiones, quae eo committuntur, quod consilia seu perfectiora negligantur, adiunctum habent peccatum, quando perfectiora omittuntur ex inordinato affectu, non ex rationabili motivo[4]). Iam vero ut hi defectus aptam materiam absolutionis constituant, aliquo modo in confessione declarari debent atque de iis concipiendus est verus dolor.

b. Quamvis *imperfectiones* qua tales non possint esse obiectum absolutionis sacramentalis, sunt tamen morales defectus, de quibus dolere possumus, ut Deum magis propitium et beneficum nobis reddamus. Cum enim Deus erga illos, qui etiam opera supererogatoria et meri consilii peragunt, soleat esse magis liberalis, eis vero, qui eiusmodi opera negligunt, uberiora gratiae et providentiae subsidia ordinarie neget, nihil impedit, quominus, uberiores gratias desiderantes, de eiusmodi negligentiis doleant, ut Deus eo certius erga [illegible] magis beneficus fiat.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 13. n. 73.
[2]) Cf. *De principiis*[12] n. 286.
[3]) *Lugo* disp. 16. n. 103.
[4]) Cf. *De principiis*[12] n. 92.

230. De peccatis in genere tantum accusatis.

a. Peccatorum confessio est *generica,* si peccata non accusantur eo specifico modo (in infima specie), quo ex voluntate Christi accusari debent. Triplici ergo diverso modo generica peccatorum confessio institui potest: α. si poenitens solum dicat se peccasse, nec determinet, utrum graviter an leviter peccaverit: *accuso me de peccatis meis,* vel si solum signa doloris sine ulla peccati confessione e. g. tunsione pectoris vel suspiriis edat; β. si poenitens solum dicat se graviter peccasse, nec peccati genus vel speciem determinet; *accuso me de peccatis meis mortalibus;* γ. si poenitens solum dicat genus vel speciem subalternam peccati, nec determinet speciem infimam: *accuso me de peccatis contra iustitiam, contra religionem, contra quartum vel sextum praeceptum commissis.* De primo modo potissimum instituitur quaestio, num peccata in genere tantum accusata sint *materia sufficiens validae absolutionis:* etenim si illa accusatio ad validam absolutionem sufficiat, a fortiori aliae sufficientes erunt.

b. Ad solvendam quaestionem distingui debet inter materiam, quae ex praecepto Christi, et eam, quae ex essentia sacramenti per modum iudicii instituti ad validam absolutionem requiritur et sufficit; insuper distingui debet casus necessitatis, ubi nempe specifica peccatorum confessio impossibilis, absolutio autem necessaria est, a casu, in quo aut specifica confessio possibilis aut absolutio necessaria non est.

1. *Extra casum necessitatis* confessio generica *peccatorum mortalium* ad validam absolutionem recipiendam non sufficit. Nam ex praecepto Christi peccata gravia distincte et determinate quoad speciem et numerum declarari debent, ut valida sit absolutio: voluit enim Christus, ut absolutio, quae habet rationem sententiae iudicialis, extra casum necessitatis esset iudicium exactum atque perfectum, quod sine accurata causae cognitione institui nequit. Qui ergo peccata distincte non confitetur, deest praecepto Christi, ideoque absolutionis validae ex defectu dispositionis incapax est.

2. *In casu necessitatis,* ubi accurata confessio impossibilis est, ad validam absolutionem sufficit, ut peccata in genere tantum declarentur: a praeceptis enim affirmativis impotentia excusat; quare in casu necessitatis alia confessio non requiritur, nisi ea, quam essentia sacramenti seu sententia iudicialis exposcit. Atqui iudicium sine ulla quidem causae cognitione haberi non potest; attamen

verum, licet imperfectum iudicium institui potest, modo aliqua, etsi confusa et indistincta causae cognitio iudici suppeditetur; ergo ad validam absolutionem. spectata essentia iudicii, generica atque indistincta peccatorum confessio sufficit. Haec probe confirmantur ex praxi ecclesiae, quae est authentica interpres institutionum Christi: ecclesia enim non solum permittit, ut e. g. militibus instante praelio vel nautis imminente naufragio praemissa generica confessione detur absolutio, verum etiam praecipit, ut moribundi, qui generice tantum confiteri possunt, non condicionate, verum absolute absolvantur[1]). Ex quibus iure infertur, ad absolutionem certo validam in casu necessitatis genericam peccatorum confessionem sufficere.

In iudicio humano, quod primario et principaliter in sententia condemnatoria delinquentis per impositionem poenae delicto convenientis consistit, determinata et perfecta causae cognitio essentialiter requiritur; in iudicio autem sacramentali, quod primario et principaliter in sententia reconciliatoria et absolutoria poenitentis consistit, determinata et perfecta causae cognitio essentialiter non exigitur. Etsi per se etiam poena delicto conveniens imponenda sit, ea tamen ad essentiam iudicii sacramentalis non requiritur.

3. *Extra casum necessitatis* ad validam absolutionem generica peccatorum confessio sufficere videtur, *ubi de materia libera et praesertim ubi de venialibus agitur:* nam in confessione venialium et materiae liberae universim ad validam absolutionem recipiendam alia confessio non requiritur, praeter eam, quae ad essentiam sacramenti necessaria est: praeceptum enim venialia confitendi nullum est; atqui ad essentiam sacramenti generica peccatorum confessio sufficiens est: essentia enim sacramenti una et immutabilis est; quod ergo in necessitate sufficit ad validum sacramentale iudicium instituendum, id etiam extra necessitatem sufficere debet; ergo in confessione materiae liberae et in specie venialium generica peccatorum confessio sufficiens est.

231. *Num confessio prorsus generica venialium tantum licita sit.* — Confessionem prorsus genericam sive mor-

[1]) *Rituale rom.* tit. 3. c. 1. n. 24.

talium sive venialium in casu necessitatis licitam esse, nemo negat: quod enim validum est, in casu necessitatis etiam licitum est; at confessio prorsus generica venialium tantum (si e. g. poenitens pius, qui peccati mortalis reus non est, solum dicat: *Accuso me de meis venialibus et peto absolutionem*) extra casum necessitatis *licita non est,* quia est contra ecclesiae praxim, quae vim legis habet.

a. Inde a primis ecclesiae saeculis usque ad haec tempora ex usu et praxi ecclesiae extra casum necessitatis viguit *specifica* peccatorum etiam venialium confessio; atqui diuturna haec consuetudo vim legis obtinuit ad eum modum, quo ex consuetudine vim legis obtinuit *vocalis* peccatorum confessio; ergo ex praecepto ecclesiae per legitimam consuetudinem introducto facienda est specifica peccatorum venialium confessio. *b.* Sacramentum poenitentiae institutum est a Christo ad modum iudicii, quod per se et ordinarie circa materiam saltem in specie determinatam versari debet, ut patet ex obligatione confitendi peccata mortalia secundum speciem et numerum; atqui dignitas sacramenti et convenientia exigit, ut extra casum necessitatis, sive mortalia sive venialia clavibus subiiciantur, sacramentum semper administretur eo modo, quo a Christo institutum est, ita scilicet, ut ferri possit iudicium de materia determinata. *c.* Admissa semel generica tantum venialium confessione plura incommoda sequerentur: α. poenitentes carerent monitis, consiliis et directione spirituali confessarii; β. sacramentum exponeretur periculo nullitatis: complures enim poenitentes imperfectiones a peccatis non distinguentes facile solas imperfectiones ideoque materiam dubiam clavibus subiicerent; γ. complures praecepto confessionis non satisfacerent: mortalia enim pro venialibus habentes illa in specie non declararent; δ. confessarii indulgentiores facile admitterent confessionem genericam etiam mortalium[1]).

Sunt quidem *(Gury-Ballerini, Eschbach, Bucceroni, Apicella, Génicot,* ex antiquioribus *Dicastillo),* qui censeant, confessionem genericam peccatorum venialium licitam esse. Verum eorum sententia non videtur probabilis et proinde in praxi illicita. Aliud enim argumentum praeter hoc non afferunt: „Stante certa sacramenti validitate illiceitas aliunde oriri non potest, quam ex positivo praecepto divino: atqui hoc praeceptum non habetur; ubi ergo desunt peccata gravia necessario accusanda in confessione, nulla est obligatio reliqua peccata accusandi in determinato numero et definita specie" (Bucceroni). Verum obligatio non oritur ex praecepto divino explicito, sed ex rationibus supra alla-

[1]) Cf. *Laymann* l. 5. tr. 6. c. 5. n. 15.

tis, praesertim vero ex consuetudine, quae vim legis obtinuit. Nec contra hanc rationem excipiatur, quod non constet, utrum fideles venialia in specie confitentes indicent strictam obligationem an solum id, quod melius est, quia solum ex devotione confitentur. Etenim ex devotione confitentes sciunt se a confessione licite abstinere posse, sed *si* confitentur, putant se in specie confiteri debere.

232. Corollaria: *a.* Ex his pro praxi hocce documentum colligitur: Si quis peccatis dubiis vel levioribus, quae ex ultima confessione commisit, ad absolutionem certiorem reddendam adiungit *peccata anteactae vitae* iam remissa, absolute loquendo sufficit, ut generice et indeterminate addantur *(me accuso etiam de peccatis totius vitae meae)*, attamen suadendum est, ut unius alteriusve peccati etiam genus vel species subalterna declaretur *(me accuso etiam de peccatis contra caritatem, religionem vel contra quartum, sextum praeceptum commissis)*. Atque id praesertim tum suaderi debet, cum peccata ex ultima confessione declarata vere dubia sunt, ut nempe iudicium sacramentale magis determinatum sit.

b. Generica igitur peccatorum confessio *in casu necessitatis* tum ad validam tum ad licitam absolutionem sufficit. Casus necessitatis adest, si hinc quidem accusatio specifica impossibilis, inde vero absolutio necessaria est: id quod accidit in sequentibus casibus: α. si moribundus loquela destitutus solum signis aliquo modo confessionem et desiderium absolutionis exprimit; β. si milites instante praelio vel navigantes imminente naufragio propter defectum temporis solum generice confiteri possunt; γ. si absolutionem petunt surdo-muti vel ii, quorum idioma confessarius ignorat; δ. si ad confessionem accedunt homines rudes vel labilis ob senium memoriae, qui nullum peccatum in particulari accusare possunt atque ad interrogationes factas nihil respondent nisi se esse peccatores ut ceteri homines. Eiusmodi ergo poenitententes valide et licite absolvi possunt, quia ob moralem impossibilitatem ab accuratiore accusatione aeque ac moribundi loquela destituti excusantur; at raro tantum (ter quaterve in anno), quia solum in casu necessitatis a confessione specifica excusantur. Ceterum si confessarius eiusmodi poenitenti proponit nonnulla peccata, in quae olim incidisse praesumi potest, hoc modo: num doles de peccatis unquam commissis, praesertim vero de mendaciis, de negligentiis in servitio divino etc. et si poenitens respondet se dolere, etiam accusatio magis determinata habetur, cum certo supponi possit, poenitentem unum vel alterum peccatis propositis olim commisisse[1]). Adhibita hac industria hi absolvi possunt, quoties absolutionem petunt.

---

[1]) *Elbel-Bierbaum* III. pr. 9. n. 15

Articulus secundus.

De materia proxima.

233. Materia proxima huius sacramenti sunt tres actus poenitentis: contritio, confessio et satisfactio ut acceptanda. A concilio tridentino hi actus dicuntur *quasi-materia* sacramenti poenitentiae[1]). Qua ratione actus poenitentis in hoc sacramento se habeant, utrum sint vera *materia, ex qua* sacramentum constituitur et conficitur, an solum *conditio necessaria,* ut absolutio sacramentalis effectum sortiatur (n. 222), dogmatici disputant[2]).

a. Cum *thomistis* sententia communis recentiorum affirmat actus poenitentis veram esse huius sacramenti materiam, quae una cum absolutione sacerdotali constituit signum sacramentale efficax gratiae. Hi putant concilium tridentinum hos actus vocare *quasi-materiam*, quia non sunt res materialis ut aqua in baptismo.

b. Scotistae cum paucis recentioribus docent actus poenitentis non esse materiam, ex qua signum sacramentale essentialiter constituitur, sed solum conditionem necessario praerequisitam, ut absolutio, quae sola est signum efficax gratiae, effectum producat. Hi autumant a concilio tridentino hos actus vocari *quasi-materia*, quia rationem materiae sacramentalis vere et proprie non habent. Illud tamen addendum est scotistas sententiam suam diverso modo concipere. Complures enim praesertim antiquiores (*Bosco, Sporer, Holzmann* etc.) contritionem et confessionem *sensibilem* tamquam conditionem validae absolutionis requirunt, quia natura iudicii sacramentalis causae cognitionem exigat; alii vero praesertim recentiores (*Ballerini, Berardi* etc.) docent ad validam absolutionem sufficere actus mere internos, contritionem nempe in qua propositum confitendi implicite semper continetur,

[1]) Sess. 14. c. 3.

[2]) Cf. *Palmieri,* De poenitentia p. 144 ss. *Pesch* VII. n. 75 ss. *Ballerini-Palmieri* V. n. 9 s.

et quae sola est sufficiens dispositio ad veniam peccatorum per absolutionem obtinendam.

α. Ab hac quaestione (num actus poenitentis sint *materia* huius sacramenti) dirimenda ecclesia in concilio tridentino consulto abstinuit[1]); quare utramque sententiam theoretice et practice sequi possumus. Quia vero sententia, quae docet actus poenitentis esse materiam proximam sacramenti, [redacted] probabilitate non caret, certo validae haberi non possunt absolutiones, quibus non praecedat dolorosa poenitentis confessio aliquo modo sensibilis. Et quoniam etiam sententia, quae docet actus poenitentis solum habere rationem conditionis necessariae, non omni probabilitate destituitur, sub conditione etiam illi absolvi possunt, qui nullum signum doloris et confessionis manifestent.

β. Momentum practicum huius controversiae in absolutione moribundorum potissimum cernitur: etenim si actus poenitentis sunt partes essentiales et vera materia huius sacramenti, quae natura sua debet esse sensibilis, valide absolvi nequit, qui illos actus signo sensibili exterius non manifestet; si autem non habent nisi rationem necessariae conditionis et dispositionis, absolutio valida erit, etsi illi actus exterius non manifestentur.

Quaestio tertia.

De forma poenitentiae.

234. Pia consuetudo, quae tamen non obligat in conscientia, id habet, ut confessarius ante confessionem poenitenti benedicat his verbis:

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.

Forma autem sacramenti poenitentiae est:

Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen Deinde dextera adversus poenitentem elevata dicit:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et

[1]) Cf. *Pallavicini*, Historia concil. trid. l. 12. c. 10. 27.

interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.[1])

235. De ipsa forma. Duplex distinguitur forma huius sacramenti; *essentialis*, quae ex concilio tridentino[2]) his verbis continetur: *te absolvo a peccatis tuis;* et *rubricalis*, quae est integra illa forma in rituali praescripta. Haec iterum duplex est: *praeceptiva*, quam constituunt verba: Dominus noster . . in nomine Patris etc.; *directiva*, quam constituunt verba. quae ante et post essentialem habentur. Valida absolutionis forma tria exprimere debet: *a.* personam ministri cum debita auctoritate iudicantis: *absolvo; b.* personam rei: *te; c.* genus vinculi, a quo per sententiam iudicialem reus absolvitur: *a peccatis.*

Si verba formae considerantur ut verba humana sensu obvio et naturali, hunc sensum habent; *ego iudiciali sententia te libero a peccatis tuis.* Quodsi considerantur ut verba sacramentalia, prout nempe a Christo ad significandum effectum sacramentalem elevata sunt, hunc sensum habent: *ego iudiciali sententia confero tibi gratiam per se remissivam peccati a te commissi.* Sacramenta enim a Christo instituta sunt ad significandam et producendam gratiam. quae in baptismo est remissiva peccati originalis, in poenitentia vero peccati personalis post baptismum commissi.

236. De forma essentiali. Verba formae essentialis ad valorem sacramenti non requiruntur omnia: nam certo valida est forma: *Te absolvo a peccatis;* probabiliter valida est haec forma: *Absolvo a peccatis tuis,* quia persona, quae absolvitur, sufficienter significatur verbo *tuis:* item haec forma: *Te absolvo*, quia debitum peccati, a quo poenitens absolvitur, satis ex eo patet, quod absolutio conceditur a sacerdote, qui potestate remittendi peccata instructus est. Cum tamen ob dissensum auctorum non omnino certum sit, postremas has duas formas ad validam absolutionem sufficere, integra forma essentialis semper proferenda est, addita etiam invocatione ss. Trinitatis, non

[1]) *Rituale rom.* tit. 3. c. 3. — [2]) Sess. 14. c. 3.

quidem ex necessitate sacramenti, sed ex usu et consuetudine ecclesiae in hunc modum: *Ego te absolvo a peccatis (tuis) in nomine etc.*

a. Potissimum argumentum, quo ostenditur haec verba *absolvo te* ad validam absolutionem sufficere, ex eo desumitur, quod graeci utantur hac forma: *habeo te absolutum;* atqui affirmari nequit graecos per formam a concilio florentino ipsis concessam invalide absolvere. Et sane haec verba: *absolvo te* prolata super poenitentem post factam peccatorum suorum confessionem ex adiunctis significant absolutionem a *peccatis.*

b. Qui hac formula absolvit: *Absolvo a peccatis tuis* vel: *Absolvo te,* graviter peccat: cum enim hae formae solum probabiliter validae sint, sacramentum periculo nullitatis exponitur; quodsi quis igitur hac forma absolvisset, absolutio, adhibita integra forma essentiali, repetenda esset: Qui omittit *ego, amen* vel *invocationem ss. Trinitatis,* leviter tantum peccat, quia formam solum accidentaliter et modo non notabili mutat.

c. Possunt etiam plures simul valide absolvi hac forma: *ego vos absolvo a peccatis vestris in nomine Patris* etc.; et licite id fieri potest in casu necessitatis e. g. in naufragio, ante praelium etc.[1]).

237. De forma rubricali. 1. Preces, quae absolutionem praecedunt: *Misereatur* et *Indulgentiam* Concilium tridentinum[2]) *laudabiliter* adiungi dicit, quod verbum ex doctorum sententia non significat praeceptum. Codex cn. 885 monet: „Ne omittantur, nisi iusta de causa".

Eiusmodi causam tum penuria temporis sive ex parte confessarii sive ex parte poenitentis, tum multitudo poenitentium constituunt.

2. Absolutioni a peccatis ex praescripto ecclesiae ad cautelam praemittitur absolutio a censuris *(ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti),* quia non decet, ut cum Deo reconcilietur, qui prius non fuerit cum ecclesia reconciliatus.

a. Poenitentem, qui certo incurrit censuram (excommunicationem), omissa absolutione a censuris prius a peccatis absolvere, grave peccatum est contra grave praeceptum ecclesiae, quamvis absolutio valida sit. Potest tamen confessarius hac forma: *Ego te absolvo a peccatis tuis* etiam a censuris absolvere, modo intendat his verbis tam a peccatis quam a censuris absolvere; praestat tamen in casu urgentis periculi his verbis uti: *Ego te absolvo a censuris et peccatis in nomine etc.*

[1]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 645.

[2]) Cf. sess. 14. c. 3.

b. Absolutionem a censuris omittere, nullum peccatum est, ubi nulla adest probabilis suspicio poenitentem incurrisse censuram; veniale est, ubi haec suspicio adest[1]).

3. Verbum *suspensionis* omitti debet, si poenitens sit laicus, et ordinarie licite omittitur, si sit clericus in minoribus constitutus: ab ordine enim suspendi nequit, beneficium autem vel iurisdictionem, a qua suspendi posset, vix ullus habet[2]).

4. Verbum *deinde* non omittendum, sed pronuntiandum est, cum ad textum formae rubricalis pertineat.

Antea multorum opinio erat hanc vocem omittendam esse, quia, utpote in compluribus ritualis romani editionibus colore rubro impressa, ad rubricam pertineat; sed in editione typica ritualis romani colore nigro imprimitur, ex quo patet eam ad ipsam formam pertinere. Et recte quidem quia confessarius dicit se *prius* a censuris, *deinde* a peccatis absolvere.

5. Oratio *Passio,* quae absolutionem subsequitur, in confessionibus frequentioribus[3]), immo probabiliter in omnibus licite omitti potest. Quia tamen ex quorundam sententia haec oratio omnia opera poenitentis elevet ad meritum satisfactionis sacramentalis, absque necessitate non prorsus omittenda, sed saltem dum poenitens recedit, addenda est[4]). Complures tamen negant his verbis aliam inesse efficaciam quam ceteris orationibus, quas nomine ecclesiae profert sacerdos[5]).

Ne sententia, quae his verbis maiorem tribuit efficaciam, plane incredibilis appareat, saltem in hunc modum restringenda est. Opera scilicet poenitentis hac oratione non acquirere vim nisi remittendi poenas debitas pro peccatis in illa confessione remissis: nam potestas clavium, qua utitur confessarius, solum non extendit ad peccata quoad culpam et poenam delenda, quae hic et nunc clavibus subiiciuntur. Quam ob rem illis verbis non omnia poenitentis opera indefinite elevantur ad vim satisfactionis sacramentalis, sed ea tantum, quae requi-

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 430.

[2]) Cf. *Bucceroni* (Casus consc. n. 354), qui idem docet cum *Reuter*, *Gobat* et *Stoz.*

[3]) Cf. *Rituale rom.* tit. 3. c. 2.

[4]) Cf. *s. Alphonsus* n. 430. 507.

[5]) *Lugo* disp. 25. n. 56.

runtur ad delendam totam poenam temporalem pro peccatis in illa confessione remissis debitam[1]).

6. Ab oratione *Indulgentiam* usque ad orationem *Passio* rubrica manum elevandam et ad absolutionem signum crucis formandum praescribit; quae etsi sine peccato omitti possint, decet tamen, ut semper fiant.

238. De qualitatibus absolutionis. Absolutio debet esse *vocalis*, in *praesentem* directa et per se *absolute* prolata.

1. *Vocalis.* Nec ratio iudicii nec ratio sacramenti postulat, ut sententia iudicialis voce proferatur; et sane in aliis iudiciis etiam scripto (et in absentem) sententia profertur, et ratio sacramenti aliud non postulat, nisi ut sensibilis sit; formam igitur absolutionis in iudicio sacramentali ad valorem sacramenti *voce* proferendam esse, ex voluntate et *institutione Christi* habetur. Id constat ex perpetuo ecclesiae usu, quae absolutionem scripto vel nutu datam nunquam ut licitam admisit neque ut validam agnovit. Siquidem concilium florentinum ait: formam huius sacramenti esse *verba* absolutionis, quae sacerdos *profert*, dum dicit: *Ego te absolvo* etc.[2]). Necesse autem non est, ut poenitens verba absolutionis audiat.

239. 2. *In praesentem.* Ex voluntate Christi instituentis hoc sacramentum *invalida est absolutio*, quae datur *absenti;* ad validam absolutionem requiritur, ut poenitens sit *moraliter praesens*[3]). Moralis autem praesentia ea cen-

[1]) Cf. *Stoz* l. 2. n. 115.

[2]) Cf. *Denzinger-Bannwart* n. 699; *Concilium trid.* sess. 14. c. 3.

[3]) Olim inter theologos controversa erat haec quaestio, num Christus hoc sacramentum ita instituerit, ut absolutio licite et valide dari possit etiam absenti; verum *Clemens VIII.* (20. iun. 1602) tamquam falsam, temerariam et scandalosam proscripsit hanc propositionem: *Licet per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Eo quod absolutio impertita absenti simpliciter declarata fuit *illicita*, simul declarata est *invalida:* si enim non foret invalida, non posset in casu necessitatis prohiberi tamquam illicita. Et cum Paulus V. (14. iul. 1605) reprobaverit utramque huius propositionis partem etiam seorsim sump-

setur, intra quam homines, quamvis altiore voce, inter se loqui possunt et solent, id quod ex iudicio auctorum intra viginti circiter passus adhuc fieri potest, praesertim si poenitens videatur: etenim si poenitens non longius viginti circiter passibus distet, verba absolutionis communi hominum iudicio adhuc censentur in ipsum cadere. Improbanda autem videtur regula illorum, qui absolute censent confessarium absolvere posse poenitentem etiam valde distantem, quem adhuc videat vel aliquo sensu percipiat. Cum enim hoc sacramentum institutum sit ad modum iudicii, recte ea praesentia exigitur, intra quam iudex reum praesentem absolvit vel condemnat, ea nempe, intra quam humano modo cum reo colloqui potest.

a. Ergo absolutio non est certo valida, si confessarius et poenitens sint in diversis cubiculis, quae inter se non communicent. Pari modo certo valida non est, si in eodem quidem loco reperiuntur, sed ultra viginti passus ab invicem distant.

b. Urgente vero necessitate poenenitens absolvi potest et debet, quoties aliquo sensu percipi potest, etsi reipsa ob accidentale impedimentum non percipiatur, sub conditione tamen, si ultra viginti passus distet. Hinc α. absolvendus est, qui conspicitur a tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi; β. moribundus, ad quem confessarius quacunque de causa accedere nequit, e ianua absolvi debet; γ. vulneratus in platea e fenestra proximae domus absolvi potest.

c. Integer exercitus absolvi potest, dummodo tota militum multitudo absolventi praesens sit; praesens autem censetur, etsi postremi longe ultra viginti passus distent. Quodsi postremorum tanta sit di-

---

tam proindeque non solum sententiam, quae dicit posse absolvi absentem, qui confessario absenti confessus est, sed etiam sententiam, quae dicit posse absolvi absentem, modo praesens confessus sit, invalida est in omni casu absolutio, quae datur absenti, sive confiteatur praesens et solum absolvatur absens, sive confiteatur et absolvatur absens. Demonstrari autem certo non potest invalidam esse absolutionem, quae datur praesenti, qui absens e. g. per litteras vel internuntium confessus est, praesertim si agitur de moribundo sensibus destituto, quem alii (etiam absentes) testantur antea absolutionem petiisse. Nullatenus autem invalida censeri debet absolutio data poenitenti, qui per litteras vel nuntium absens confessus sit et postea praesens in genere tantum dicat, se confiteri peccata sua confessario iam nota et absolutionem petere.

stantia, ut cum eis collocutio ne alta quidem voce possibilis sit, non amplius censentur praesentes, ut valide absolvi possint. Ideo magni exercitus in plures partes dividi et singulae partes absolvi solent.

d. Si poenitens *recedat a confessario nondum absolutus,* qui se absolutum existimat, haec servanda sunt: α. si commode adiri et revocari potest, revocari debet, ut absolvatur, nisi prope confessionale sit: in hoc enim casu absolvi potest, quin revocetur; β. si revocari nequit, absolvendus est, modo certo moraliter praesens sit, sive conspicitur sive non conspicitur, at inter vicinam turbam adesse certo sciatur; γ. si non amplius praesens nec postea rediturus est, nihil faciendum, sed res Deo committenda est; δ. si postea ad eundem confessarium redeat, et quidem ad confessionem instituendam, ut de omnibus peccatis suis doleat, monendus et deinde absolvendus est. Quod si ex alio fine confessarium conveniret, de defectu absolutionis extra confessionem per se monendus esset: cum tamen eiusmodi admonitio plerisque poenitentibus molesta et confessariis ob periculum scandali et infamiae perdifficilis accidat, in his adiunctis omitti potest: poenitens enim spirituale damnum non patitur, cum in sequenti confessione ab iisdem peccatis indirecte absolvatur[1]).

e. Absolutio per telephonium videtur esse *invalida:* sacramenta enim a Christo Domino ita sunt instituta, ut ea, quae ad eorum valorem requiruntur, humano et naturali modo adesse debeant; in sacramento ergo poenitentiae ea confitentis praesentia requiritur, ut humano et naturali modo cum confessario colloqui possit; sed collocutio per telephonium est modus artificialis colloquendi cum absente; neque enim vox humana loquentis, sed sonus ab hac voce artificialiter productus per telephonium auditur. Ideo *s. poenitentiaria* (1. iul. 1884) ad quaesitum: „utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium", respondit: *nihil est respondendum*[2]).

240. 3. *Absolute.* Absolutio ordinarie danda est *absolute;* cum tamen absolutio sub conditione de praesenti vel praeterito certo valida sit, ex iusta causa etiam licita est. Regula, secundum quam confessarius in hac re se dirigere debeat, haec est: absolutio sub conditione dari potest et debet, quoties, si non daretur, notabile damnum spirituale immineret, et si absolute daretur, nullitas et irreverentia sacramenti timenda esset. Haec regula viam mediam tenet inter praxim nimis laxam eorum, qui censent conditionatam

[1]) *Gobat,* Exper. theol. tr. 7. n. 284 s.

[2]) C. *A. Eschbach,* La confession par téléphone (Tournai, Castermann) Examen 1887. Réponse 1888.

absolutionem dari posse ex qualibet causa levi, etiamsi de sufficienti dispositione poenitentis etiam mortalibus gravati quomodocunque dubitetur, et doctrinam nimis rigidam eorum, qui tenent non esse concedendam absolutionem sub conditione nisi in extrema necessitate, in summo scilicet vitae periculo.

α. In casibus sequentibus adesse censentur causae iustae et sufficienter graves concedendi absolutionem sub conditione, quarum aliae sunt ex parte confessarii, aliae ex parte poenitentis. Itaque

α. Si confessarius positive et prudenter dubitet, num poenitentem rite absolverit.

β. Si confessarius dubitet, num in hunc poenitentem vel in haec peccata iurisdictionem habeat, poenitens autem negata absolutione diu in peccato manere deberet.

γ. In dubio de dispositione poenitentis, si absolutio sine gravi incommodo differri nequeat.

δ. In dubio de materiae sufficientia, quod solvi nequit, ut si poenitens sit puer vel semifatuus. Hi quandoque absolvi possunt, ne maneant in peccato mortali, si quod forte commiserint[1]).

ε. In dubio, num poenitens, qui absolutione indiget et [illegible] existimat absolutum, moraliter praesens sit.

ζ. In dubio, num moribundus sensibus destitutus sacramenti capax sit.

η. In dubio, utrum infirmus sit vivus an mortuus.

b. Absolutio *in eodem actu confessionis* non conditionate, sed absolute *repetenda est*, quoties poenitens absolutione iam percepta affert materiam necessariam confessionis; si ergo α. confitetur novum peccatum mortale; β. si confitetur novam circumstantiam speciem mutantem; γ. si confitetur numerum notabiliter maiorem; ab hac enim materia, quae est materia necessaria, nondum est directe absolutus; quare confessario incumbit obligatio poenitentem absolvendi, [illegible] eum cogat iterum confiteri peccatum in confessione sacramentali iam declaratum. Si autem poenitens absolutione iam percepta novum peccatum veniale accusat, nova absolutio dari potest, sed non debet[2]). Num in his casibus novus dolor elici debeat, infra dicetur.

---

[1]) Cf. *S. Alphonsus* n. 432.

[2]) *Elbel-Bierbaum* III. pr. 9. n. 33. et 45.

Quaestio quarta.

De remissione peccatorum[1]).

Cum sacramentum poenitentiae institutum sit ad remissionem peccatorum ex opere operato producendam, de ea breviter agendum est, ut lucidius declarentur, quae inferius de hoc sacramento dicenda sunt. Ex his simul cognoscitur via, qua peccator gratiam sanctificantem per peccatum amissam recuperare possit.

Articulus primus.

De conditione ad remissionem requisita.

241. Quae sit. 1. Homo adultus ad obtinendam remissionem peccatorum se disponere debet *per poenitentiam*, qua a peccato recedit et ad Deum redit.

a. Ex *s. scriptura* tum veteris tum novi testamenti constat, Deum hominibus remissionem peccatorum solum sub hac conditione concedere, quod de peccatis commissis poenitentiam agant: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet et non morietur*[2]). *Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra*[3]). *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*[4]).

b. Ideo *concilium tridentinum* docet: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*[5]) idemque concilium poenitentiam inter dispositiones ad obtinendam peccatorum veniam necessario requisitas enumerat[6]).

Etsi Deus homini peccatori absolute peccata remittere possit absque praevio actu poenitentiae, in hoc tamen ordine

[1]) *Azor*, Institutiones morales l. 4. c. 10. s. *Suarez*, De poenitentia disp. 11. *Lugo*, De poenitentia disp. 9. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 33—47. *Tepe*, Institutiones theol. mor. gener. (Parisiis Lethielleux. 1898) II. quaest. 3.

[2]) Ezech. 18, 21.

[3]) Act. 3, 19.

[4]) Luc. 13, 5. Cf. Ezech. 18, 30; Iudith 8, 14.

[5]) Sess. 14. c. 4.

[6]) Sess. 6. c. 6.

providentiae nunquam fit, et *rationi* omnino consentaneum est, quod Deus peccatori, qui libere per iniuriam ab eo recessit, non reconcilietur, nisi ipse offensam et iniuriam irrogatam retractet, quod fit per poenitentiam. Unde nota *s. Augustini* verba: *Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te . . fecit nescientem, iustificat volentem*[1]).

α. Conditio ad obtinendam remissionem peccatorum requisita diversis actibus a peccatore cum auxilio gratiae peragendis continetur. Hi actus nomine *conversionis* comprehenduntur, quae ex concilio tridentino his veluti gradibus completur. Peccator a fide in Deum et spe obtinendi per Dei misericordiam veniam peccatorum motus dolorem concipit de peccatis commissis cum proposito non amplius peccandi atque inchoandi novam vitam per observationem mandatorum Dei et ecclesiae[2]).

β. Concilium trid. complures actus, qui remissionem peccatorum et iustificationem praecedere debeant, enumerat: *fidem, timorem, spem, dilectionem* (initium dilectionis), *poenitentiam, propositum novae vitae, voluntatem suscipiendi sacramentum*[3]). His tamen non intendit docere omnes hos actus in quavis iustificatione necessarios esse, sed eos enumerat, qui in conversione peccatoris ordinarie adesse solent. Actus absolute necessarius isque explicitus est *poenitentia* seu dolor de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cetero; *fides, spes* et *votum suscipiendi sacramenti* sunt quidem et ipsa necessaria, sed implicite tantum; *caritas* autem perfecta ad remissionem peccatorum per sacramentum obtinendam necessaria non est, et pari modo *timor servilis* non requiritur.

2. Poenitentia, quae ad veniam peccatorum in sacramento obtinendam necessaria dicitur, est poenitentia *formalis*, actus scilicet detestationis et doloris formaliter elicitus; at non requiritur poenitentia specialis, sed sufficit *generalis* (215).

a. Quamvis non sit improbabilis theologorum sententia, quae tenet poenitentiam *virtualem* (quae in caritate continetur) per modum dispositionis ad obtinendam remissionem peccatorum (etiam mortalium) sufficere, per modum materiae sacramentalis tamen non sufficit; atqui ex probabili complurium sententia, actus poenitentiae constituit materiam huius sacramenti.

b. In caritate virtualiter et in voto continetur poenitentia seu detestatio peccati: *virtualiter*, quia is, qui Deum super omnia diligit,

---

[1]) Serm. 169. c. 11. n. 13.

[2]) Sess. 6. c. 6.

[3]) Sess. 6. c. 6.

eo ipso odio habet peccatum; in *voto*, quia is, qui Deum diligit, vult quae Deo placent; placet autem Deo detestatio peccati.

Articulus secundus.

De ipsa remissione peccati.

242. Principia. In hoc ordine providentiae nullum, ne veniale quidem peccatum, remittitur sine dolore de peccato comisso; iam quaeritur, utrum unum peccatum sine altero remitti possit, an vero omnia simul deleri debeant.

1. *Non potest remitti unum mortale sine altero.*

Cum peccatum mortale remittatur per infusionem gratiae sanctificantis, gratia autem sanctificans simul cum peccato mortali, cui gratia absolute repugnat, exsistere non possit, aut omnia remittuntur, quae in anima sunt, aut nullum.

2. *Potest remitti mortale sine remissione venialium.*

Cum venialia gratiae sanctificanti non repugnent et poenitentia de mortalibus haberi possit, quin etiam de venialibus habeatur, fieri potest, ut mortali per infusionem gratiae remisso venialia non condonentur, si poenitentia non se extendit etiam ad venialia. Sic si quis de peccatis suis dolet, quia infernum promeruit vel e beatitudine aeterna excidit, poenitentia ad venialia non se extendit.

3. *Non potest remitti veniale sine remissione mortalium.*

Impossibile est, quod Deus reconcilietur in re levi homini, qui adhuc graves inimicitias cum eo gerit. Insuper nullum remittitur peccatum veniale, nisi homo condignam satisfactionem Deo exhibuerit; sed exsistens in peccato mortali non potest condigne satisfacere: condigna enim satisfactio non est, nisi Deo grata sit et accepta; sed hominis peccatoris satisfactio, cum Dei sit inimicus, nequit Deo esse accepta.

4. *Unum veniale sine altero remitti potest.*

Cum de uno poenitentia haberi possit, quin etiam de altero habeatur et singula gratiae et amicitiae divinae non repugnent, nihil impedit, quominus unum condonetur non remisso altero. Qui tamen de omnibus vere dolet, ab omnibus simul liberari potest, tum per proprium actum doloris, si sufficientis perfectionis sit, tum per remedium ad id institutum e. g. per sacramentum.

Articulus tertius.

De remissione peccati venialis.

Cum peccatum veniale aeque ac mortale reatum culpae et reatum poenae inducat, explicanda est eius remissio quoad *culpam* et quoad *poenam*.

§ 1. De remissione quoad culpam.

Peccata venialia quandoque remittuntur *ex opere operantis* extra sacramenta, quandoque *ex opere operato* per sacramenta.

243. Ex opere operantis. Peccata venialia remitti ex opere operantis seu propriis hominis actibus non significat dispositiones hominis poenitentis vi et efficacia sua eorum remissionem efficere, cum solus Deus peccata, etiam venialia tantum, remittere possit; sed id significat solam dispositionem poenitentis sufficere ad eorum veniam a Deo obtinendam absque interventu alterius remedii ad id instituti e. g. sacramenti. Iam vero cum concilium tridentinum doceat peccata venialia extra sacramentum poenitentiae „multis aliis remediis expiari posse“[1]), constat ea etiam ex opere operantis, actibus nempe ipsius poenitentis remitti.

Deum ipsum remissionem peccatorum efficere patet: peccatum enim eo remittitur, quod Deus iram atque indignationem deponens se nobis propitium et placatum reddit, id quod solus Deus facere potest. Insuper quodvis peccatum, etiam veniale tantum, remittitur per infusionem gratiae, quam solus Deus infundere potest.

244. Dispositio requisita. 1. Peccatum veniale non remittitur sine actu *poenitentiae* saltem virtualis, quo peccator ab affectu peccati recedat illudque retractet. Deus enim de peccato in genere i. e. tum de mortali tum de veniali loquens eius remissionem solum sub conditione poenitentiae promittit (n. 241).

a. Non requiritur, ut poenitentia sit *formalis*, sed sufficit *virtualis*. Poenitentia *formalis* est actus, quo de ipso peccato commisso explicite

[1]) Sess. 14. c. 5.

dolemus illudque detestamur; poenitentia *virtualis* dicitur actus, qui peccato commisso directe contrarius est. Virtualem ergo poenitentiam elicit: α. qui a Deo veniam peccatorum petit; β. qui proponit se non amplius peccaturum esse; γ. qui exercet actum virtutis peccato contrariae; δ. qui quodcunque opus bonum exercet ea intentione, ut obtineat remissionem peccatorum[1]).

b. Poenitentiam virtualem ad obtinendam remissionem venialium sufficere inde colligitur, quod poenitentia sit necessaria dispositio ad remissionem peccatorum obtinendam; sed ad necessariam dispositionem aliud non requiritur, nisi ut voluntas retractet affectum ad peccatum veniale, quod obtinet per poenitentiam virtualem.

c. Ergo venialia peccata non remittuntur per quaevis opera bona hominis iusti, sed per ea tantum, quibus continetur saltem virtualis poenitentia et displicentia peccati seu quae directe opponuntur peccatis. Sic opus temperantiae non sufficit ad obtinendam veniam mendacii, quippe quod ne virtualem quidem retractationem mendacii contineat. Immo nec quilibet actus caritatis sufficit ad obtinendam veniam peccatorum venialium, quia non quivis actus caritatis excludit affectum ad peccata venialia. Potest enim quis Deum ita super omnia diligere, ut eum praeferat omnibus omnino, quae ei displicent; sed potest eum etiam ita super omnia diligere, ut eum praeferat omnibus, quae ei graviter displicent. Prior actus caritatis excludit affectum ad omnia peccata tum mortalia tum venialia; posterior actus caritatis consistere potest cum affectu etiam actuali ad peccatum veniale.

2. Etsi *attritio* ad obtinendam remissionem peccatorum venialium extra sacramentum sufficiat, ea tamen ex perfectiore motivo concepta esse debet.

Contritionem perfectam, quae etiam ad venialia se extendat, ad eorum remissionem obtinendam sufficere non est dubium; verum ad hunc effectum extra sacramentum obtinendum necessaria non est.

a. Secundum doctrinam concilii tridentini peccata venialia extra sacramentum poenitentiae multis aliis remediis expiari possunt[2]); sed si contritio ad veniam peccatorum venialium obtinendam necessaria esset, ipsa unicum medium ad hunc finem dicenda esset. Et sane offensae levioris etiam facilior erit remissio; cum ergo peccatum mortale sola contritione perfecte deleatur, peccatum veniale etiam contritione imperfecta deleri poterit.

b. Motiva attritionis duplicis generis distingui possunt: altera perfectoria, ut si quis de venialibus dolet, quia sunt contra oboedientiam et reverentiam Deo debitam, quia minuunt honorem et cultum Dei, quia retardant coniunctionem cum Deo etc.; altera minus perfecta, quae

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 35.

[2]) Sess. 14. c. 5.

desumuntur ex turpitudine peccati, quatenus peccatum animam deturpat, ex metu purgatorii, ex metu poenarum temporalium. Iam vero si eadem attritio ad obtinendam veniam peccatorum venialium in sacramento et extra sacramentum sufficeret, sacramentum poenitentiae nunquam deleret culpam venialem: nam ante susceptionem sacramenti per attritionem iam essent remissa; sed sacramentum poenitentiae nunquam remittere peccata venialia est contra mentem Christi, qui poenitentiam etiam ad delenda venialia instituit, et contra sensum et praxim fidelium, qui ideo frequenter confitentur, quia eis persuasum est se per sacramentum poenitentiae veniam peccatorum venialium obtinere[1]).

245. Ex opere operato. *a.* Ut peccata venialia remitti dicantur *ex opere operato,* tria requiruntur: primo quidem ut id, per quod peccata venialia remitti dicuntur, moveat Deum ad effectum producendum *vi institutionis,* i. e. ut ipsum signum seu instrumentum ad id institutum vim habeat producendi effectum, remissionem sc. venialium; deinde vero ut effectus, ad quem producendum Deus movetur, supposita necessaria dispositione sit immediate *ipsa remissio* peccatorum venalium, non collatio supernaturalis auxilii, quo homo ad obtinendam remissionem [redacted] disponat; tertio tandem, ut peccata vi remedii a Deo instituti deleantur *absque ea dispositione,* quae ipsa per se ad delenda venialia sufficiat.

b. Sacramenta vim habent remittendi peccata venialia *ex opere operato.* Id de quatuor sacramentis: de *baptismo, poenitentia, extrema unctione* et *eucharistia* certum est. Baptismus enim et poenitentia primario ad delenda peccata sive mortalia sive venialia instituta sunt; extrema unctio itidem secundario ad remittenda peccata instituta est; de eucharistia tandem dubitari vix potest, cum concilium tridentinum dicat: „Sumi autem voluit (salvator noster) hoc sacramentum tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis“[2]). Quoad *confirmationem, ordinem* et *matrimonium* res minus certa est, complures tamen theologi id affirmant. Quamvis enim ad peculiares effectus

[1]) Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 9. n. 29.

[2]) Sess. 13. c. 3.

producendos a Christo sint instituta, cum aliis tamen sacramentis in hoc conveniunt, quod sint peccatorum remedia, immo quandoque per ea etiam gratia prima confertur et peccata mortalia delentur[1]).

c. Per sacramenta remittuntur peccata venialia absque ea dispositione, quae per se ipsa sufficiat ad eorum veniam obtinendam. Ut ergo per sacramenta remittantur peccata venialia, alia dispositio praeter attritionem de mortalibus (in sacramentis mortuorum) vel gratiam sanctificantem (in sacramentis vivorum) non requiritur, quam intentio et voluntas suscipiendi sacramentum in remedium suorum peccatorum absque actuali affectu ad ullum veniale: hac enim intentione continetur virtualis displicentia, quae est necessaria dispositio ad obtinendam veniam peccatorum venialium per sacramenta[2]).

Num per *sacramentalia*, num per *missae sacrificium* deleantur peccata venialia, suis locis dicitur n. 47 et n. 170.

§ 2. De remissione quoad poenam.

246. Remissio eiusque modi. 1. Nondum remissa culpa nequit remitti poena: culpa enim est causa, ob quam homo dignus sit poena; sed nondum sublata causa nequit auferri effectus.

2. Remissa culpa mortali, eo ipso remittitur poena aeterna; sed remissa culpa veniali, eo ipso non remittitur poena temporalis.

Ratio primi: peccatum mortale remittitur infusione gratiae sanctificantis, qua confertur ius ad vitam aeternam; sed non potest in eodem homine simul esse ius ad vitam aeternam et necessitas subeundi poenam aeternam; ideo remissa culpa necessario remittitur poena aeterna vel potius poena aeterna in temporalem commutatur.

Ex dispositione divinae voluntatis poena aeterna in hoc sacramento non prorsus deletur, sicut in baptismo, sed mutatur in temporalem, id quod inferius declarabitur.

Ratio secundi: Ex natura rei nihil impedit, quominus remissa culpa veniali remaneat solvenda poena; ex fide autem

[1]) Cf. *Lugo.* De poenit. disp. 9. n. 53.

[2]) Cf. *Sporer* l. c. n. 42 s.; *s. Alphonsus* l. 6. n. 270.

novimus Deum ita statuisse, ut remissa culpa mortali solvenda maneat poena temporalis; exinde vero concludimus remissa culpa veniali non remitti etiam omnem poenam temporalem[1]).

Poena temporalis pro mortali remisso debita una cum ipsa culpa vel tota vel eius maior minorve pars remittitur pro perfectione dispositionis in poenitente exsistentis. Item poena pro remissis venialibus debita una cum reatu culpae vel tota vel [redacted] parte deletur pro poenitentis dispositione.

3. Poena temporalis triplici modo remitti seu exsolvi potest:

a. Satisfactione voluntaria in hac vita, sive ea sacramentalis est sive extrasacramentalis per opera virtutum, inter quae eminet oblatio et auditio sacri.

b. Satispassione purgatoria in altera vita.

c. Indulgentiis, quibus Deus solutionem ex satisfactionibus Christi et sanctorum ab ecclesia factam acceptat.

Caput secundum.

De subiecto poenitentiae.

Subiectum capax sacramenti poenitentiae est omnis et solus homo, qui post baptismum in peccatum sive mortale sive veniale lapsus est. Ad hoc sacramentum valide et cum fructu suscipiendum requiruntur actus poenitentis, scilicet *contritio, confessio* et *satisfactio.* Iam de his actibus, qui simul materiam sacramenti et dispositionem subiecti constituunt, in hoc capite agendum est.

[1]) Cf. *Concil. trid.* sess. 6. can. 30.

Quaestio prima.

De contritione.

Articulus primus.

De natura contritionis.

247. Definitio. *Contritio* generice accepta a concilio tridentino definitur *animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*[1]).

Contritio utrumque actum, et dolorem et detestationem, essentialiter complectitur. Et *dolor* quidem est actus, quo voluntas de malo praesenti, scilicet de peccato, tristatur et affligitur, *detestatio* autem est actus, quo a malo, scilicet a peccato, se avertit, illud odit et damnat et, si fieri posset, destrueret, vellet nempe peccatum non esse factum. Ceterum horum actuum unus ab altero in viatore nunquam seiungitur: qui enim odit peccatum commissum, de ipso etiam dolet, et qui dolet de peccato commisso, illud necessario etiam detestatur; ex natura actuum vero patet dolorem supponere detestationem, ex qua dolor necessario sequitur (n. 215). *Cum proposito:* ex hoc actu detestationis et doloris sequitur alius actus: propositum emendationis, quod propositum non amplius peccandi saltem implicitum cum detestatione et dolore ad essentiam contritionis pertinet. Tres igitur actus essentialiter in contritione continentur: dolor, detestatio et propositum, quorum priores praeteritum respiciunt, propositum vero circa futurum versatur[2]).

Divisio. Duplex distinguitur contritio, altera *perfecta,* quae simpliciter contritio dicitur, altera *imperfecta,* quae proprio nomine attritio vocatur. Illa concipitur ex motivo caritatis et peccatorem iustificat extra sacramentum; haec concipitur ex alio motivo inferiore et peccatorem non iustificat nisi cum sacramento baptismi vel poenitentiae. Dupliciter ergo contritio et attritio ab invicem differunt: *motivo et effectu,* et sub eodem duplici respectu contritio prae attritione perfectior est.

---

[1]) Sess. 14. c. 4.

[2]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 58 ff.

248. De contritione. 1. *Definitio.* *Contritio perfecta* definitur: animi dolor et detestatio peccati, quia peccatum offendit Deum super omnia dilectum. Ergo contritio perfecta in se continet saltem virtualiter et implicite caritatem perfectam. Ideo concilium trid. dicit, contritionem esse *caritate perfectam*[1]).

Formalis actus caritatis ad habendam contritionem perfectam non est necessarius: peccator enim considerat peccatum tamquam infinitae Dei bonitati repugnans, atque ex hoc motivo illud detestatur; contritio tamen perfecta maiorem praestantiam sortitur, si ante vel post contritionem elicitur formalis actus caritatis. Virtualiter autem caritas in contritione continetur: contritus enim detestatur peccatum, quia hoc repugnat Deo, summo bono, super omnia amabili et amando; sed eo ipso summam Dei bonitatem virtualiter et implicite, immo plerumque etiam formaliter et explicite amat.

2. *Motivum.* Contritio perfecta procedere debet ex motivo caritatis; motivum autem caritatis constituunt tum bonitas Dei infinita seu complexus omnium perfectionum infinitarum Dei, tum etiam singulae perfectiones (sive absolutae sive relativae), quae utpote infinitae ab essentia Dei non distinguuntur, sed sunt ipsa Dei essentia sub peculiari aliqua ratione concepta. Deus enim summe amabilis est non solum propter infinitam omnium perfectionum plenitudinem sed etiam propter quamcunque aliam perfectionem, puta potentiam, sapientiam, iustitiam, benignitatem, misericordiam etc.

Qui igitur detestatur peccatum, quia est contra infinitam Dei bonitatem super omnia amandam, aut quia est contra Dei iustitiam, benignitatem, misericordiam etc. pariter super omnia amandam, contritionem perfectam elicit[2]).

Nota. Quamvis haec formula a fidelibus (praesertim in Germania) usitata: *Doleo ex toto corde, quod Dominum Deum meum tam graviter offenderim* in rigore terminorum non exprimat dolorem ex motivo caritatis, ob summam nempe Dei bonitatem, sed ex motivo poenitentiae, sc. ob offensam vel iniuriam Deo illatam; qui tamen serio et ex corde haec verba proferunt, plerumque veram contritionem eliciunt, quia haec pie ac serio proferentes offensam Dei non tam ut iniuriam Deo irrogatam, sed ut amaritudinem et displicentiam Deo, optimo patri, per peccata

[1]) Cf. Sess. 14. c. 4.

[2]) Cf. De praeceptis[12] n. 55.

illatam apprehendunt atque ex hoc motivo de peccatis suis dolent, quod est motivum caritatis[1]).

249. *Effectus.* 1. Contritio perfecta *hominem iustificat extra sacramentum,* id quod constat ex s. scriptura tum novi tum veteris testamenti:

a. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus[2]). Caritas passim in s. litteris ita exhibetur, ut removeat peccatum: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*[3]). Quod valet de caritate, valet etiam de contritione, quippe quae caritatem saltem virtualiter contineat; atqui caritas ex Ioanne iustificat: qui enim Deum super omnia diligit, a Deo redamatur, et Deus in eo stabiliter inhabitat; haec autem non compatiuntur praesentiam peccati[4]).

b. Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua[5]). *Cum quaesieris dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris eum*[6]). Conversio, de qua sermo est in citatis textibus, est contritio perfecta, quae sola dici potest conversio *ex toto corde;* ad conversionem autem sequitur remissio peccatorum et iustificatio.

c. Ideo concilium trid. docet per contritionem caritate perfectam hominem reconciliari Deo, priusquam sacramentum poenitentiae suscipiat[7]). Contritio tamen iustificationem non producit tamquam proprium effectum, sed est ultima dispositio a Deo requisita, qua posita infunditur gratia sanctificans.

2. Contritio perfecta in nova lege *non iustificat sine voto sacramenti:* actus enim contritionis perfectae, qui olim se solo iustificare poterat impium, post institutum sacramentum ex voluntate divina peccata non delet nisi in ordine ad claves ecclesiae, ergo manente obligatione eadem peccata, si fieri potest, subiiciendi clavibus per confessionem sacramentalem. Et sane concilium tridentinum docet reconciliationem non esse adscribendam contritioni sine sa-

---

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. tract. 9. n. 131.
[2]) Ioan. 14, 23.
[3]) Luc. 7, 47.
[4]) Cf. *De praeceptis*[13] n. 57.
[5]) Ezech. 33, 12.
[6]) Deut. 4, 29.
[7]) Sess. 14. c. 4.

cramenti voto, quod in illa includitur[1]). Sufficit autem, ut hoc votum seu propositum confitendi sit implicitum in actu contritionis, non requiritur explicitum.

250. De attritione. 1. *Definitio. Contritio imperfecta seu attritio* est dolor et detestatio peccati procedens non ex motivo caritatis, sed ex alio motivo inferiore, attamen relationem habente ad Deum: nam sine respectu ad Deum vera attritio, quae est conversio ad Deum, concipi nequit; et propterea differt attritio a quavis alia detestatione peccati ad iustificationem insufficiente, qualis esset detestatio peccati, quatenus nocet famae vel sanitati. Omne igitur motivum detestandi peccatum propter Deum, quod non est motivum proprium caritatis, est motivum attritionis.

2. *Motiva attritionis.* A concilio tridentino motiva attritionis revocantur ad haec tria: *ad turpitudinem peccati et ad metum gehennae et poenarum,* quae singula ad concipiendam attritionem, prout in sacramento poenitentiae requiritur, sufficiunt[2]).

a. Turpitudo peccati a concilio tridentino non ea intelligitur, qua peccatum opponitur naturae rationali, sed ea, qua peccatum opponitur Deo praecipienti. Quodvis autem peccatum continet in se multiplicem turpitudinem seu malitiam: inoboedientiam, ingratitudinem, contumeliam, contemptum etc.; insuper quodvis peccatum mortale in ipso peccatore funestissimos effectus producit: animam gratia sanctificante ideoque vita supernaturali privat, coram Deo deturpat, mancipium satanae et Deo exosam constituit. Atqui omnia haec motiva comprehenduntur nomine *turpitudinis peccati,* quorum quodlibet sufficiens est ad attritionem concipiendam.

b. Metus gehennae est metus poenarum supernaturalium et aeternarum, quae a Deo propter peccatum infliguntur, scilicet amissio meritorum, privatio beatitudinis, poena inferni.

c. Metus poenarum: intelliguntur poenae temporales sive alterius sive huius vitae, non prout hae naturaliter ex peccato sequuntur, sed prout a Deo per peccatum offenso et iusto peccatorum vindice infliguntur.

---

[1]) Sess. 14. c. 4.

[2]) Cf. sess. 14. c. 4.

251. *Effectus.* Licet attritio extra sacramentum iustificare non possit, *ad iustificationem tamen in sacramento obtinendam sufficienter disponit.* Et sane attritus a creaturis recedit et iam in Deum tendit, cui reconciliari cupit: atqui ad iustificationem obtinendam per sacramentalem absolutionem haec dispositio sufficit. Haec est clara doctrina concilii tridentini[1]), adeo ut opposita sententia improbabilis, haec autem certa dici debeat; hinc ne in articulo mortis quidem necesse est, ut actum contritionis eliciat is, qui cum attritione sacramentum poenitentiae suscepit[2]).

a. Ex doctrina concilii tridentini certum est ad iustificationem sive per baptismum sive per absolutionem obtinendam sufficienter disponere attrittionem. Cum idem concilium nihilominus dicat: qui ad iustificationem se disponunt *Deum diligere incipiunt*[3]), quaeritur, quid sit ille *amor initialis*, qui ut dispositio ad iustificationem requiritur. Amor iste initialis imprimis non requiritur ut motivum doloris, sed ut actus dolorem concomitans, qui in debita dispositione ad iustificationem semper continetur, sive in spe veniae sive in proposito sive in ipso dolore[4]).

In dolore: qui enim de peccatis suis dolet, vult Deum sibi propitium reddere; sed hoc ipso iam ad caritatem accedit; *in proposito:* qui enim de peccatis suis dolet, vult servare omnia praecepta, in quibus continetur etiam praeceptum caritatis Dei; habet ergo caritatem Dei in proposito et in voto; *in spe:* qui enim de peccatis suis dolet, sperat remissionem peccatorum ad obtinendam vitam aeternam; sed vita aeterna est perfectissima cum Deo amicitia; habet ergo caritatem pro fine ultimo, in quem tendit.

b. Quandoquidem attritio cum sacramento peccatorem iustificat, illud axioma invaluit: *poenitentem per sacramentum ex attrito fieri contritum.* Quod axioma non *formaliter* intelligendum est, ac si actus attritionis per absolutionem fieret actus contritionis, vel attritus vi absolutionis semper necessario eliceret contritionem; sed *effective*, quatenus attritio cum sacramento eundem effectum producit, quem producit contritio sola sine sacramento, cum peccatorem Deo reconciliet atque amicitiam cum Deo restauret.

---

[1]) Sess. 14. c. 4.
[2]) Cf. *Pesch* VII. n. 159 ss.
[3]) Sess. 6. c. 6.
[4]) Cf. *Lehmkuhl* II. n. 289 (n. 391).

Articulus secundus.

De necessitate contritionis.

252. Num necessaria sit et quando. Poenitentia homini, qui grave peccatum commisit, ad salutem simpliciter necessaria est (n. 241); at ipsa sola non sufficit, nisi accedat aut caritas aut sacramentum poenitentiae. Hoc loco consideranda est necessitas contritionis perfectae, quatenus est medium se reconciliandi cum Deo et gratiam iustificationis consequendi.

1. Peccatori contritio perfecta *necessaria est necessitate medii et praecepti tum naturalis tum divini positivi* ad salutem consequendam, nisi adsit occasio suscipiendi sacramentum[1]). *a.* Contritionis effectus, scilicet iustificatio, iis, qui constituti sunt in peccato mortali, simpliciter necessaria est ad salutem; ergo eadem necessitate necessarium est etiam medium ad eundem effectum obtinendum. *b.* Lex naturalis obligat ad usurpandum medium ad salutem necessarium; in sacra scriptura autem multoties expresse praecipitur poenitentia (n. 241). Attamen praeceptum contritionis perfectae solum obligat in defectu sacramenti: in nova enim lege contritio perfecta ad iustificationem consequendam non est amplius absolute necessaria, sed sufficit attritio cum sacramento baptismi vel poenitentiae, idque ex voluntate Christi Domini, qui instituendo sacramenta mortuorum novum medium dedit hominibus consequendi salutem aeternam. Qui ergo per sacramentum baptismi vel poenitentiae aut iustificari intendit aut iam iustificatus est, praecepto contritionis non obligatur.

2. Contritio perfecta *per se necessaria est in morte:* etenim si contritio est medium ad salutem necessarium, hoc certe eo tempore usurpari debet, post quod usurpari amplius non potest.

Qui ergo in certo vel probabili periculo mortis reperitur nec opportunitatem suscipiendi sacramentum poenitentiae habet, tenetur

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 4.

contritionem perfectam elicere; si tamem sacramentum cum attritione suscepit, non tenetur insuper elicere actum contritionis perfectae, cum iam certo sit iustificatus. Expedit tamen, ut moribundi excitentur, quantum fieri potest, ad actus perfectae caritatis et contritionis eliciendos[1]).

3. Contritio perfecta per se necessaria est, quando urget *praeceptum se reconciliandi cum Deo* nec adest occasio instituendi confessionem (n. 217).

4. Contritio perfecta *per accidens necessaria est* in his casibus: *a.* si minister consecratus exsistens in statu peccati mortalis sollemniter administrare et conficere debeat sacramentum, nec adsit copia confessarii; *b.* si quis exsistens in mortali suscipere debeat sacramentum vivorum et confiteri aut non possit aut nolit; *c.* si quis exsistens in mortali graves tentationes patitur, quas putat se vincere non posse, nisi ad Deum conversus maiora gratiae auxilia obtineat: debet enim adhibere media ad evitandum peccatum necessaria.

Articulus tertius.

De dotibus contritionis.

253. Dotes contritionis hoc loco sepositis controversiis scholasticis ita expendendae sunt, ut pateat, quid ad absolutionem certo validam requiratur. Ut igitur contritio sive perfecta sive imperfecta ad sacramentum valide suscipiendum sufficiat, debet esse vera, supernaturalis, universalis, super omnia.

1. *Vera et formalis,* i. e. necessario elici debet actus, quo voluntas ex motivo sufficienti de peccato doleat illudque detestetur; siquidem contritio saltem dispositionem necessariam sacramenti poenitentiae constituit, ideo *vere;* contritio probabiliter partem essentialem sacramenti constituit, quare ipsa *formaliter* adesse debet.

[1]) Cf. *W. Lerch,* Das lezte Mittel (Warnsdorf, Opitz), *J. von den Driesch,* Die vollkommene Reue, ein goldener Himmelsschlüssel (Köln, Bachem), qui de natura contritionis deque modo eam eliciendi accomodate ad captum vulgi disserunt.

a. Quia contritio debet esse *vera*, non sufficit mera recitatio formulae contritionis, nisi simul adsit affectus voluntatis; nec sufficit dolor solum existimatus, etsi ex invincibili ignorantia aliquis putet se habere dolorem; nec sufficit desiderium doloris et absolutionis; nec tandem sufficit dolor de poena vel alio effectu malo, qui ex peccato secutus est: sed requiritur ipse dolor, isque de peccato, quo offenditur Deus. Et quia contritio debet esse *formalis*, non sufficit dolor virtualis tantum et implicite in alio actu contentus e. g. in actu caritatis perfectae: licet enim actus caritatis perfectae vim habeat delendi peccata mortalia extra sacramentum, non tamen sufficit ad obtinendam remissionem peccatorum vi sacramenti, sed requiritur materia proxima sacramenti, quae est actus doloris et detestationis de peccatis commissis, sive haec sunt mortalia sive venialia.

b. Antiquorum theologorum praesertim ante concilium tridentinum complures autumabant *contritionem existimatam*, qua poenitens bona fide putat se esse contritum, ad validam absolutionem recipiendam sufficere[1]). Verum haec sententia omni probabilitate caret. Contritio existimata poenitentem praeservat quidem a peccato sacrilegii, at ipsa nequit efficere, ut absolutio valida sit[2]). — *Contritionem virtualem* ad validam absolutionem obtinendam sufficere, nonnulli recentiorum quoque *(Lugo, Ballerini)* contendunt[3]); verum cum haec sententia probabilitatem non excedat, in praxim deduci nequit sine periculo frustrandi sacramenti.

c. Pro praxi tamen moneri debet: qui sunt timoratae conscientiae et optant habere dolorem vel dolent se non dolere, modo eum elicere conentur, plerumque habent verum dolorem, etsi illum non percipiant. Cum igitur non tam ipse dolor quam potius qualitas doloris eaque ad sacramentum non necessaria desit, dolor scilicet intensus et sensibilis, eis non est neganda absolutio, qui desiderant habere dolorem vel dicunt se dolere, quod non habeant dolorem, dummodo serio velint a peccatis mortalibus abstinere et obligationes saltem graves implere.

254. 2. *Supernaturalis* tum ratione principii tum ratione motivi; dolor enim est dispositio ex voluntate Dei necessario requisita ad obtinendam iustificationem, quae cum sit prorsus supernaturalis, etiam dispositio ad eam requisita debet esse supernaturalis.

a. Ratione principii: i. e. contritio elici debet cum supernaturali Dei auxilio, scilicet cum actuali gratia movente et adiuvante ad actum

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 33 ss.
[2]) Ibid. n. 46 nota.
[3]) Ibid. n. 52 ss.

doloris et detestationis eliciendum: nam dolor mere naturalis solis naturae viribus conceptus in sacramento poenitentiae non sufficit.

b. Ratione motivi: i. e. dolor elici debet ex motivo supernaturali i. e. ex motivo, *quod relationem habet ad Deum,* prout eam habent motiva a concilio tridentino enumerata, non ex motivo mere naturali, cuiusmodi esset peccatum prout adversatur naturae rationali, affert detrimentum famae, sanitatis etc. Sunt, qui ad contritionem supernaturalem exigant motivum hoc sensu supernaturale, quod cognitum esse debeat ex revelatione et per lumen fidei apprehensum; iam vero, etsi actus contritionis vere supernaturalis non exigat motivum hoc sensu supernaturale, reipsa tamen poenitens vix unquam carebit contritione etiam ratione motivi vere supernaturali, quia motiva a concilio tridentino enumerata ex fide desumpta sunt et a poenitentibus lumine fidei apprehenduntur.

255. 3. *Universalis,* quae vel explicite vel implicite se extendat saltem *ad omnia peccata mortalia nondum remissa,* etsi forte memoriae non occurrant: nullum enim peccatum remittitur absque poenitentia; atqui unum peccatum sine altero remitti nequit; ergo dolor se extendere debet saltem ad omnia mortalia nondum remissa. At necesse non est, ut explicite, sed sufficit ut *implicite sit universalis,* i. e. ut ex motivo universali eliciatur. Nec necesse est, ut etiam ad venialia nondum remissa se extendat, quia mortalia sine venialibus remitti possunt.

a. Explicite: duplici modo fieri potest, ut dolor explicite se extendat ad omnia mortalia: primo quidem si poenitens de singulis peccatis totidem distinctos dolores elicit, deinde vero si unico actu doloris poenitet de omnibus et singulis, quorum distincte recordatur et quae actu in memoriam revocat. Etsi ad iustificationem sive in sacramento sive extra sacramentum obtinendam non requiritur, ut dolor explicite se extendat ad omnia peccata mortalia, per se tamen utilissimum et valde suadendum est, ut poenitens singula peccata recogitet et omnia et singula detestetur.

b. Implicite: duplici iterum modo fieri potest, ut dolor implicite se extendat ad omnia mortalia: primo si poenitens cognoscat se esse in statu peccati, utpote reum plurium mortalium, et actu doloris ex motivo universali concepto doleat de omnibus, quae sic in confuso cognoscit; deinde vero si de uno tantum expresse et in specie cogitet et de eodem doleat ex motivo universali omnibus peccatis mortalibus communi. Eo ipso enim, quod ex motivo universali unum peccatum detestatur, implicite necessario detestatur etiam omnia alia peccata

a se commissa, quae propter idem motivum detestari merentur, licet eorum non recordetur[1]).

256. 4. *Appretiative summa seu super omnia.* Debet igitur poenitens peccatum mortale aestimare maius malum illudque propterea magis detestari, quam ullum aliud malum, et animo paratus esse potius subire aliud malum quodcunque, quam denuo peccatum committere. Peccatum enim summum malum est, utpote summo et infinito bono contrarium. Insuper vera contritio *omnem voluntatem peccandi* excludere debet[2]); sed nisi poenitens peccatum detestetur super omnia, non excluditur omnis voluntas peccandi, cum ita dispositus sit, ut propter aliquod malum vitandum comittere velit peccatum.

a. Attamen necessarium non est, immo ordinarie dissuadendum est, ut *comparationes expresse instituantur* inter peccatum et particulare aliquod malum subeundum (potius vivus comburi, potius martyrum tormenta sustinere etc. quam iterum peccare). Et si eiusmodi comparationes sive sponte occurrant sive a tentatore suggerantur, nihil eligendum est, sed omnia reiicienda sunt hac pia et firma voluntate: nolo amplius peccare et gratia divina adiutus spero me non esse peccaturum.

b. Non est necesse, ut contritio sit *intensive summa.* Intensive summa esset contritio, si ipse actus voluntatis, quo de peccato commisso dolemus, maior et vehementior esset, quam actus, quo de alio quocunque malo quantumvis gravissimo dolemus. Dolor autem nec intensive summus, nec etiam dolor certi et determinati gradus intensitatis requiritur, sed sufficit verus et internus dolor in quocunque gradu etiam remisso: ubi enim essentia contritionis habetur, sufficiens adest dispositio ad remissionem cuiusvis peccati; sed essentia contritionis in quovis gradu verae contritionis habetur.

c. Ex eadem ratione deducitur sufficientem contritionem non exposcere aliquam *moram temporis:* vera enim contritio a voluntate elici potest in instanti; valde tamen suadendum est, ut in eliciendo dolore aliquod tempus insumatur, quo certior sit dolor atque intensior.

d. Tandem ad contritionem, quae ad iustificationem sufficiat, non requiritur, ut dolor sit *sensibilis,* qui scilicet in appetitum sensitivum redundet et in actus sensibiles, in teneros cordis affectus, suspiria et lacrimas erumpat, sed sufficit, ut sit spiritualis, quo scilicet

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 88 ss.

[2]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 4.

voluntas ex motivo sufficienti doleat et detestetur peccatum commissum. Nam sensibilis eiusmodi dolor non est in nostra potestate nec ad perfectionem contritionis pertinet: fieri enim potest, ut absque dolore sensibili vehementius aliquis doleat quam alius, qui ad teneros affectus et lacrimas natura sua pronus est. Plerumque tamen eiusmodi signa sensibilia in iis, qui vere et sincere dolent, indicia magni et vehementis doloris sunt.

c. His non negatur contritionem exterius *signo sensibili manifestari* debere: contritio enim ex multorum probabili sententia est pars essentialis sacramenti; partes autem sacramenti necessario debent esse sensibiles. Porro sensibilis fit per dolorosam peccatorum confessionem, per devotam absolutionis petitionem et exspectationem aliisque signis externis.

Quaestiones particulares. Declaratis dotibus contritionis nonnullae quaestiones, quae huc spectant, proponendae et solvendae sunt. In his quaestionibus pertractandis attendi debet doctrina probabilis, scilicet actus poenitentis esse partes *essentiales* et materiam proximam sacramenti, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur.

257. *Quando dolor elici debeat.* *a.* Necessario elici debet *ante sacramentalem absolutionem:* nemo enim valide absolvi potest, qui non sit rite dispositus; qui autem de peccatis commissis non dolet, non est rite dispositus.

b. Per se non requiritur, ut *ante confessionem* eliciatur, quamvis hoc valde suadendum sit, sed sufficit, ut post confessionem eliciatur, sive quod ipse poenitens post confessionem demum ad dolorem se disponat, sive quod a confessario post confessionem tandem ad detestandum peccatum disponatur.

Confessio absque praevio dolore peracta potest quidem videri insufficiens ad validam absolutionem recipiendam, tum quia est simplex narratio peccatorum, non sacramentalis accusatio, tum quia dolor qui confessionem subsequitur, nullo signo sensibili manifestatur: nam ordinarie solum per confessionem dolor fit sensibilis. Attamen non est dubium, quin in eo, qui post confessionem, sed ante absolutionem vere dolet, utrumque reperiatur, et sacramentalis confessio et dolor exterius manifestus. Eo ipso enim, quod poenitens confessus est cum animo obtinendi absolutionem, confessio est sacramentalis; dolor autem fit sensibilis, eo quod poenitens absolutionem exspectans accusationem

subsequente dolore informatam quasi continuat atque ad absolutionem ordinat: confessio enim, absolutionis petitio eiusque exspectatio moraliter ad confessionem pertinent eamque constituunt et complent.

c. Non est tamdiu ante confessionem eliciendus, ut tempore confessionis non amplius moraliter perduret. Tamdiu autem dolor moraliter durare censetur, quamdiu revocatus non fuit et virtualiter i. e. in aliquo effectu e. g. in voluntate confitendi, in fuga occasionum, in frequentioribus orationibus etc. perdurat.

α. Quamdiu dolor elicitus virtualiter perduret, accurate determinari nequit: dolor enim intensus et dolor ad confessionem ordinatus diutius durat, quam remissus et ad confessionem non ordinatus. Sine dubio per tres quatuorve horas, immo per integrum diem vel integram noctem et in quibusdam adiunctis (ubi nimirum confessio non ex mera devotione vel ex obligatione, sed ex dolore de peccatis concepto instituitur) etiam per plures dies perdurare potest. Ceterum in sententia eorum, qui affirmant dolorem non esse nisi necessariam dispositionem, sufficit, ut dolor habitualiter perduret; habitualiter autem durat, quamdiu non revocatur. Dolor ante confessionem elicitus revocari censetur per lapsum in peccatum; et per peccatum quidem mortale omnis dolor revocatur, per peccatum autem veniale saltem dolor de illo ipso peccato, quod committitur.

Qui igitur mane e. g. ad confessionem se praeparavit, potest vespere sine novo actu doloris valide et licite confiteri: dolor enim mane in ordine ad confessionem elicitus et non revocatus vespere adhuc durare censetur, adeo ut vi illius doloris confessio sit dolorosa.

β. Duo hic pro praxi animadvertenda sunt. Et primo quidem fidelibus inculcandum est, ut dolorem eliciant ante confessionem: facillime enim fieri posset, ut parva illa mora, dum datur absolutio, non sufficiat ad contritionem concipiendam, atque ideo absolutio suo effectu frustretur. Deinde vero nullatenus necessarium est, ut confessarii poenitentem, quem in confessionali tandem ad debitam dispositionem movere poterant, ad hoc inducant, ut exterius dolorem manifestet et ad peccata iam exposita explicite referat dicendo e. g. doleo de peccatis meis iam expositis, vel doleo de peccatis meis, de quibus iterum me accuso, sed eum absque nova accusatione absolvere possunt.

258. *Num dolor elicitus esse debeat cum intentione confitendi.* — Sententia negans vera esse videtur et moraliter certa: sufficit enim, ut confessio sit dolorosa; ad hoc autem non requiritur, ut dolor eliciatur ex intentione confitendi, modo postea, quando instituitur confessio, dolor moraliter

adhuc perduret. Huius rei ratio ex tridentino desumitur, quod accurate describens contritionem ad sacramentum requisitam nullibi exigit, ut dolor eliciatur ex intentione confitendi[1]).

Qui ergo nihil cogitans de confessione contritionem elicuit, potest sine novo dolore ad sacramentum accedere, modo contritio moraliter perduret. Ad huius rei declarationem notandum est fuisse auctores, qui ad validam absolutionem non solum moralem unionem inter dolorem et confessionem postularent, sed insuper exigerent, ut dolor eliciatur in ordine ad absolutionem et per intentionem poenitentis ad sacramentum referatur: nam, aiunt, partes sacramenti (materia et forma) per intentionem ad sacramentum ordinari debent. Verum admissa sententia, vi cuius actus poenitentis sint partes sacramenti, solum illae partes, quae a ministro ponuntur, ex intentione conficiendi sacramentum fieri debent. Cum igitur illorum auctorum sententia omni fundamento careat, non videtur esse probabilis[2]).

259. *Num unus actus doloris pro pluribus absolutionibus suffieiat.* — Nihil obstat, quominus unus actus doloris pro iterata absolutione sufficiat, sive haec novum iudicium sacramentale sive solum complementum prioris absolutionis constituat, dummodo dolor antea elicitus fuerit universalis et virtualiter perduret, quia nihil impedit, quominus idem dolor pro duabus absolutionibus sufficiat[3]).

a. Si ergo poenitens peccata iam rite accusata et remissa postea e. g. sequenti die iterum subiiciat clavibus, dolor heri elicitus sufficit, ut valida absolutio denuo concedi possit, dummodo hesternus dolor universalis virtualiter adhuc perseveret. Suadenda tamen est renovatio.

b. Si poenitens statim vel paulo post absolutionem peccatum ex oblivione omissum confitetur, consultum quidem est renovare dolorem, attamen necessarium non est, sed sine novo dolore valide et licite dari potest absolutio. Dolor enim antea elicitus utpote, ut supponitur, universalis etiam ad hoc peccatum se extendebat nec revocatus fuit. Cum hac sententia concordat etiam praxis confessariorum, qui in eiusmodi casu non solent monere poenitentem de renovando dolore[4]).

---

[1]) Cf. sess. 14. c. 4.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 37 ss.; *Suarez* disp. 20. sect. 4. n. 29; *Ballerini-Palmieri* V. n. 76 ss.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 24 ss.; *Tamburini* Methodus expeditae confess. l. 1. c. 2. n. 8; *Ballerini-Palmieri* V. n. 81 ss.

[4]) *Dicastillo* tr. 8. disp. 6. n. 165.

c. Si moribundus, qui propter mortis periculum audito uno alterove peccato absolutus est, postea confessionem complet, non est necesse, ut ante secundam absolutionem dolorem renovet, licet id in his casibus consultum sit.

260. ***Num sacramentum poenitentiae possit esse informe.*** Si quis accedit ad sacramentum poenitentiae bona fide putans se habere attritionem sufficientem, quam reapse non habet, effectum sacramenti percipere non potest, quia dolor ad remissionem peccatorum obtinendam absolute necessarius est. Immo sacramentum non solum effectu caret, verum etiam invalidum est: actus enim contritionis saltem ut dispositio non solum ad sacramentum fructuose, sed etiam ad illud valide suscipiendum omnino requiritur[1]). Ergo in hoc casu sacramentum poenitentiae nequit esse informe. Inter casus, de quibus quaeri potest, potissimum is est: si dolor poenitentis bona fide non sit universalis, ut si quis duorum peccatorum reus unius plane immemor de altero dolet ex motivo particulari. Utrum in hoc casu sacramentum sit validum sed informe, an invalidum, est quaestio inter scholasticos controversa.

Solutio quaestionis ab eo dependet, num sacramentum poenitentiae validum sit, quando dolor de peccatis non est universalis, sed solum particularis. Ideo patroni sententiae *negantis* dari posse sacramentum validum, sed informe, provocant ad positivam voluntatem Christi ita instituentis hoc sacramentum, ut dolor universalis de omnibus omnino peccatis mortalibus ad eiusdem valorem, non solum ad effectum eius percipiendum requiratur. Hanc Christi voluntatem colligunt ex concilio tridentino, quod nullum discrimen faciat inter dolorem, qui ad validum, et dolorem, qui ad fructuosum sacramentum requiratur. Qui autem *affirmant* sacramentum posse esse informe, censent sacramentum in hoc casu validum esse, cum omnia adsint, quae ad valorem sacramenti requirantur: dolorosa confessio cum absolutione, dolorem autem necessario debere esse universalem, demonstrari non posse. Attamen poenitens in hoc casu ad validam absolutionem recipiendam elicere debet propositum universale explicitum: nam in dolore, qui ex motivo particulari procedit, non continetur propositum universale. Neque dicatur, in proposito universali vitandi peccata

[1]) Cf. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 257 ss.; *Ballerini-Palmieri* V. n. 46 nota.

futura necessario includi detestationem peccatorum praeteritorum; et proinde dolorem semper esse universalem, dummodo propositum sit universale: cum enim in proposito universali dolor implicite non contineatur, haberi potest propositum universale et dolor particularis[1]).

Nota. Practicum momentum haec controversia non habet. Imprimis enim rarissime poenitentes contritionem unice ex motivo particulari eliciunt, deinde rarius adhuc propositum universale addunt, si unquam contritionem ex motivo particulari elicuerint. Quidquid ergo theoretice disputetur, practice vix habebitur sacramentum poenitentiae informe: aut enim elicitur contritio universalis, et tunc sacramentum validum et formatum est; aut elicitur contritio particularis, et tunc sacramentum invalidum est ex defectu propositi universalis.

Articulus quartus.

De proposito.

261. Definitio et necessitas. 1. *Propositum* est voluntas non peccandi de cetero. Duplex esse potest: *formale* et explicitum, quod est actus a dolore distinctus, quo poenitens statuit non amplius peccare; *virtuale* et implicitum, quod in actu doloris continetur.

2. Ad peccatorum remissionem obtinendam sive in sacramento sive extra sacramentum *requiritur propositum non peccandi de cetero:* nam propositum aeque ac contritio pertinet ad dispositionem, quae ad iustificationem obtinendam essentialiter requiritur[2]).

262. Dotes propositi sunt qualitates, quas propositum habere debet, ut absolutio valida sit. Propositum debet esse:

1. *Firmum,* ita nempe dispositus esse debet poenitens, ut reipsa velit facere, quod proponit, scilicet vitare peccata et potius quodvis malum pati aut quodvis bonum amittere, quam Deum graviter offendere; at firmitas propositi non exigit, ut propositum postea etiam effectum sor-

[1]) Sacramentum poenitentiae in hoc casu esse informe, contendit *Suarez* (de poenit. disp. 20. sect. 5), cuius sententiam defendit etiam *Lugo* (disp. 14. sect. 6), qui (n. 88) ait: „non video argumentum, quo ea efficaciter possit reiici".

[2]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 4.

tiatur. Firmum enim propositum esse debet affective seu quoad *voluntatem praesentem*, sed non est necesse, ut firmum sit effective seu quoad *eventum futurum* i. e. voluntas poenitentis ea esse debet, ut si nunc offerretur occasio peccandi, eam certo non amplecteretur, sed illico reiiceret, quidquid deinceps facturus sit.

a. Ergo *lapsus futurus* in idem peccatum per se non est contra firmum propositum: etenim potest aliquis mane serio velle abstinere a peccato et vespere idem peccatum committere. Si tamen poenitens mox post confessionem in idem peccatum relabitur, suspicionem praebet, ne propositum non fuerit satis firmum: qui enim serio aliquid apud se statuit, propositi sui non statim obliviscitur.

b. Cum poenitentes quandoque dicant se valde timere, immo se persuasum habere [redacted] esse relapsuros, notandum est, nec dubium de eo, quod postea facturi sint, nec timorem, ne iterum cadant, nec persuasionem, qua putant se relapsuros esse, nec denique praevisionem futuri peccati per se [redacted] contra firmitatem propositi: sunt enim hi actus intellectus, propositum autem est in voluntate; quare verum et firmum propositum cum illis actibus simul consistere potest. Quocirca si poenitens ob notam inconstantiam suam vel ob inveteratam consuetudinem existimat, se non esse vitaturum peccatum, non statim debito proposito carere iudicandus, sed potius interrogandus est, num iterum peccare velit; quod si neget, moneri debet, ut in Dei gratia confidat, cui id non est impossibile, quod natura suis viribus praestare non potest.

2. *Universale,* quod se extendat ad omnia peccata *mortalia* in *posterum* vitanda. Hoc enim intercedit discrimen inter dolorem et propositum, quod dolor est universalis, qui se extendat ad omnia peccata commissa et nondum remissa, econtra propositum non est universale, si non se extendat ad omnia et singula peccata mortalia possibilia, etsi nunquam commissa. Hinc propositum semper ex motivo universali procedere debet.

a. Attamen non est necesse, immo frequenter neque consultum est, speciale *propositum de singulis peccatis vitandis* concipere; sed sufficit propositum in genere conceptum non amplius mortaliter peccandi. De nonnullis tamen explicitum et speciale propositum confessarius exigere debet ut de restitutione rei alienae, de ablatione scandali, de remissione offensae, de vitanda occasione proxima etc.

b. In dolore ex motivo universali concepto implicite etiam *propositum universale continetur*, quod ad omnia peccata tum commissa

tum non commissa in posterum vitanda ■ extendit, quia idem motivum de omnibus et singulis peccatis valet.

3. *Efficax,* quod scilicet voluntatem reipsa moveat ad adhibenda media, quae ad evitanda in posterum peccata necessaria sint, praesertim ad fugiendas occasiones proximas, ad reparanda damna illata, ad condonandas iniurias etc.: qui enim absolute vult finem, moveri etiam debet ad media necessaria; hinc signum est actualis affectus ad peccatum, si quis nolit occasionem deserere, restituere, offensam remittere etc.

263. Num sufficiat propositum implicitum. Virtuale propositum, quod in vera contritione semper includitur, ad validam absolutionem obtinendam sufficit, modo dolor, in quo illud implicite continetur, procedat ex motivo universali. Quodsi motivum doloris foret particulare, explicitum propositum plane requireretur.

1. Ex communi omnium sententia propositum virtuale *per accidens* sufficere potest, quando nimirum poenitens vere dolet de peccatis commissis, sed non cogitans de vita futura explicite et formaliter nihil proponit; quaestio controversa est, utrum propositum explicitum *per se* requiratur, an vero etiam per ■ virtuale et implicitum sufficiat, ubi nempe poenitens, etsi de vita futura cogitet, tamen propositum ■ emendandi formaliter et explicite non eliciat.

2. *S. Alphonsus,* proposita circa hanc quaestionem (n. 450) triplici sententia, tandem resolvit illam, quae exigit propositum explicitum, non carere sua probabilitate, ideoque in praxi sequendam esse. De hac ■ doctoris resolutione acris exorta est controversia inter *P. Ballerini*[1]) et *Vindices s. Alphonsi*[2]), qua tandem effectum est, ut sententia, quam olim *Cardenas*[3]) iam dixerat moraliter certam quamque plerique theologi tuentur, non possit amplius ulla ratione impugnari. Habenda est igitur vera sententia, quae docet ad remissionem peccatorum obtinendam sufficere propositum, quod in contritione sive perfecta sive imperfecta implicite continetur. Et sane, propositum explicitum non requiritur *ex natura rei:* nam ad iustificationem obtinendam sufficit illa dispositio, quae includat voluntatem non peccandi;

---

[1]) *Gury-Ballerini* ad n. 462.

[2]) Vindiciae Alphons. pr. 5. q. 6.

[3]) Crisis theol. part. 4. diss. 2. n. 80. Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 92 ss.

atqui voluntas non peccandi in quovis dolore ex motivo universali concepto continetur. Non requiritur *ex praecepto positivo:* nam concilium trident., quod promittit se exactam de sacramento poenitentiae daturum esse doctrinam[1]), can. 4. solum tres actus: contritionem, confessionem et satisfactionem tamquam dispositiones ad sacramenti essentiam requisitas enumerat, de proposito autem nihil dicit. Idem concilium l. c. cap. 4. describens dispositiones poenitentis *explicite* quidem commemorat propositum, sicut explicite commemorat etiam alios actus ut fiduciam divinae misericordiae et votum praestandi reliqua; at vero ex his non sequitur concilium praescribere propositum *explicitum*, sicut non sequitur ipsum exigere explicitum actum spei. Ideo autem concilium explicite commemorat propositum, ut declaret ad remissionem peccatorum obtinendam illum tantummodo dolorem sufficere, qui propositum universale contineat. Quamvis igitur hortandi sint fideles, ut propositum expresse et explicite semper eliciant, si tamen id omiserint, supposito dolore vere universali, non sunt de valore confessionis inquietandi.

3. Duo de hac re notanda sunt: *a.* Qui vere dolet de peccatis praeteritis, ita dispositus est, ut si mentem subeat cogitatio de vita futura, etiam propositum explicitum concipiat Deum non amplius mortaliter offendendi: non enim censetur serio dolere de offensa Dei, qui cogitans de vita futura consulto suspendit actum expressi propositi vitandi in futurum omnes offensas Dei graves. *b.* Confessarii recte in praxi explicitum propositum [redacted] confitentibus exigunt: ad licitam enim sacramenti administrationem certi [redacted] debent de poenitentium dispositione; atqui in iis, qui peccatorum mortalium rei sunt, confessarius vix unquam de dispositione securus erit, nisi manifestetur ipsi propositum abstinendi in posterum [redacted] peccatis.

264. *Num requirantur actus fidei et spei ad iustificationem in sacramento obtinendam.* — Praeter dolorem et propositum ad validam absolutionem obtinendam alii actus ex parte poenitentis non requiruntur, neque ratione materiae neque ratione dispositionis. Etsi ergo suadendum sit, ut poenitens ante confessionem actus virtutum theologicarum eliciat, id tamen necessarium non est: nam sufficit, ut actus (fidei et spei), quos concilium tridentinum[2]), ut dispositiones peccatoris enumerat, virtualiter et implicite adsint[3]).

[1]) Cf. sess. 14. prooem.

[2]) Sess. 6. c. 6.

[3]) *Suarez* disp. 4. sect. 2. n. 7. *Ballerini-Palmieri* V. n. 91.

265. De dolore et confessione venialium.

1. *De dolore.* *a.* Dolor de venialibus easdem qualitates habere debet, quas habet dolor de mortalibus, sola universalitate excepta, cum unum veniale sine altero remitti possit.

α. Quare non solum verus et supernaturalis, sed etiam dolor *super omnia* esse debet. Etenim si animo ita dispositus esset poenitens, ut potius veniale peccatum eligeret, quam pati aliquod quodcunque malum temporale, ad recipiendam veniam illius peccati dispositus non esset. Ordinariis autem motivis doloris de venialibus (quia causant passionem Christi, displicentiam Dei, poenam purgatorii) apte consideratis, poenitens super omnia detestabitur peccata, quia haec mala omnibus terrenis malis sane graviora sunt.

β. Licitum est ergo dolere et propositum emendationis concipere solum de iis venialibus, quae accusantur, quin idem fiat etiam de iis, quae in confessione omittuntur.

b. Qui confitetur sola venialia, sub gravi tenetur de aliquibus vel de uno saltem dolere et propositum emendationis concipere. Qui ergo confessionem venialium sciens sine debito dolore instituit, grave sacrilegium committit, quia sacramentum reddit invalidum.

Attamen ad validam et fructuosam absolutionem recipiendam sufficit dolor de peccatis sive mortalibus sive venialibus iam remissis anteactae vitae, etsi de venialibus ab ultima confessione commissis dolor non habeatur, modo illa peccata iam remissa in confessione saltem generali modo declarentur.

c. Qui confitetur venialia saepius iterata et dolet de ipsa frequentia peccati eamque minuere proponit, sed non dolet de singulis, quibus adhuc subinde, etsi non tam frequenter, indulgere intendit, adhuc valide et licite absolvitur. Idem dicendum est de eo, qui dolet et emendare proponit unum peccatum gravius unius speciei e. g. intemperantiae, quin dolorem et propositum extendat ad alia leviora eiusdem speciei[1]).

Fieri posse, ut quis doleat de frequentia venialium eamque emendare proponat, quin singula detestatur, et pari modo ut quis doleat de gravioribus, quin doleat de levioribus, sive eiusdem sive diversae speciei, ex eo patet, quod motiva doloris et propositi magis verificentur

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 60 ss.

in multis quam in paucis, magis in gravioribus quam in levioribus peccatis.

2. *De confessione.* *a.* Licitum est confiteri aliqua venialia omissis aliis: venialia enim non sunt materia necessaria confessionis; insuper unum sine altero remitti potest.

b. Quamvis enixe commendandum sit, ut is, qui plura venialia confitetur, de omnibus etiam dolorem et propositum concipiat, tamen de aliquibus, quae accusat, non dolere, non est peccatum, modo de uno alterove sincere doleat, ut adsit materia sufficiens absolutionis.

Non decet quidem, ut materiae validae absolutionis sine iusta causa admisceatur alia inepta; potest tamen adesse multiplex ratio sufficiens, cur id permittatur. Nec dici potest eum, qui confitetur peccatum veniale, de quo certo novit se non dolere, confessarium decipere et proinde venialiter peccare[1]): norunt enim confessarii poenitentes non omnia venialia, de quibus se accusant, tamquam materiam absolutionis, sed complura ex aliis rationibus in confessione declarare[2]).

Nota. Iis, qui ordinarie non confitentur nisi venialia, nunquam satis suaderi potest, ut de uno alterove, quod magis eos gravat, dolorem et firmum propositum concipiant illudque serio deinceps emendare conentur: quo magis enim propositum de venialibus est universale, eo minus efficax est. A confessione autem eorum, de quibus nec dolor nec propositum adest, ordinarie melius erit abstinere.

Quaestio secunda.

De confessione.

Articulus primus.

De ipsa confessione.

266. Confessionis necessitas. Confessio omnium peccatorum mortalium, quae post baptismum commissa

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 118.

[2]) Cf. *Mazotta* tr. 6. disp. 1. q. 3. c. 1. *Lehmkuhl* II. n. 291. (n. 393).

sunt, iure divino necessaria est ad salutem. Nam ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium ex voluntate Christi necessarius est recursus ad potestatem clavium ecclesiae: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[1]); sed per potestatem clavium ecclesiae peccata remitti non possunt sine confessione; ergo ex voluntate Christi necessaria est confessio omnium peccatorum mortalium[2]).

Ad maiorem. Potestas remittendi retinendique peccata apostolis concessa ita intelligenda est, ut independenter ab hac potestate remissio peccatorum mortalium obtineri nequeat: possunt enim apostoli retinere peccata; sed potestas retinendi peccata (potestas non absolvendo efficiendi, ut peccata denuo clavibus subiici debeant) nulla esset, si eorum remissio independenter a potestate clavium obtineri posset.

Ad minorem. Potestas remittendi retinendique peccata est potestas iudicialis, quae per sententiam de peccatis ferendam exercetur; sed potestas iudicialis in peccata exerceri nequit sine confessione omnium peccatorum ab ipso peccatore facienda. *a.* Sententia enim iudicialis ferri nequit sine praevia cognitione causae, de qua agitur; cum ergo causa, de qua agitur, sint peccata remittenda, sententia iudicialis ferri nequit, sine cognitione peccatorum; sed haec cognitio aliunde haberi nequit nisi ex confessione peccatoris. *b.* Insuper potestas apostolis concessa, cum sit iudicialis, essentialiter continet potestatem puniendi peccata; sed haec potestas exerceri nequit sine confessione omnium peccatorum: non enim pro arbitrio iudicis sed iuxta magnitudinem et multitudinem peccatorum imponenda est poena. *c.* Tandem concilium tridentinum explicans verba s. Ioannis (20, 23) haec habet: Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata universa ecclesia semper intellexit institutam [illegible] etiam a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam esse[3]).

267. Quae confessio sacramentalis. *Confessio sacramentalis* est accusatio peccatorum facta sacerdoti competenti ad eorum absolutionem obtinendam. Tria igitur concurrere debent, ut confessio dici possit sacramentalis: *a.* fieri debet *sacerdoti competenti,* qui talis vere est aut

[1]) Ioan. 20, 23.

[2]) Cf. dogmatici e. g. *Pesch* VII. n. 176 ss. n. 353 ss.

[3]) Sess. 14. c. 5. Cf. etiam ibidem. c. 6.

saltem existimatur: quare confessio, quae scienter fit ei, qui non est sacerdos, vel sacerdoti, qui caret iurisdictione, sacramentalis non est; *b.* fieri debet cum *intentione* (saltem implicita) *obtinendi absolutionem;* ergo confessio, quae fit sacerdoti quidem, at mere solatii vel consilii causa, non est sacramentalis; qui autem scienter sine dispositione confitetur vel peccata de industria celat, sacramentaliter confitetur: vult enim absolutionem, licet invalidam; *c.* serio (non ficte) *manifestari debet* saltem *unum peccatum* verum aut existimatum; ergo etiam confessio inchoata, sed non completa est sacramentalis.

268. Confessionis qualitates. Inter varias, quae enumerari solent, confessionis sacramentalis *qualitates*[1]), quatuor specialem considerationem merentur, scilicet confessio debet esse *vera*, *secreta*, *vocalis* et *integra*. Et de integritate quidem confessionis infra in proximo articulo sermo erit, de aliis autem qualitatibus hoc loco, quae scitu necessaria sunt, indicantur.

269. 1. Confessio debet esse **vera** seu sine mendacio peracta. *a.* Mentiri in confessione circa rem gravem et necessario in ea aperiendam, est grave peccatum mendacii sacrilegi contra veritatem et contra reverentiam sacramenti, quia eiusmodi mendacium iudicium sacramentale in re gravi alterat et ideo absolutionem reddit invalidam.

α. Qui ergo scienter negat peccatum mortale vel ita tegit, ut a confessario non intelligatur, vel data opera ita loquitur, ut confessarius culpam venialem apprehendat pro mortali aut vicissim, sacrilegium committit, nisi iustam causam habeat tacendi peccatum: tunc enim adhibita restrictione mentali illud negare potest.

β. Qui scienter confitetur peccatum, quod non fecit, aut plura quam fecit, graviter peccat et absolutionem reddit nullam, quia iudicium sacramentale alterat in re gravi.

γ. Si confessarius ad sacramentum rite administrandum iuste interroget de re gravi iam accusata et remissa, ut e. g. de consuetu-

[1]) Sexdecim omnino a scholae magistris assignantur qualitates confessionis, quas confer apud *s. Thomam* Suppl. q. 9. a. 4.

dine peccandi iudicet, et poenitens mentiatur, graviter peccat et absolutionem reddit invalidam, quia obligationi veritatem manifestandi in re gravi deest.

b. Mentiri in re levi vel in re gravi, sed ad confessionem non necessaria (e. g. de peccato gravi iam remisso), per se veniale sacrilegium est, quia iudicium sacramentale non alteratur in re gravi, ideoque sacramentum non fit invalidum; et si confessarius sine iusta causa de his interroget, adhibita restrictione negari possunt.

c. Si quis in confessione mentitur circa rem, quae ad confessionem non pertinet, committit mendacium vel grave vel leve, prout fert ipsa res, at sacrilegium (saltem grave) per hoc non committit, quia iudicium sacramentale non alterat. Qui e. g. in confessione de proximo calumniam dicit, graviter mentitur, at *mentiendo* sacrilegium grave non committit, etsi ex alia ratione sacrilegium grave committat, quia nempe ex defectu dispositionis absolutionem reddit nullam.

270. 2. Confessio debet esse **secreta,** non publice aliis audientibus, sed soli sacerdoti facta, atque id quidem non ex natura sacramenti, sed ex institutione Christi et ex usu ecclesiae[1]). Licet ergo confessio per se etiam publice fieri possit, tamen ad satisfaciendum praecepto confessionis nemo tenetur unquam publice confiteri, quia Christus publicam confessionem ob magna eius incommoda praecipere noluit. Quocirca si confessio, quae ex praescripto instituenda esset, solum publice fieri posset, nutibus aut signis confiteri sufficeret.

a. Ignarus idiomatis confessarii non tenetur confiteri per interpretem: nemo enim ad confessionem publicam obligatur; confessio autem, quae fit per interpretem, publica est, licet interpres teneatur servare secretum. Sufficit ergo, si poenitens ignorans linguam confessarii confiteatur per signa meliori modo, quo potest, ut faciunt muti[2]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. can. 6; *Concilium lat.* IV. c. 21. *Omnes utriusque sexus* habet: Sua *solus* peccata confiteatur.

[2]) *Cn 903.* Qui tamen per interpretem confiteri velint, prohibendi non sunt; interpretes autem moneri debent de obligatione

Docet *s. Alphonsus* (n. 479) moribundum, qui de contritione sua dubitet, saltem unum veniale per interpretem confiteri debere. Verum haec doctrina falso nititur supposito, quod nempe dubia sit absolutio, nisi unum saltem peccatum in specie declaretur.

b. Mutus non tenetur scripto confiteri, etsi scribere possit: scriptura enim quoad confessionem est medium extraordinarium; insuper cum ipsa natura sua perpetua sit, per se occasionem praebet revelationis; atqui nemo tenetur confiteri cum periculo, ne revelentur peccata a se accusata; ergo nec tenetur ea scribere[1]).

c. Si ignari idiomatis et muti generice tantum confitentur et absolutionem petunt, solum aliquoties (ter quaterve in anno) absolvi possunt, quia solum in morali necessitate confessionis ab integritate excusantur.

271. 3. Confessio debet esse **vocalis**, i. e. peccata verbis indicari debent. Ex ipsa sacramenti essentia confessio fieri posset quovis signo, quo peccata sufficienter manifestentur; nullum quoque exsistit praeceptum divinum confitendi voce; attamen *ex consuetudine ecclesiae, quae vim legis obtinuit,* sub gravi fieri debet voce ab eo, qui loqui potest, nisi gravis cauca ab hac obligatione excuset. At vero necesse non est, ut singillatim omnia peccata voce recenseantur: nam confessio, quantum satis est, vocalis dicitur, ubi poenitens de peccatis suis, quae confessario citra sacramentalem accusationem iam nota sunt, voce in genere tantum se accuset his vel similibus verbis: *accuso me de peccatis tibi iam notis.*

a. Hinc qui sine iusta causa confitetur nutibus vel signis vel scripto, ubi voce confiteri potest, valide quidem confitetur, attamen sine dubio graviter peccat, quia temere a perpetuo ecclesiae usu recedit. Ex iusta autem et rationabili causa licitum est solis nutibus vel signis aut scripto confiteri.

b. In his et similibus adiunctis potest admitti confessio, quae scripto peragitur: α. si quis ex nimia verecundia voce explicare non posset peccata sua; β. si aegrotus ex gutture laborans sine magna

---

servandi secreti. Quin immo missionarii hortari debent poenitentes, quorum idioma ignorant, ut per interpretem confiteantur omnia aut saltem aliqua peccata. Quodsi hoc nolint, satisfaciunt obligationi suae, eo quod per signa, meliori quo poterunt modo, confitentur. *S. Officium* 28. febr. 1633.

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 479

difficultate ore confiteri non posset; γ. si confessarius surdaster non intelligeret poenitentem peccata sua accusantem, quin etiam adstantes illum audiant; δ. si quis putaret se alias non posse integre confiteri sive propter scrupulos, sive propter tentationem tacendi peccata; ε. si mutus scripto confiteri vellet. In omnibus hisce casibus suaderi quidem potest, ut poenitens ante absolutionem, si fieri potest, haec vel similia verba proferat: *me accuso de peccatis, quae scripsi*, at necessarium id non est, quia a confessione *voce* facienda in his adiunctis excusatur.

c. Ad confessionem quidem *muti tenentur:* nam ea, quae ad sacramenti essentiam requiruntur, praestare ipsi possunt, cum signis aliquo modo manifestare possint peccata sua vel saltem se esse peccatores; praeceptum confessionis autem obligat omnes, qui aliquo modo manifestare possunt peccata sua; ad adhibendum vero medium extraordinarium scripturae, etsi possent, non tenentur.

Articulus secundus.

De integritate confessionis.

272. Definitio et necessitas. Confessio est **integra**, si comprehendit omnia peccata, quae ex voluntate Christi in sacramentali confessione declaranda sunt[1]).

Duplex distinguitur *integritas* confessionis, altera materialis, altera formalis. *Materialis* habetur, quando manifestantur omnia peccata mortalia, quae commissa et nondum directe remissa sunt; *formalis* habetur, quando explicantur omnia peccata mortalia, quae hic et nunc spectatis adiunctis accusari possunt et debent. Iam si ea, quae enumerari possunt et enumerantur, reipsa omnia sunt, habetur integritas formalis simul et materialis; quodsi unum alterumve peccatum ex iusta causa omittitur, confessio erit formaliter, sed non etiam materialiter integra.

1. *Integritas materialis* ad validam confessionem non semper requiritur: Christus enim pro sua bonitate et sapientia ad valide recipiendum hoc sacramentum noluit postulare aliquid, quod saepissime vel moraliter vel etiam physice est impossibile, cuiusmodi est integritas materialis.

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 5. et can. 7. Cf. *Pesch* VII. n. 176

2. *Integritas autem formalis* ad validam confessionem omnino requiritur: praeceptum enim divinum declarandi omnia peccata mortalia commissa certe ad ea saltem peccata refertur, quae poenitens hic et nunc declarare moraliter potest. Hinc graviter peccat, qui omittit aliquod peccatum, quod hic et nunc declarare potest et debet.

Num confessionem dimidiare liceat. — Confessionem dimidiare dicitur, qui alia peccata huic, alia vero alteri confessario manifestat. Iam vero integritas confessionis postulat, ut omnia peccata mortalia eidem confessario manifestentur, cum omnia simul remittantur. Hinc confessio dimidiata licita non est, si per eam integritas formalis confessionis non servatur; quodsi dimidiando confessionem integritas formalis servatur, confessionem dimidiare per se licitum est.

a. Ex iusta causa fieri potest, ut quis mortalia uni, venialia vero alteri confessario confiteatur; sic potest poenitens grave aliquod peccatum ignoto confessario manifestare et venialia deinde ordinario, ob verecundiam, qua apud confessarium cognitum afficeretur, se exponat periculo sacrilege confitendi. Pariter si quis hic et nunc non tenetur aliquod mortale (e. g. reservatum ei, qui non habet potestatem absolvendi) confiteri, potest illud apud unum tacere et alteri deinde manifestare.

b. Ergo non licet superiori, quod multis laboribus distentus sit, poenitentem auditis solum reservatis absolvere et ad alium confessarium mittere, ut absolvatur a non reservatis, quia reservatis absolvi non potest, nisi absolutione sacramentali; absolutio autem sacramentalis ei licite concedi non potest, qui dimidiate confessus est, nisi adsit causa ab integritate confessionis excusans; sed auctus labor confessarii non est causa ab integritate excusans. Licet autem poenitentem auditis solum peccatis cum censura reservatis absolvere *censura* et ad alium confessarium dimittere, ut *peccatis* absolvatur, quia absolutio a censura non est sacramentalis, et proinde non supponit integram peccatorum confessionem. Ablata dein censura et reservatione poenitens ab alio confessario sacramentaliter peccatis absolvi potest.

273. Quid ad integritatem confessionis requiratur. Ut confessio sit integra, declarari debent *omnia peccata mortalia* post baptismum commissa et nondum directe remissa vel non debito modo declarata *secundum speciem et numerum, insuper actus externi,* non autem *peccati effectus.*

1. *Peccata mortalia:* nullum enim exstat praeceptum divinum, quod obliget ad confessionem venialium, neque praeceptum ecclesiasticum confessionis annuae ad venialia se extendit.

a. Quamvis suadendum sit, ut ii, qui peccati mortalis sibi conscii non sunt, tempore paschali confiteantur venialia ad suscipiendam gratiam sacramentalem vel etiam iustificationem, si forte peccati mortalis, cuius obliti sint, rei exsistant, nec sufficienter contriti sint; ad hoc tamen obligari non possunt.

b. Potest ecclesia in casu particulari *praecipere confessionem venialium* quoque peccatorum, immo eiusmodi praeceptum reipsa exsistit. In quibusdam enim ordinibus religiosis viget statutum, quod omnes sub gravi obligat, singulis mensibus vel etiam singulis quindecim diebus confessionem peragere; atqui hoc statutum non est de solis mortalibus, sed de mortalibus et venialibus; incredibile enim est omnes religiosos toties labi in peccata mortalia. Et sane non apparet ratio, cur ecclesia vel superior regularis eiusmodi opus poenitentiae non possit praecipere.

274. 2. *Secundum speciem:* declaranda est nempe *species moralis infima* peccatorum mortalium: nam secundum concilium tridentinum in confessione declarari debent *omnia et singula peccata mortalia,* h. e. secundum proprium horum verborum sensum *in specie infima*[1]).

a. Quocirca praecepto divino non satisfit per confessionem peccatorum in genere tantum (peccavi mortaliter), nec per confessionem eorum in specie generica (ter peccavi contra iustitiam), sed declarandum est quodvis peccatum in sua specie infima (proximo furatus sum materiam gravem).

b. Qui tamen in specie infima peccatum sive ex ignorantia sive ex oblivione declarare non potest, ideo non excusatur a manifestando peccato ipso, in quantum illud manifestari potest. Qui ideo sciret se commisisse peccatum mortale, sed quale fuerit, prorsus ignoraret, teneretur hoc saltem dicere *se mortaliter peccasse;* et qui sciret se deliquisse contra iustitiam, sed qua ratione id acciderit, recordari amplius non posset, hoc saltem indicare deberet *se graviter peccasse contra iustitiam.* Etenim etiam peccatum, quod solum generice declarari potest, constituit materiam necessariam confessionis et sufficientem validae absolutionis. Hac tamen absolutione obtenta manet obligatio specificam eiusdem peccati confessionem, si postea fieri potest, supplendi.

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 5. et can. 7. Cn. 901.

275. 3. *Secundum numerum:* nam ex concilio tridentino *omnia et singula* peccata et ex *Codice* (cn. 901) *omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientia habetur,* accusari debent.

a. Integritas confessionis postulat, ut, quantum fieri potest, explicetur *numerus certus* peccatorum mortalium; quocirca pari modo delinquit tum ille, qui scienter vel ex culpabili negligentia exprimit numerum maiorem, tum ille, qui exprimit numerum minorem, tum denique etiam ille, qui sciens numerum determinatum indicat solum probabilem addita particula *circiter:* omnes enim in re gravi mentiuntur et iudicium sacramentale perturbant, nisi eos excuset scrupulositas, bona fides vel studium maioris securitatis.

Ergo obligationi integre confitendi non satisfaciunt, qui solam speciem peccatorum, non autem determinatum numerum confitentur in hunc modum: *saepius vel aliquoties blasphemavi, saepius omisi sacrum die dominica, aliquoties comedi carnes diebus abstinentiae* etc. Hi nimirum a confessario instruendi sunt, ut etiam quoad numerum integre confiteantur.

b. Quando post diligens examen conscientiae non potest deprehendi numerus peccatorum certus et exactus, exprimi debet numerus probabilis, qui nimirum magis ad veritatem accedat, addita particula *circiter.* Hac particula *circiter* non comprehenditur excessus vel defectus notabilis, sed modicus tantum, proportionatus tamen numero expresso iuxta hanc regulam: modicus defectus vel excessus erit, relative ad *quinque circiter* peccata unitatem hinc inde addere vel demere, relative ad *circiter decem* duas unitates, relative ad *viginti* tres vel quatuor, relative ad *quadraginta* quatuor vel quinque, relative ad *centum* quinque vel sex; censebitur ergo in primo casu poenitens quater, quinquies vel sexies, in secundo vero octies, novies, decies, undecies vel duodecies peccasse, et similiter in aliis[1]).

c. Si poenitens postea inveniat numerum exactum peccatorum et peccata, quorum non recordatur, sint certo plura, quam comprehendit numerus simul cum particula *circiter* in confessione declaratus, excessum postea in confessione manifestare debet, quia haec peccata nullo modo fuerant exposita; ad nihil autem tenetur, ubi invenerit se

[1]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 97; *s. Alphonsus* n. 466.

numerum notabiliter maiorem expressisse: nam in maiore numero indicato iam continetur et absolvitur iste minor, supposito quod poenitens non sit mentitus, sed bona fide numerum exaggeraverit.

Quodsi nullus ne probabilis quidem numerus haberi possit, ut fere accidit in consuetudinariis, haec notanda sunt:

α. Monet *s. Alphonsus* (n. 466) confessarium non debere esse nimis anxium in exquirendo numero peccatorum, ubi is indicari non possit: sufficit enim, ut poenitens aperiat consuetudinem peccandi et moram temporis, quo in statu peccandi perseveraverit et quoties in die, in hebdomada, in mense peccare consueverit. Ex his prudens confessarius statum et conscientiam peccatoris melius cognoscet, quam ex numero probabili, quem ille magis divinando quam serio expendendo proloquitur.

β. Si poenitens ne id quidem scire et indicare posset, confessarius eum inducat, ut aperiat suum statum, modum vivendi, consuetudinem et occasiones peccandi, et hac ratione sufficienter manifestatur status conscientiae, ut possit absolvi. Quare si eiusmodi poenitens postea magis distincte recordetur suorum peccatorum, non tenetur accuratius ea confiteri: [illegible] in illa confusa accusatione [illegible] confessario omnia sufficienter cognita erant, ut poenitens ab omnibus directe absolvi potuerit. Sufficit ergo, si e. g. meretrix dicat: per biennium in meretricio permansi et quoties occasio fuit, etiam coniugatis etc. potestatem corporis feci; vel si concubinarius dicat: per tres annos in concubinatu vixi; vel alius: obvias quasque mulieres, etiam cognatas, coniugatas, sacras concupivi; vel: de rebus turpissimis quavis data occasione cum sociis quibusvis locutus sum etc. etc.[1]).

Nota. Si unus actus peccaminosus duas malitias continet specifice diversas, ut si habens votum castitatis se polluit, potest in confessione peccatum divisum ita accusari: peccavi per pollutionem; laesi votum idque grave. Item si unus actus peccaminosus duas malitias numero distinctas continet, ut si quis uno furto graviter laesit duos dominos potest in confessione peccatum divisum ita accusari: grave furtum commisi, item grave furtum commisi erga alium hominem. Qui malitias in confessione dividi posse concedunt, rationem afferunt, quia poenitens peccatum explicat quoad utramque malitiam, id quod in confessione sufficit. Qui id negant, dicunt confessarium haec audientem concipere poenitentem duo peccata numero distincta commisisse, id quod non est verum. Attamen iste confessarii error iudicium sacramentale non alterat.

276. 4. *Actus externi,* quibus actus interni in ratione peccati complentur: nam confiteri debemus *peccata;* sed

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 451 ss.

nomine peccati proprie non intelligitur solus actus internus, sed etiam externus, qui illius est naturale complementum.

a. Licet enim actus externus propriam malitiam per se non habeat, ipse tamen participat malitiam actus interni et cum actu interno, quem natura sua perficit et complet, unum actum moralem constituit, scilicet peccatum in sua specie completum et consummatum.

b. Actu externo non declarato non intelligeretur gravitas iniuriae proximo illatae, nec obligatio restitutionis, censura, irregularitas etc.

c. Tandem ecclesia praeceptum Domini de confessione peccatorum mortalium semper ita intellexit et interpretata est; quare ei, qui furtum commisit, non sufficit in confessione dicere: *habui propositum furandi* vel *volui furari*, sed dicendum est: *furatus sum*.

277. 5. *Non effectus peccati.* Scilicet sunt actiones externae peccaminosae, ex quibus quandoque effectus sequuntur, qui posita semel actione externa non amplius a voluntate agentis dependent: si quis e. g. cum intentione graviter mala proximo venenum propinat, puellae dat medium ad procurandum abortum, quandoque sequitur, velit nolit, mors et abortus. Porro hos effectus declarare, etsi secuti fuerint, necesse non est, ut confessio sit formaliter integra: ex praecepto enim divino sola peccata declarari debent; effectus vero isti non sunt peccata, cum nullatenus sint liberi; quare sufficit exponere pravam voluntatem et actionem efficacem ad illum effectum producendum.

Expedit tamen et quandoque ex alia ratione prorsus necessarium est, ut effectus, qui ex peccato externo secutus est, exponatur, quando nimirum confessario opus est scire, num adsit obligatio restitutionis, irregularitas, censura vel reservatio: his enim poenis peccata externa plerumque non puniuntur, nisi secutus sit etiam effectus, ne poena tam gravis saepius quam par sit irrogari debeat.

278. De peccatis dubiis quaeritur, num sint materia necessaria confessionis. Porro triplex diversum dubium distingui potest: *a.* de peccato ipso; *b.* de gravitate peccati; *c.* de confessione peccati. Supponitur dubium non esse mere negativum, sed positivum seu probabili fundamento innixum. Iam vero etsi consulendum sit, ut poe-

nitentes peccata dubia confiteantur, ex stricta obligatione tamen ea, quodcunque sit dubium, confiteri non tenentur: obligatio enim dubia obligatio nulla. Itaque

1. Qui dubitat, an peccatum reipsa commiserit, si dubium post diligens examen perseveret, non tenetur illud confiteri: non enim imponenda est obligatio, nisi de ea certo constet. Insuper ex concilio trid.[1]) accusari debent peccata mortalia, quorum habetur conscientia, i. e. quorum habetur certa cognitio; atqui peccatorum dubiorum non habetur certa cognitio.

2. Qui dubitat, an peccatum, quod certo commisit, sive ex parte materiae sive ex parte assensus sit grave, ex iisdem rationibus non tenetur illud confiteri.

In praxi autem secundum *s. Alphonsum* (n. 476) servandae sunt duae regulae sequentes:

a. In dubio, an *materia peccati* gravis sit, poenitentes rudes ordinarie peccata dubia accusare debent, tum quia ipsi ex se non possunt sibi conscientiam efformare, tum quia plerumque nesciunt distinguere venialia a mortalibus. Excipiendi sunt tamen scrupulosi, qui mortalia committere non solent. Qui autem non rudes, sed sufficienter instructi sunt, ad peccata dubia accusanda ordinarie suaviter hortandi, non autem obligandi sunt.

b. In dubio de *pleno consensu:* α. si poenitentes sunt timoratae conscientiae nec solent graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet praesumptio, quae ex ordinarie contingentibus habetur; immo ab hac accusatione sunt impediendi, si ad scrupulos propensi videantur; β. si poenitentes mediam viam servant inter timoratam et laxam conscientiam, non quidem obligandi, sed inducendi sunt ad consensum dubium declarandum, quia id prodest ad conscientiae tranquillitatem; γ. si poenitentes sunt laxae conscientiae, generatim peccata dubia declarare debent, quia praesumptio ex ordinarie contingentibus deducta, quae eis adversatur, moralem certitudinem de peccato commisso attingit.

3. Qui dubitat, an peccatum certo commissum et certo etiam grave *iam confessus sit,* ex iisdem rationibus non tenetur illud denuo confiteri: nam lex, cui probabiliter iam est satisfactum, non est amplius certa, proindeque certam obligationem parere nequit. In praxi quidem con-

[1]) Sess. 13. c. 7.

sulenda est confessio ad conscientiae tranquillitatem procurandam, attamen stricta obligatio nulla exsistit.

Qui confessus est peccatum mortale tamquam dubium, quod postea comperit certo fuisse commissum, non tenetur denuo idem peccatum tamquam certum confiteri, quia praecepto confessionis iam satisfecit: qui enim confitetur peccatum secundum speciem et numerum prout est in conscientia et directe ab eo absolvitur, praecepto confessionis iam satisfecit[1]).

Haec solutio, quam recentiores[2]) contra communiorem sententiam antiquorum[3]) probabilem iudicant, confirmatur ex alia quaestione, quae fere communiter ab auctoribus ex eodem principio solvitur. Qui exposuit numerum peccatorum dubium cum particula *circiter*, non tenetur amplius in confessione declarare certum numerum, si illum postea invenerit, nisi excessus sit notabilis; ergo neque in hoc casu tenetur, cum etiam in numero probabili quaedam peccata ut dubia declarentur.

279. De circumstantiis peccatorum. Circumstantiae peccatorum aliae sunt *speciem mutantes,* quae actui addunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam actus ratione sui obiecti habet; sic circumstantia loci sacri, ex quo res aufertur, furto addit malitiam sacrilegii contra virtutem religionis; aliae sunt *aggravantes* vel *imminuentes,* quae solum augent vel minuunt malitiam actus peccaminosi intra eandem speciem peccati sive ratione durationis sive intensitatis, modi, temporis, personae, loci etc. Hae circumstantiae vel sunt *leviter* vel *notabiliter* aggravantes aut imminuentes, prout leviter vel notabiliter malitiam actus augent vel minuunt.

1. *Circumstantiae speciem mutantes* necessario explicandae sunt in confessione[4]): nisi enim declarentur, non accusantur omnia peccata mortalia in propria sua specie, id quod ex praecepto divino requiritur. Vix moneri debet

[1]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 77.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 226. *Lehmkuhl* II. n. 318 (n. 422). *Gury* II. n. 480. *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 291.

[3]) Cf. *s. Alphonsus* n. 478.

[4]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 5. Cn. 901.

novam malitiam actui peccaminoso additam debere esse *mortalem*, ut constituat materiam necessariam confessionis.

Quae circumstantiae speciem mutent, quoad singula peccata declaratur in tractatu de praeceptis. Hoc loco pauca tantum addenda sunt. In peccatis *scandali* (inductionis, cooperationis) circumstantia *superioritatis* vel *officii* quandoque novam malitiam addit contra pietatem vel iustitiam, ut si parochus suis parochianis, parentes filiis, magister alumno speciali suae curae commisso scandalo sit. Id obtinet quando superior *vi muneris sui* ex pietate vel ex iustitia subditi salutem spiritualem curare tenetur. Ideo peccatum turpe *confessarii* cum suo poenitente, quod relationem habet ad confessionem, induit novam malitiam sacrilegii realis; peccatum autem, quod ad confessionem non refertur, novam malitiam non induit, quia confessarius extra confessionem spiritualem salutem poenitentis procurare non tenetur. Aliae tandem superioritates vel dignitates ut magistratus, sacerdotis, heri etc., augere possunt malitiam peccati cum subdito laico, famulo commissi, at speciem non mutant[1]).

280. 2. *Circumstantiae aggravantes tantum* non debent necessario explicari in confessione: nullum enim exsistit praeceptum, quod obliget declarare circumstantias tantum aggravantes. Sane sola peccata necessario in confessione declarari debent; atqui circumstantiae, quae speciem non mutant, non addunt actui peccaminoso novum peccatum. Hinc concilium trid., quod enumerat omnes conditiones ad integritatem confessionis requisitas, solum loquitur de circumstantiis, quae speciem mutant, nulla facta mentione circumstantiarum, quae solum aggravant[2]), item novus *Codex*.

a. Omnibus consentientibus nulla exsistit obligatio confitendi circumstantias leviter tantum aggravantes vel minuentes; hodie vero etiam sententia nullam esse obligationem confitendi circumstantias, *etsi notabiliter aggravantes* sint, fere communis evasit, praesertim quia concilium tridentinum de hac obligatione non solum silet, sed quia illam positive excludere videtur. Nam ubi l. c. accurate declarat, quid [redacted] praecepto Christi in confessione manifestari debeat, postquam docuerat manifestanda [redacted] omnia et singula peccata mortalia et circumstantias, quae peccati speciem mutant, subiungit: „nihil aliud in ecclesia a poenitentibus exigi“. Quod difficultatem attinet, quam in hac quaestione facessit catechismus romanus[3]), non est improbabile

[1]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 309.

[2]) Sess. 14. c. 5. Cn. 901.

[3]) De poenitentia n. 47.

eius verba intelligenda esse de circumstantiis, quae speciem theologicam mutant, quae scilicet efficiunt, ut peccatum leve fiat grave vel grave fiat leve[1]). — Nec valet ratio ex eo desumpta, quod alias congrua poenitentia imponi non possit; siquidem sufficit, ut poenitentia substantiae peccatorum specificae eorumque numero proportionata sit, at non requiritur exacta aequalitas inter poenitentiam et peccati gravitatem quoad circumstantias: si enim exacta aequalitas requireretur, etiam circumstantiae notabiliter minuentes in confessione declarari deberent, quod tamen nemo exigit[2]). Tandem si hae circumstantiae essent necessario declarandae, onus iniungeretur intolerabile tum confessariis tum poenitentibus atque inde orirentur anxietates et difficultates innumerae, cum valde difficile ne dicam impossibile sit distinguere, quaenam circumstantiae sint notabiliter, quaenam leviter aggravantes.

b. Ceterum solent fideles ordinarie declarare circumstantias saltem notabiliores, quod quidem eis suaderi potest, quia multum confert tum ad conscientiae tranquillitatem, tum ad uberiorem sacramenti fructum, tum ad directionem magis congruentem. Si tamen agatur de circumstantiis peccatorum contra sextum praeceptum, non solum de eis non sunt interrogandi poenitentes, sed neque permittendum ipsis est, ut eas exponant propter periculum, quod tum confessario tum poenitenti inde crearetur.

c. Attamen *confessario de circumstantiis solum aggravantibus interroganti, candide aperienda est veritas.* Confessarius enim ius habet interrogandi non solum ea, quae ad procurandam integritatem confessionis necessaria sunt, sed etiam complura alia, cuiusmodi sunt: α. circumstantiae aggravantes; β. condiciones necessariae ad censuram, irregularitatem, casum reservatum incurrenda; γ. consuetudo peccandi[3]); δ. relapsus; ε. occasio proxima peccati; ζ. obligationes graves; η. dispositio necessaria ad validam absolutionem. Hinc qui cum pluribus diversis personis peccavit, satisfacit declarando speciem et numerum peccati, etsi non declarat [redacted] pluribus illud commissum esse, e. g. qui cum tribus personis fornicatus est, satisfacit dicendo: ter peccatum fornicationis commisi, etsi non addat, utrum cum eadem, an cum diversis; attamen confessario de hac re interroganti respondere debet, quia facilius in occasione proxima versatur, qui pluries cum eadem peccavit[4]).

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 209.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 120.

[3]) Ideo damnata est haec propositio (58) ab *Innocentio XI.: Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

[4]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 18.

281. *Num obligationi suae satisfaciat, qui peccatum recens accusat tamquam olim commissum.* — Cum peccatum quoad substantiam non mutetur, sive dicatur hoc vel illo tempore commissum, sive dicatur remissum vel non remissum, per se satisfacit obligationi integre confitendi, qui peccatum recens accusat tamquam iam remissum. Ideo obligationi integre confitendi satisfacit, qui nova peccata cum antiquis commiscet, vel qui in confessione generali ab aliis peccatis non distinguit peccata mortalia ab ultima confessione commissa, etsi de industria id faciat ad dissimulandum tempus, quo peccatum commisit. Quod si poenitens de tempore interrogatus mentiatur et peccatum hodie commissum declaret factum tempore remoto, leve mendacium sacrilegum committere videtur, nec probanda videtur sententia eorum, qui opinantur eiusmodi poenitentem non satisfacere obligationi confitendi.

E recentioribus complures sententiae modo expositae favent[1]), [redacted] circumstantia temporis ad materiam necessariam confessionis non pertineat: nam declarandum est quodvis peccatum mortale secundum totam suam malitiam essentialem et specificam; circumstantia temporis vero peccato secundum essentiam specificam considerato externa et accidentalis est. Quod opponi solet: diversum est peccatum hoc tempore commissum a peccato alio tempore commisso, solvitur hac distinctione: aliud est peccatum individuale, non autem peccatum specificum, atqui sufficit, ut species peccati in confessione declaretur. Qui ergo mentiendo negat, [redacted] peccatum ab ultima confessione commisisse, non negat ipsum peccatum specificum, quod in confessione necessario declarandum est, sed peccati circumstantiam accidentalem temporis, quae necessario declarari [redacted] debet. E contra vult confiteri et reipsa confitetur illud idem peccatum, quod commisit, cui per mendacium addit falsam circumstantiam externam (iam accusatum, iam remissum, alio tempore commissum), quae tamen speciem peccati non mutat. — Idem peccatum confessarius putat alio tempore factum vel iam remissum; atque id putat vel ex proprio errore vel ex mendacio poenitentis. Atqui error confessarii sive proprius sive dolo poenitentis inductus non obest valori sacramenti, dummodo confessarius de specie seu de essentia specifica peccati, quae sola est materia necessaria confessionis et obiectum ab-

[1]) *Gury* II. n. 488 nota. *D' Annibale* III. n. 309 nota 60. *Bucceroni*, Inst. theol. mor. II. n. 715. Cf. *Génicot*, Theol. mor. inst. II. n. 288. *Lugo* disp. 16. n. 46 ss.

solutionis, rite iudicet aut saltem rite iudicare possit. Nec dicatur confessarium hoc modo impediri, quominus congruam poenitentiam imponat: nam ut confessarius per accusationem poenitentis in statu sit imponendi congruam poenitentiam, ad validam absolutionem non requiritur, dummodo poenitens dispositus sit ad acceptandam et persolvendam poenitentiam congruam.

Articulus tertius.

De causis ab integritate excusantibus.

282. Praeter causas physicas admittendae sunt etiam causae morales, quae a materiali integritate confessionis excusent, ut ideo sacramentum poenitentiae valide et licite suscipi possit, etsi peccata, quae non declarentur, absolute declarari possint. Ab integritate tamen confessionis nunquam excusat *difficultas* ipsi confessioni *interna*, quantumvis gravis ea sit, ut magna repugnantia vel verecundia, timor reprehensionis, amissio propriae famae penes confessarium; excusat autem magnum incommodum *externum*, quod confessionem per accidens reddit valde difficilem. Causae igitur ab integritate confessionis materiali excusantes ad has duas revocantur; *a.* ad impotentiam physicam; *b.* ad impotentiam moralem.

Quoad peccata in confessione licite omissa et ideo indirecte tantum remissa haec notanda sunt:

a. Manet *obligatio confitendi* peccata licite omissa; ideo si cesset causa ab integritate excusans, illa peccata in confessione declarari debent: ex praecepto enim divino omnia peccata mortalia post baptismum commissa, si fieri potest, in [redacted] clavibus subiici et directe remitti debent.

b. Nulla autem exstat obligatio haec peccata *quamprimum* confitendi; ideo eorum confessio differri potest usque ad sequentem confessionem, quae sive ex devotione sive ex praecepto instituitur; attamen in confessione *proxime sequenti* declarari omnino debent, nisi denuo adsit causa ab integritate excusans: illa enim peccata constituunt materiam necessariam confessionis; si ergo peccata antea licite omissa non declarentur in proxima confessione, haec erit ex defectu integritatis sacrilega, nisi iterum adsit causa legitime excusans.

283. Impotentia physica: nullum enim praeceptum obligat ad id, quod impossibile est. Exempla impotentiae physicae sunt:

1. *Infirmitas extrema.* Ideo moribundi, qui integre confiteri nequeunt, sive quod peccata sua manifestare plane non possint, sive quod dicto uno alterove peccato deficiant, sive quod grave periculum sit, ne deficiant, valide et licite absolvi possunt, etsi eorum confessio non sit integra; si tamen postea vires recipiant, omissa supplere debent.

2. *Defectus loquelae* ab integritate confessionis excusat mutos, surdos et ignaros idiomatis confessarii.

a. Muti, qui signis integre confiteri non valent, exprimere debent, quod possunt, et urgente praecepto confessionis, si aliud non possunt, saltem signo ostendere debent se peccasse, ut absolutio eis dari possit.

b. Surdi (et idem dicendum de *surdastris*), qui usum loquelae habent, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quae memoriae occurrunt, sed confessarius non tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem ob nimiam interrogandi difficultatem et periculum revelationis.

c. Ignarus idiomatis, cum non teneatur confiteri per interpretem, urgente praecepto confessionis annuae et in periculo mortis solum tenetur confiteri eo modo, quo potest, scilicet saltem signis vel nutibus manifestare tenetur se esse peccatorem[1]).

Surdastri, qui alteriore voce cum confessario colloqui possunt, ducendi sunt ad locum remotiorem, in quo absque periculo revelationis integre confiteantur. Id tamen ob grave incommodum licite omitti potest, ut si poenitens aegre tantum ad talem locum accedat. — Si confessarius poenitentis surditatem in progressu confessionis tandem advertit, caveat, ne ei alta voce iniungat, ut alio tempore redeat, quia hoc modo adstantes iudicare possent poenitentem gravioris peccati reum esse[2]). At nimis anxii videntur, qui eandem suspicionem adstantibus

[1]) Cf. decretum *s. Officii* 28. febr. 1633, quod statuit poenitentem, qui non vult uti interprete, posse et debere absolvi, etsi signis peccata in genere tantum manifestet.

[2]) *S. Alphonsus* n. 644.

ingeri putant, ubi confessarius surditatem advertens poenitentem statim ducit ad locum pro confessione surdorum destinatum: nihil enim aliud in hoc casu adstantes iudicant quam poenitentem esse surdum[1]).

3. *Defectus temporis.* Si milites imminente pugna, vel navigantes in naufragio, vel peste infecti in publico nosocomio omnes audiri non possunt, angustia temporis id non permittente, omnes simul fateri possunt se esse peccatores et dolere de peccatis suis et deinde absolvi unica forma: *ego vos absolvo* etc.

4. *Ignorantia vel oblivio inculpabilis.* Si non omnia peccata in mentem veniunt, etsi diligens examen conscientiae instituatur, vel si peccata in examine cognita in actu confessionis e mente excidunt, haec ignorantia inculpabilis ab observatione legis excusat.

a. Qui ergo praemisso diligenti examine aliquod peccatum, quod reipsa commisit, in confessione ignorat, aut dum confitetur, alicuius peccati non recordatur, valide et licite absolvitur. *b.* Qui ex levi negligentia in examine peccata ignorat et in confessione omittit, valide absolvitur; culpa enim venialis nec valorem nec fructum sacramenti impedit. *c.* Tandem si ignorantia hic et nunc quidem inculpabilis est, sed ex gravi culpa antea commissa oritur, confessio pariter valida est: qui e. g. nimis diu etiam cum transgressione praecepti ecclesiastici confessionem distulit, ideoque complurium peccatorum amplius recordari non potest, formaliter integre confitetur, si [redacted] accusat, quae post diligens examen occurrunt.

284. Impossibilitas moralis: ubi nempe sine gravi damno spirituali vel temporali proprio vel proximi integra confessio fieri non potest. Ut tamen peccata propter impotentiam moralem in confessione licite omitti possint, hae conditiones requiruntur: *a.* ut non possit inveniri alius confessarius, apud quem peccata sine ullo incommodo manifestari possint; *b.* ut confessio hic et nunc sit necessaria nec in aliud tempus commode differri possit; *c.* ut ea tantum peccata omittantur, quae absque gravi incommodo declarari nequeant. Necessaria autem ex communi auctorum iudicio censetur esse confessio ob communionem

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II. n. 328. (n. 433). *Génicot,* Theol. mor. inst. II. n. 292.

paschalem vel confessionem annuam, ob necessitatem celebrandi vel communicandi, ob periculum scandali vel infamiae, si quis alias diutius (ultra triduum, immo per unum diem) cum periculo mortis et aeternae salutis in statu peccati manere debeat. Exempla impotentiae moralis sunt:

1. *Periculum famae ipsius poenitentis.*

In duplici casu id accidere potest: *a.* Si poenitens confitetur in iis adiunctis, in quibus etiam alii peccata audituri sunt, ut si alii poenitentes prope confessionale adstant nec removeri possunt, vel si in nosocomio confitenti propius adiacet alius infirmus, qui illius confessionem auditurus est. *b.* Si confessio est valde prolixa, ex qua alii multa et gravia peccata suspicari debent. Hoc tamen non valet, nisi in iis adiunctis, in quibus adstantes ex prolixa confessione necessario ad magnam peccatorum copiam concludere debeant, ut si confessio instituatur urgente necessitate communicandi vel celebrandi. In ordinariis autem adiunctis non licet nisi vaga aliqua suspicione ex prolixa confessione ad multitudinem peccatorum concludere, quia complures aliae sunt rationes, ob quas poenitentes diutius apud confessarium morantur[1]); sed periculum vagae suspicionis non est ratio ab integritate confessionis excusans.

α. Hinc sacerdos mox celebraturus et longiore confessione indigens ab integritate excusatur, si sacrum nec differre nec omittere potest, quin apud *adstantes* detrimentum famae patiatur.

β. Si sacerdos deferens viaticum ad aegrotum deprehendat hunc diu sacrilege esse confessum, potest et debet non audito uno vel altero peccato interim absolvere et postea ad ipsum rediens confessionem complere, ne ex longiore confessione apud adstantes huius rei suspicio oriatur[2]).

γ. Item si confessarius deprehendat poenitenti necessariam non longiorem confessionem, poenitens vero non longiorem confessionem instituere posset ob defectum temporis nec a communione abstinere ob periculum famae, auditis peccatis, quae citra famae periculum accusare potest, poenitentem interim absolvere et confessionem alia vice supplere potest[3]).

2. *Periculum violationis sigilli.* Id accidere potest:

Si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet. Si poenitens merito timet peccatum a confessario fore revelandum, e. g. eo quod in confessionali voce nimis elata loquitur, ut adstantes eum audire possint.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 249.

[2]) *S. Alphonsus* n. 484.

[3]) Cf. *Bucceroni*, Casus conscient.[5] n. 125.

3. *Periculum scandali vel lapsus* tum ex parte poenitentis tum ex parte confessarii.

a. Si poenitens propter cognitam confessarii maximum fragilitatem ex manifestato peccato periculum peccati timet, illud omittere potest. *b.* Si poenitens propter fragilitatem propriam sibi notam timet, ne diu cogitando in examine de quibusdam peccatis labatur, potest obiter tantum se examinare, quamvis ex defectu examinis quaedam omittantur. *c.* Idem valet de confessario, qui interrogando de rebus turpibus sibi vel poenitenti periculum peccandi timet.

4. *Grave damnum spirituale vel temporale* sive proprium sive alienum.

Si poenitens ex manifestatione peccati rationabiliter timet iustam persecutionem, officii vel sustentationis privationem, potest illud peccatum interim tacere. Scrupulosi recte prohibentur praeteritas confessiones repetere, etsi nonnulla peccata ex oblivione omisissent; item prohibentur diutius se examinare, etsi periculum sit deficiendi in integritate: ne enim ex suis anxietatibus grave damnum capiant, integritatem confessionis negligere possunt.

Et hae quidem causae ab integritate confessionis excusantes ab omnibus admittuntur; restant duae aliae, de quibus non eadem semper erat doctorum sententia.

285. De peccato, quod explicari nequeat sine complicis manifestatione. Quaestio haec est, num sit obligatio confitendi peccatum, quod explicari nequeat sine complicis manifestatione, seu num periculum diffamandi alium apud confessarium pari modo ab integritate confessionis excuset, sicut excusat periculum, quod incurrit ipse poenitens, amittendi famam apud alios.

a. Poenitens certo tenetur, si commode potest, quaerere alium confessarium, cui complex sit ignotus, ut integre confiteri et simul famam complicis servare possit, etsi differre debeat confessionem; peccat ergo contra iustitiam, qui confitetur confessario, cui complex notus est, ubi sine magno incommodo alium confessarium habere possit, apud quem complex ignotus non diffametur.

Causae excusantes ab obligatione quaerendi alium confessarium, cui complex sit ignotus, sunt fere sequentes: α. si urget periculum mortis vel praeceptum annuae confessionis; β. si grave sit poenitenti omittere confessionem aut communionem; γ. si quis difficulter alteri

confessario conscientiam aperiat; δ. si quis secus in peccato etiam per unum diem manere debeat, et hoc ei grave sit; ε. si quis alias privetur beneficio indulgentiae extraordinariae; ζ. si apud confessarium, cui complex cognitus est, habeatur melior directio vel consolatio notabiliter maior[1]).

b. Non licet confiteri peccatum, quod non est materia necessaria confessionis, si illud sine complicis diffamatione accusari non potest. Multo minus licitum est nominare complicem in confessione illorum peccatorum, quae sine complicis manifestatione sufficienter accusari possunt; hinc si confessarius animadvertit poenitentem velle complicem nominare, ubi nulla est nominandi necessitas, id prohibere debet.

Si ergo poenitens peccatum veniale confiteri non potest, quin manifestet complicem (e. g. leves tactus a fratre admissos), illud omittere debet. Quodsi tamen poenitens aut sine iusta causa confiteretur apud confessarium, cui notus est complex, aut sine necessitate in confessione manifestaret complicem, graviter quidem vix peccaret: nam crimen alterius uni viro prudenti revelare, ordinarie non est gravis diffamatio.

c. Iam si alius confessarius, cui complex ignotus est, sine incommodo adiri nequit, nec confessio commode differri potest, omnino praeferenda videtur sententia eorum, qui cum *s. Alphonso* (n. 489) docent periculum famae, quod complex patitur apud confessarium, non excusare poenitentem ab obligatione integre confitendi, qui proinde accusare debet peccatum etiam cum complicis diffamatione.

Et sicut poenitens manifestare potest et debet suum peccatum etiam cum diffamatione complicis, ita et confessarius libere et licite interrogare potest poenitentem de iis, quae scitu sibi necessaria sunt, ut de circumstantiis, quae speciem mutant (num complex in peccato turpi sit coniugatus, num sit voto ligatus), vel de occasione proxima peccandi (num habitet in eadem domo etc.), quamvis ex responsis in cognitionem complicis deveniat.

Et sane sententia, quae in hoc casu ab integritate confessionis excusat, ut famae complicis parcatur, in hoc unico argumento fundatur: lex naturalis non laedendi famam proximi praeferenda est legi posi-

[1]) *Gury*, Theol. mor. II. n. 500.

tivae integre confitendi. Attamen α. lex naturalis solum vetat, ne fama proximi sine iusta causa laedatur; atqui praeceptum integre confitendi videtur esse satis iusta et gravis causa hanc laesionem permittendi, praesertim cum laesio vix gravis dici possit. β. Accedit praxis communis tum poenitentium, qui eiusmodi circumstantias passim accusant, tum etiam confessariorum, qui poenitentes libere interrogant de circumstantiis, ex quibus in complicis cognitionem devenire possunt.

Si poenitens peccatum confiteri nequit sine complicis manifestatione, complures docent poenitenti non licere illud peccatum penitus omittere, sed solum circumstantiam, quam sine detrimento manifestare non potest, si e. g. incestus manifestari non potest, declarandam esse fornicationem vel saltem peccatum contra castitatem. Attamen *de Lugo* censet integrum peccatum omitti posse: etenim cum confessarius ordinarie statim interrogaturus sit de iis, quae ad cognoscendam infimam peccati speciem necessaria sunt, detrimentum, quod poenitens timet, eo modo vix caveri poterit[1]). Haec doctrina eo magis probanda videtur, quod nemo tenetur bis idem peccatum confiteri; poenitens autem ad complendam confessionis integritatem bis idem peccatum confiteri deberet.

d. Cum tamen sententia opposita, quae docet tacendum esse peccatum, quod sine damno complicis manifestari nequeat, probabilitate saltem externa non careat, potest confessarius in praxi eam sequi, et poenitens, qui de hac sententia eiusque probabilitate notitiam habeat et secundum eam confessionem suam instituere velit, cogi non potest ad peccatum cum damno complicis aperiendum.

286. De multitudine poenitentium. Erant, qui docerent multitudinem poenitentium ab integritate confessionis excusare, ubi nempe die magnae festivitatis multitudo poenitentium concurrit, quorum complures audiri non possent, si omnes integre confiteri deberent. Nihilominus dicendum est ex mente ecclesiae solam multitudinem poenitentium nunquam ab integritate confessionis excusare, etsi de longinquo advenerint et communione vel indulgentia carere deberent[2]).

[1]) Cf. De poenit. disp. 16. n. 528.

[2]) Damnata est haec propositio (59) ab *Innocentio IX.*: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.*

Praeterquam quod hoc damnum spirituale non censetur esse satis magnum, ut propterea cesset obligatio integre confitendi, insuper notandum est magnum periculum, quod admissa hac causa excusante sequeretur: confessarii enim nimis facile ob concursum populi poenitentes parte tantum peccatorum declarata absolverent, et poenitentes dies concursus eligerent ad confitendum, [illegible] integre confiteri deberent. Quare in eiusmodi casu aut poenitens, qui longiore confessione indiget, dimittendus est, aut, si absque scandalo vel infamia confessionem differre et communionem omittere non potest, permittendum est, ut complures fideles [illegible] die careant sanctis sacramentis et indulgentia.

287. De petendo nomine complicis. *a.* Nomen complicis confessarius inquirit *formaliter*, quando ipsum complicem cognoscere intendit, et inquirit *materialiter*, quando intendit cognoscere peccatum statumve conscientiae poenitentis, etsi per accidens simul etiam complicem cognoscat.

b. Nomen complicis non ille solum formaliter inquirit, qui expresse nomen complicis petit, sed ille etiam, qui temere et sine iusta causa sciscitatur adiuncta, quae complicis personam designant.

1. *Formalis inquisitio* complicis per se sub gravi prohibita est, sive ex curiositate sive ex bono fine (e. g. ad corrigendum complicem) instituitur, *materialis* autem prohibita non est, immo quandoque institui debet, ubi nempe circumstantiae, ex quibus per accidens cognoscitur complex, scitu necessariae sunt sive ad integritatem confessionis procurandam sive ad conscientiam poenitentis opportunis remediis dirigendam.

a. De hac re exstant tres constitutiones *Benedicti XIV.*[1]), quas s. pontifex edidit tum ad protegendum ius, quod alii habent in propriam famam, tum ad servandam sacramenti sanctitatem; eas *Pius IX.* confirmavit in constitutione *Apostolicae sedis.*

b. Qui nomen complicis inquirit, *grave peccatum* committit, non quidem quia sine iusta causa alterum ad detrahendum inducit, sed quia sacramentum poenitentiae reddit odiosum et contra severam ecclesiae prohibitionem agit[2]).

---

[1]) Constitutio *Suprema* (1745) ad episcopos Lusitaniae; constitutio *Ubi primum* (1746); constitutio *Ad eradicandum* (1746).

[2]) Cn. 838, 2.

2. Fieri potest, ut confessarius iure postulet (etiam sub poena denegandae absolutionis), ut sibi vel superiori per poenitentem vel per alium complex manifestetur. Si nimirum bonum commune denuntiationem complicis exigit, confessarius poenitentem adigere debet, ut superiori communitatis denuntiationem faciat. Quod si poenitens potius confessario quam superiori nomen complicis manifestare velit, hoc nomen sine dubio licite confessarius excipere potest. In hoc casu tamen expedit, ut extra confessionem denuntiatio fiat et excipiatur.

Articulus quartus.

De mediis procurandae integritatis.

§ 1. De examine conscientiae.

288. De necessitate examinis. Requiritur *per se* sub gravi examen conscientiae: qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media necessaria ad finem obtinendum[1]). *Per accidens* autem fieri potest, ut examen non sit necessarium, quando scilicet nullum est periculum, ne omisso examine peccatum grave omittatur.

a. Qui ergo frequenter confitentur et quidem sola venialia, ad examen conscientiae stricte non tenentur: moralem enim certitudinem habent [illegible] non commisisse peccatum mortale, quod si commisissent, id eos etiam sine examine non lateret. Quare ad sacramentum valide suscipiendum ex hac parte aliud ab eis non exigitur, nisi ut certam et determinatam materiam clavibus subiiciant. Breve tamen conscientiae examen his quoque suaderi debet, ut defectus suos veniales melius cognoscant et [illegible] confessione uberiores fructus percipiant.

b. Quando poenitens [illegible] negligentia graviter culpabili in peragendo examine unum vel plura peccata mortalia omittit, confessio invalida et tota repetenda simulque sacrilegium gravis illius negligentiae accusandum est; si autem negligentia fuerit levis et venialis tantum,

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 14. c. 5. ait: oportere [illegible] poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum *post diligentem sui discussionem* conscientiam habent, in confessione recenseri.

confessio non est invalida (n. 283, 4). Ut autem discerni possit, utrum negligentia in examinando fuerit gravis an levis, haec regula est attendenda: qui post institutam confessionem reperit se plura peccata mortalia omisisse quam dixisse, gravis negligentiae reus habendus est; qui multo plura confessus est quam omisit, non gravem negligentiam commisisse censendus est[1]).

289. De diligentia in examine. 1. Non requiritur, ut diligentia in examinanda conscientia sit summa, qualem cautissimus quisque in re summi momenti adhibere solet: hoc enim nimis difficile foret et sacramentum adeo necessarium redderet odiosum; sed sufficit, ut sit *mediocris* et *ordinaria*, qualem homines prudentes in re magni momenti adhibere solent: examen enim institui debet *humano* i. e. hominum infirmitati accomodato modo, ne sacramentum reddatur nimis grave et onerosum.

a. Nemo tenetur scripto notare peccata sua, etsi ob debilem memoriam in actu confessionis aliquorum obliviscatur; pari modo nemo tenetur mox post commissa peccata confiteri, etsi lapsu temporis quaedam peccata e memoria excidant: haec enim extraordinaria sunt, ad quae adhibenda praeceptum integre confitendi non obligat.

b. Qui post diligens examen existimat fore, ut plura peccata mortalia sibi forte occurrant, si diutius et diligentius inquisierit, non tenetur amplius inquirere: si enim ad maiorem diligentiam teneretur, nunquam quietus esse posset et ad summam diligentiam adigeretur. Et si cui post confessionem seria ac bona voluntate institutam occurrant peccata in confessione omissa, iudicare potest et debet, ea esse inculpabiliter omissa; quare sufficit haec sola in proxima confessione accusare, nec integra confessio repetenda est.

c. Ex his etiam sequitur nullam esse obligationem de anteacta vita ulterius cogitandi; sed qui confessiones suas cum bona voluntate peregit, persuasum sibi habeat, se in confessione satisfecisse; et si peccatum occurrat, de quo dubitet, an fuerit in confessione expressum, praesumere potest et debet iam fuisse cum aliis accusatum, et solum ubi certo constat legi confessionis nondum esse satisfactum, illud accusare tenetur.

2. Non eadem diligentia in examine conscientiae ab omnibus requiritur, sed maior minorve pro diversa qualitate poenitentium. *a.* Qui diu non est confessus, diligentius se examinare debet quam is, qui ante breve tempus con-

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 367.

fessus est; *b.* homines docti atque instructi accuratius se examinare debent quam rudes et parum exculti; *c.* qui multis peccandi periculis expositi sunt, diligentius se examinare debent quam ii, qui vitam uniformem a periculis magis remotam agunt.

Si poenitentes, qui satis *instructi* sunt, imparati ad confessionem accedant, dimitti possunt, ut examinata conscientia redeant, praesertim si de longiore confessione agatur: impossibile enim est, ut quis repente interrogatus de omnibus statim recordetur. Insuper ad examen conscientiae per se poenitentes tenentur; ad confessarium pertinet solum iudicium de examinis sufficientia. Si tamen adiuncta aliud suadent, praesertim si timendum est, ne dimissi ad confessarium non amplius redeant, praestat statim illos in examinanda conscientia iuvare. Quodsi poenitentes sint *rudes*, non facile dimittendi sunt, ut conscientiam suam ipsi examinent; sed confessarius onus eos examinandi in se suscipiat. Paucis enim interrogationibus confessarius plus obtinebit quam illi ipsi, si sibi sint relicti, longo examine praestare possunt. Advertat autem confessarius se non teneri ad procurandam maiorem integritatem, quam ipsi sese examinando obtinere possent.

§ 2. De repetitione confessionis invalidae.

A confessione *invalida* distingui debet confessio *incompleta*, in qua ex iusta causa omissum fuit peccatum mortale. Confessio valida sed incompleta non est necessario repetenda, sed solum supplendus est defectus, eo quod peccata nondum accusata clavibus subiiciuntur, ut vi absolutionis directe remittantur.

290. Repetitionis necessitas. 1. Confessio *certo invalida* semper tota repetenda est, quia peccata in confessione invalida declarata nondum rite per claves ecclesiae remissa sunt. Si autem confessio *probabiliter* tantum *invalida* fuit, repetitio suaderi, at stricte imponi non potest: non enim est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet; lex autem, cui probabiliter iam est satisfactum, non est amplius certa.

2. Quando repetitio confessionis invalidae fit apud *alium confessarium*, sine dubio confessio tota repetenda est, quia de peccatis nondum remissis sacramentaliter

iudicare debet; si autem fit apud *eundem confessarium*, non est necessario repetenda, sed sufficit in genere se accusare de omnibus iam antea dictis addendo in particulari ea, quae antea omissa fuerant, dummodo confessarius confusam status poenitentis cognitionem aut adhuc habeat aut nunc aptis interrogationibus acquirat[1]).

Si poenitens confessiones *ob defectum doloris invalidas* apud eundem confessarium repetit, facta hac generali confessione: *me accuso de peccatis iam prius confessis*, valide et licite absolvi potest, etsi confessarius nec ipsa peccata nec poenitentiam impositam distincte recordetur, modo confusam cognitionem status poenitentis adhuc habeat vel nunc acquirat, adeo ut sciat *se de peccatis sacramentaliter iam iudicasse et poenitentiam imposuisse*. Quamvis enim cognitio peccatorum, quam confessarius nunc habet, sit valde imperfecta et confusa, ea tamen cum priore coniuncta, quae erat distincta, sufficere videtur, ut absolutio valide et licite concedatur, si confessarius poenitentem nunc iudicare possit dispositum: iudicium enim sacramentale antea distincte inchoatum nunc valida absolutione completur.

291. Causae invaliditatis. Confessio potest esse invalida ob defectum, qui reperitur aut ex parte confessarii aut ex parte poenitentis.

1. *Defectus ex parte confessarii: a.* si caret iurisdictione;

b. si formam substantialiter mutat;

c. si non intendit absolvere;

d. si nullum peccatum intelligit, ita ut non habeat materiam, qua absolvat.

α. Confessarius de singulis peccatis in confessione declaratis deque eorum specie theologica et morali nec non de eorum numero sacramentaliter iudicare debet; attamen confessio, quae bona fide fit confessario, qui inter mortale et veniale, inter species, inter unitatem et pluralitatem peccatorum discernere non potest, vel qui aliquod peccatum mortale iudicat esse veniale, valida est, modo poenitens peccata sua fideliter exponat: nam poenitens ex parte sua omnia peccata reipsa clavibus subiicit; ex parte autem confessarii ad licitam quidem sacramenti administrationem requiritur, ut, quantum fieri potest, de peccatorum gravitate, specie et numero recte iudicet, ad valorem autem sacramenti non requiritur, ut *vere* de his iudicet. Qui autem de industria quaerit confessarium indoctum, ne peccata sua, ut par est, a con-

[1]) *Lugo* disp. 16. n. 636. *Ballerini-Palmieri* V. 276.

fessario intelligantur, contra praeceptum integre confitendi peccat et ex defectu dispositionis invalide confitetur et confessionem revalidare debet.

β. Peccata, quae confessarius non intellexit, de quibus proinde sacramentaliter non iudicavit, vi absolutionis non remittuntur; attamen confessio, quae bona fide confessario fit, qui ob surditatem, somnum, distractionem peccata etiam mortalia non rite intelligit, valida est ideoque non necessario repetenda, modo confessarius unum vel alterum peccatum mortale perceperit. Et si poenitens peracta confessione sciat quidem, quaedam peccata a confessario non fuisse intellecta, sed nesciat, quaenam illa sint, distinguendum est. Si confessio fuerit *prolixa*, nulla exsistit obligatio illa denuo confitendi, quia de singulis probabile est [illegible] fuisse rite intellecta; si autem confessio fuerit *brevis*, repetenda est, quia nequit de singulis haberi probabilitas ea rite fuisse intellecta[1]). Pariter si poenitens sciat, quaenam peccata non perceperit confessarius, ea in sequenti confessione explicare tenetur, quia illa peccata non percepta non sunt clavibus subiecta nec directe remissa. Etiam in hoc casu addendum est, si poenitens data opera eiusmodi confessarium quaerit, contra praeceptum de integritate confessionis peccat et proinde ex defectu dispositionis invalide absolvitur et confessionem repetere debet.

2. *Defectus ex parte poenitentis: a.* si vero dolore et proposito caruit;

b. si peccatum mortale scienter reticuit;

c. si in re gravi mentitus est, falso emendationem promisit;

d. si in examinanda conscientia ex negligentia graviter peccavit.

α. Poenitentes, qui timent, ne diu invalide confessi sint, quin tamen certum timoris fundamentum sciant, nihil repetere debent, praesertim si sint timoratae conscientiae et diligentiam in confessionibus adhibere soleant.

β. Qui fatentur se peccatum omisisse in iuventute vel pueritia patratum, interrogandi sunt, utrum tunc, quando patratum fuit, sciverint esse peccatum et quidem grave, [illegible] vero postea tandem id cognoverint: quod enim, quando patratum est, putarunt leve vel nullum peccatum, non debet postea necessario declarari, multo autem minus aliae confessiones hucusque factae iterandae sunt, quippe quae validae fuerint.

γ. Qui fatetur [illegible] peccatum, quod pro mortali habuit, scienter in confessione reticuisse, vel numerum vel circumstantiam necessario declarandam culpabiliter omisisse, non tenetur repetere confessiones inter-

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 269.

medias bona fide et rite peractas ideoque validas. Quare interrogandus est, num sciverit celare in confessione peccatum mortale esse grave peccatum, et peccatum in confessione celatum in sequenti confessione esse declarandum; num in sequentibus confessionibus de peccato omisso et declarando cogitaverit: etenim si peccatum aut ex ignorantia aut ex oblivione omisit, confessiones intermediae validae erant[1]).

Articulus quintus.

De absolutione moribundorum.

292. In absolvendis moribundis per se eaedem regulae servari debent, quae de absolutione aliorum statuuntur; quocirca non licet absolvere moribundum, qui cum morali certitudine iudicatur indispositus, ut si gravem obligationem implere recuset, quia non licet scienter sacramentum frustrare. Cum tamen in absolvendis moribundis triplex potissimum occurrere soleat difficultas: ob defectum *integrae confessionis,* ob defectum *dispositionis* atque ob defectum *sensibilis accusationis,* de his in particulari agendum est.

1. A **praecepto integritatis** moribundi excusantur propter impotentiam vel physicam vel moralem: ad impossibile enim nemo tenetur.

Hinc *a.* si moribundus dicto uno vel altero peccato deficiat vel sensibus destituatur, interim absolvendus est. *b.* Pariter si infirmus sine gravi detrimento sanitatis vel sine magna difficultate longiorem confessionem instituere nequit, auditis peccatis, quae sine nimia difficultate accusare potest, absolvendus est. *c.* Si infirmus ob capitis debilitatem accuratius examen conscientiae instituere nequit, auditis iis, quae sine examine declarare potest, absolvendus est. *d.* Immo si solum in genere aut verbis aut aliis signis declarare potest, se peccasse, absolvendus est, et quidem *absolute,* nisi ex alia ratione addenda sit conditio; attamen in omnibus hisce casibus postea omissa suppleri debent, si id fieri potest.

293. 2. Quod **dispositionem** attinet, haec in moribundis sensibus destitutis semper supponitur, nisi certo

[1]) De *confessione generali* vide appendicem in fine huius voluminis.

constet eam deesse. Ideo (sub conditione) absolvuntur *a.* non solum illi, qui christiane vixerunt, etsi, antequam sensibus destituerentur, nullum signum poenitentiae dederint; sed *b.* etiam illi, qui parum christiane vixerunt; immo *c.* etiam illi, qui in ipso actu peccati e. g. in duello, in furto, ex suicidio etc. sensibus destituti sunt. Fieri enim potest, ut habeant lucida intervalla, in quibus statum suum et periculum aeternae damnationis cognoscant et elicito actu doloris cum Deo reconciliari per absolutionem desiderent. Quodsi ergo sufficienter dispositi moraliter esse *possunt*, in hac extrema necessitate eos absolvere licet.

Illi ergo in morte absolvi non possunt, in quibus actus poenitentiae nullo rationabili fundamento supponi potest, vel, ut Rituale romanum habet, absolvendi non sunt „impoenitentes et qui in manifesto peccato mortali moriuntur“[1]). Huiusmodi autem sunt imprimis ii, qui usque ad illud tempus, quo sensibus destituebantur, ministrum ecclesiae eiusque sacramenta expresse reiecerunt; deinde etiam illi, qui adeo impie vixerunt, ut scienter usque ad extrema vitae momenta in peccato et impoenitentia perseverarint, licet sacramenta ecclesiae, quae eis oblata non sunt, non reiecerint. Nulla enim, ne tenui quidem probabilitate hi praesumi possunt dispositi, nisi Deus extraordinario gratiae miraculo eos ad se convertat; sed extraordinaria gratiae miracula nec praesumenda sunt nec norma in administrandis sacramentis esse possunt.

294. 3. Quod tandem **accusationem sensibilem** attinet, absolvere licet non solum moribundos, qui desiderium confitendi coram confessario verbis vel aliis signis manifestant, sed etiam moribundos sensibus destitutos, qui desiderium confitendi per alios (e. g. petendo confessarium), qui id confessario testentur, significarunt, immo eos quoque, qui desiderium confitendi nullo signo exterius manifestarunt: id enim habet praxis communis hodie in ecclesia recepta.

a. Absolutio danda est *absolute*, si moribundus sive per se sive per alium desiderium confessionis manifestavit, et danda est *conditionate*, si nullum signum confessionis et doloris dedit[2]). Ceterum [redacted] iuxta sententiam probabilem sufficiat, ut conditio virtualiter et implicite apponatur, eamque sic apponat, quisquis sacramenta ad mentem

[1]) *Rituale rom.* tit. 5. c. 1. n. 8.
[2]) *Rituale rom.* tit. 3. c. 1. n. 24.

ecclesiae administrat[1]), necesse non est, ut confessarius de absolutione conditionata admodum sollicitus sit.

b. Maxima huius rei difficultas est in explicanda validitate absolutionis, quae detur moribundo, qui nullum signum externum doloris et confessionis ostendit: etenim si actus poenitentis *exterius manifestati* dicantur aut pars essentialis sacramenti aut conditio necessaria validae absolutionis, non apparet, qua ratione eiusmodi moribundus valide absolvi possit.

Quam ob rem auctores antiquiores communiter hanc absolutionem invalidam atque illicitam declarant[2]). Nihilominus cursu temporis adeo auctus est numerus auctorum, qui hanc absolutionem licitam dicerent, ut *Lacroix* eorum sententiam communem[3]), *s. Alphonsus* eandem communiorem vocare potuerit[4]).

Eiusmodi absolutionem validam esse auctores duplici modo explicare conantur. Alii dicunt pie nec imprudenter praesumi posse, moribundum desiderium confitendi interius conceptum, cum aliter non possit, exterius manifestare suspiriis, anxiis respirationibus aliisque motibus corporis. Alii vero dicunt hominem, qui pie vixit, immo etiam illum, qui, etsi minime pie vixit, sed tamen ab ecclesia non recessit, eo ipso quod pie vixit aut saltem in ecclesia permansit manifestasse desiderium, velle [redacted] in morte per poenitentiae sacramentum [redacted] Deo reconciliari.

Verum utraque explicatio magnis difficultatibus premitur. Prima quidem, quia non apparet, quo iure motus physici, qui per se solum angustias corporis significant, ut signa doloris et confessionis haberi possint. Altera vero, quia iis saltem moribundis applicari nequit, qui in actu peccati sensibus destituuntur: etenim „ridiculum esset, ait *de Lugo*, quod hodie vellet [redacted] aliquis accusare de peccato cras committendo, ut cras ab [redacted] absolvatur in virtute huius accusationis"[5]). Quamobrem nonnulli recentes praeeunte *Ballerini* opinantur nullum requiri signum externum doloris et confessionis, ut moribundus sensibus destitutus valide et licite absolvi possit. Actus enim poenitentis non habent nisi rationem necessariae dispositionis; ideo valide et licite absolvi potest moribundus sensibus destitutus, qui tenui quadam probalitate praesumi potest elicuisse actum attritionis de peccatis suis sive ante sive post quam sensibus destituebatur (n. 233)[6]).

---

[1]) Cf. *Gury*, Theol. mor. II. n. 206.

[2]) *Laymann* l. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. *Suarez* disp. 23. sect. 1. n. 13. *Coninck*, disp. 7. dub. 10. n. 96. *Lugo* disp. 17. sect. 3.

[3]) *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 1162.

[4]) *S. Alphonsus* n. 482.

[5]) L. c. n. 39.

[6]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 240 ss.

Nota 1. Ex physiologicis experimentis constare videtur, mortem realem i. e. ipsam separationem animae et corporis non accidere eodem tempore, quo functiones vitales respirationis et circulationis cessant, sed vitam post ultimam expirationem per aliquod tempus latenter adhuc perdurare. Quanto tempore vita post mortem apparentem latenter adhuc duret, tum a qualitate morbi tum a complexione moribundi dependet. In morte repentina vita ultra diem (per triduum nonnulli putant), in morte ordinaria ultra semihoram (per diem alii putant) protrahi potest. Ex quibus colligitur homini, qui ex communi aestimatione iam censetur defunctus, si ex diurturna infirmitate obiit, intra semihoram, si vero ex repentino morbo vel repentino accidenti obiit, intra duas (immo plures) horas sacramenta necessaria sub conditione administrari debere, sacramenta vero non necessaria sub conditione administrari posse, quia probabiliter saltem adhuc vivit[1]). Et extrema quidem unctio brevissimo modo i. e. unica forma et una unctione in fronte administratur, quia maximum est periculum in mora. Nec est necesse, ut in hoc casu praeter orationes in rituali positas postea quidquam suppleatur, cum de valore sacramentali hoc modo collati non sit amplius dubium.

Nota 2. Quoad *modum agendi* cum eiusmodi moribundis haec notasse iuvat. Quia experientia constat, moribundos sensibus specietenus destitutos quandoque usum rationis atque auditus habere, de sacramentis, quae eis administrantur, monendi et actus contritionis nec non virtutum theologicarum brevissime ad eorum aurem recitandi sunt, antequam ipsa sacramenta administrantur.

295. *Num haereticis in articulo mortis concedi possit absolutio, sive sint sensibus valentes sive eisdem destituti.*

Auctores in hac quaestione diversae sunt sententiae. *S. Alphonsus* cum plerisque aliis negat (n. 483) eis concedi posse absolutionem, nisi eam expresse petant, quia nullum manifestant desiderium absolutionis, quam potius abhorrere censendi sunt. Sunt tamen plures auctores (ut *Gobat, Lacroix, Reuter, Elbel* etc.), qui absolutionem eis concedi posse existimant, eo quod in iis, qui sensibus valent, opportunis monitionibus excitari possit implicitum desiderium absolutionis; in iis autem, qui sensibus destituti sunt, tenui saltem probabilitate implicitum illud desiderium supponatur.

---

[1]) Cf. *Villada,* Casus conscientiae pr. 3. p. 235 ss. *Ferreres,* La morte reale e la morte apparente (Roma. Typograph. Salesiana. 1905). *Antonelli,* Medicina pastoralis[3] (Romae. Pustet. 1909) II. n. 979 ss. *Ferreres-Geniesse,* der wirkliche Tod und der Scheintod (Coblenz. Central-Auskunftsstelle 1908).

a. Acatholicus moribundus adhuc sensibus valens, qui propter peculiaria adiuncta de conversione ad ecclesiam catholicam moneri non potest, praemissis praemittendis clam sub conditione licite absolvitur, dummodo prudenter existimetur haereticus materialis, qui bona fide extra ecclesiam catholicam vivat.

Ante absolutionem curet confessarius, ut actus fidei, spei, caritatis et contritionis perfectae cum moribundo eliciat, et fidei quidem explicitae in articulos absolute necessarios, in alios vero implicitae; ut peccatorem coram Deo et sacerdote se declaret, ac tandem ostendat se desiderare, ut a sacerdote, quantum hic potest, in assequenda vita aeterna iuvetur, vel saltem se velle praestare omnia, quae ex praecepto Christi ad salutem necessaria sunt. Etenim absolutio, quae datur eiusmodi haeretico, potest esse invalida sive ex defectu intentionis sive ex defectu confessionis dolorosae; iam vero tum intentio implicita tum confessio dolorosa in genere facta in illis actibus continentur.

b. Acatholicus moribundus sensibus destitutus, praemissis ad eius aurem actibus supra dictis, clam sub conditione absolvi potest, si tenui saltem probabilitate haberi potest dispositus. Iam vero utrum in haeretico, etsi materiali tantum, desiderium absolutionis vel cum tenui probabilitate supponi possit necne, alii iudicent. *S. Alphonsus* quidem id negat.

c. At extra articulum mortis non licet absolvere haereticum (vel schismaticum), etsi materialem tantum et in bona fide exsistentem, si in haeresi persistere intendit, quia sine aliorum scandalo id fieri non posset: haeretici enim in errore confirmarentur et catholici horrorem haeresis amitterent[1]).

d. Si in haeretico moribundo de valore baptismi vel leve tantum dubium exstat, ipse praemissis actibus necessariis imprimis clam sub conditione baptizari debet.

[1]) *S. Officium* 20. iul. 1898. Cn. 731, 2.

Quaestio tertia.

De satisfactione.

Articulus primus.

De natura satisfactionis.

296. Definitio. Satisfactio generatim est compensatio iniuriae alteri illatae; et satisfactio pro peccatis est compensatio iniuriae Deo per peccata illatae. Hinc satisfactio fit voluntaria sui ipsius punitione, qua peccator intendit reparare iniuriam Deo per peccatum illatam et movere Deum, ut, hac punitione contentus, non puniat. Satisfactio pro peccatis altera est *sacramentalis,* quae a confessario in sacramento poenitentiae imponitur, altera *non sacramentalis,* quam poenitens vel ipse assumit vel a Deo immissam voluntarie acceptat. *Satisfactio sacramentalis* definiri solet: opus poenale a confessario in sacramento poenitentiae impositum ad compensandam iniuriam Deo per peccata illatam.

Poenale: eo solum offensam et iniuriam Deo per peccatum illatam compensare et vindicare possumus, quod aliquod opus bonum, Deo quidem gratum, nobis autem molestum et afflictivum peragimus: satisfactio enim sacramentalis natura [redacted] castigatio est. Omne autem opus bonum naturae lapsae de facto est poenale et laboriosum. *A confessario impositum:* licet enim alia opera poenitentiae, quae propria voluntate assumuntur vel a Deo immittuntur, meritum habeant satisfactorium, non sunt tamen satisfactiones sacramentales, ideoque proprium harum effectum non producunt.

277. Divisio satisfactionis sacramentalis. 1. Distinguitur satisfactio *in voto,* quae est voluntas acceptandi et implendi poenitentiam a confessario iniungendam; et satisfactio *in re,* quae est actualis exsecutio poenitentiae iniunctae.

Illa est pars essentialis sacramenti vel saltem necessaria dispositio poenitentis, absolutionem praecedere debet et, si deesset sacramentum redderet invalidum; haec est pars integralis sacramenti, absolutionem

subsequi solet et, si deest, sacramentum non reddit invalidum, sed solum integraliter imperfectum et incompletum.

2. Satisfactio dividitur in *vindicativam,* quae tendit ad punienda peccata, et *medicinalem,* quae tendit ad praecavendos relapsus. Satisfactio sacramentalis semper utrumque finem intendit: ipsa peccata punire eisque mederi debet; eius tamen finis proprius et primarius est punitio seu expiatio peccatorum.

Quia satisfactio natura sua *vindicativa* est, aliquam saltem castigationem pro peccatis commissis, et quia *medicinalis* est, aptum remedium contra relapsus continere debet. Reipsa omne opus bonum, quod iniungitur, ad utrumque finem obtinendum aliquo modo conducit: omne opus bonum non solum poenale atque ideo vindicativum, verum etiam meritorium gratiarum ideoque medicinale est.

298. Effectus satisfactionis. 1. Satisfactio sacramentalis producit *remissionem poenae temporalis* pro peccatis remissis debitae *ex opere operato:* satisfactio enim est pars integralis sacramenti poenitentiae a Christo institutae, ut per sacramentum peccatum etiam quoad poenam plene remittatur. Ideo concilium tridentin. docet *esse ex institutione Christi,* quod poena (temporalis) condonetur[1]).

Ergo opera poenitentiae sacramentalis duplicem effectum satisfactorium sortiuntur, alterum ex opere operato, qui eis vi absolutionis sacramentalis accedit, alterum ex opere operantis, quem aeque habent atque alia opera bona hominis iusti.

2. Ut satisfactio sacramentalis effectum suum producat, a poenitente *peragenda est in statu gratiae:* in statu enim peccati homo non est capax, qui accipiat remissionem poenae temporalis. Nihilominus poenitens, qui satisfactionem a confessario sibi iniunctam implet in statu peccati, satisfacit praecepto, quia totum opus sibi iniunctum ponit, licet eius finem non attingat.

a. Si poenitens, qui in statu peccati poenitentiam peregit, postea statum gratiae recuperavit, non improbabiliter *effectum ipsum obice remoto consequitur,* quia poenitentia sacramentalis effectum suum non producit ex meritis poenitentis, sed ex opere operato[2]).

---

[1]) Cf. sess. 14. c. 8. et can. 15.

[2]) *Suarez* disp. 38. sect. 8. n. 5.

b. Poenitentiam implere *in statu peccati* omnium consensu non est grave peccatum; immo plerique affirmant id nullum esse peccatum, quia solum poenarum remissioni obicem ponere culpa vacare videtur.

c. Qui in persolvenda poenitentia *peccatum veniale committit* e. g. per distractionem voluntariam, eo ipso non impedit effectum satisfactionis sacramentalis, quia peccatum veniale non impedit remissionem poenae temporalis propter alia peccata iam remissa debitae.

Articulus secundus.

De satisfactione imponenda.

299. Obligatio imponendi poenitentiam. Confessarius *per se sub gravi* tenetur poenitenti *imponere satisfactionem:* nam ut minister sacramenti tenetur, quantum in se est, procurare non solum quae ad essentiam, sed etiam quae ad integritatem pertinent; satisfactio autem est pars integralis huius sacramenti. Insuper concilium trid. id conceptis verbis praescribit: *Debent* ergo sacerdotes Domini satisfactiones iniungere[1]). Hinc confessarius certe peccaret, si absque causa excusante nullam prorsus poenitentiam imponeret.

a. Hoc praeceptum admittit *parvitatem materiae.* Quamvis ergo confessarius pro mortalibus sub gravi teneatur imponere poenitentiam, pro venialibus solum sub levi tenetur: graviter enim non peccat, qui sacramentum privat complemento levis momenti, sicut iudex non deest graviter officio suo, qui omittat levem poenam imponere[2]).

b. Cum semper urgeat obligatio integrandi sacramentum, nullus est casus, in quo confessarius non teneatur aliquam poenitentiam imponere, nisi poenitens satisfactionis praestandae impar sit ut moribundus sensibus destitutus, qui nullam poenitentiam peragere potest. Quare etiam graviter aegrotis levissimum aliquod opus ut brevis oratio iaculatoria, invocatio sanctissimorum nominum, osculum crucifixi etc. iniungi solet.

---

[1]) Sess. 14. c. 8. haec leguntur: „*Debent* ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, *pro qualitate criminum et poenitentium facultate* salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur". Consentit cn. 887.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 25. n. 49.

c. Confessarius poenitentiam imponit *per modum praecepti*, etsi eam imponere possit etiam per modum meri consilii sine ulla obligatione in conscientia. Unde necesse non est, ut satisfactiones graves pro peccatis mortalibus semper imponantur sub gravi, sed ex iusta causa etiam satisfactiones graves sub levi obligatione imponi possunt[1]).

300. Qualitas poenitentiae imponendae. 1. Confessarius tenetur etiam per se sub gravi imponere *poenitentiam quantitati* et *qualitati criminum* et *facultati poenitentis convenientem;* tenetur ergo pro mortalibus gravem, pro venialibus levem poenitentiam imponere. Sane ubi concilium tridentinum declarat praeceptum imponendi poenitentiam, simul declarat poenitentiam peccatis et facultati poenitentium debere esse proportionatam.

Ideo confessarius, qui sine iusta causa pro gravibus delictis levissimam poenitentiam imponit, sine dubio peccat. Sed cum hoc sacramentum magis institutum sit ad procurandam hominum salutem quam ad satisfaciendum divinae iustitiae, si uterque finis obtineri non potest, negligendus est secundarius, ut obtineatur poenitentis salus.

2. Quantitas et qualitas poenitentiae imponendae generali regula determinari non potest, sed relinquitur prudentiae et iudicio confessarii, qui in determinanda poenitentia ad haec attendere debet: *a.* Pro *gravibus delictis* non solum gravis poenitentia iniungenda est, sed quo plura et graviora sunt peccata, eo gravior debet esse poenitentia. Ergo per se non sufficit pro pluribus peccatis gravibus poenitentiam simpliciter gravem e. g. rosarium iniungere. Attamen non requiritur, ut quantitas poenitentiae gravitati peccatorum mathematice commensurata sit, ut v. g. pro centum gravibus delictis poenitentia centuplo maior iniungatur, quod impossibile est, sed sufficit, ut quo graviora sunt delicta, moraliter etiam gravior poenitentia imponatur. *b.* Ut poenitentia *qualitati* peccatorum sit conveniens, monet rituale, ut contrariae peccatis poenitentiae iniungantur, avaris e. g. eleemosynae, libidinosis carnis afflictiones, desidiosis devotionis studia etc.[2]). Quod non

[1]) Cf. *Suarez* disp. 38. sect. 3. *S. Alphonsus* n. 518. *Ballerini-Palmieri* V. n. 303.

[2]) *Rituale rom.* tit. 3. c. 1. n. 19. Cn. 887.

ita intelligendum est, quasi pro singulis peccatis alia poenitentia iniungenda sit, sed ut pro peccato, in quod poenitens saepius relabitur, quantum fieri potest, contraria poenitentia iniungatur. Verum cum poenitentes plerumque ferre non possint satisfactiones congruas qualitati peccatorum, de facto vix aliud iniungi potest quam oratio. Ceterum, ut notat *Ballerini*, fervens oratio est medicina vel obtinet medicinam cuilibet malo morali[1]).

Quae poenitentia sit gravis. Ex hodierna praxi ecclesiae poenitentia gravis esse censetur, quae respondet operi, quod sub gravi ab ecclesia iniungitur, vel quod sub gravi obligaret, si praeciperetur. Hinc satisfactio gravis erit missam audire, ieiunare, recitare quinque decades rosarii, officium parvum b. Virginis, litanias sanctorum cum precibus, susceptio sacramentorum, eleemosyna pro conditione status non parva et similia; gravis autem poenitentia non censentur psalmus *Miserere* vel sex *Pater* et *Ave* tantum.

301. Causae minuendi poenitentiam. Causae, propter quas confessarius modicam pro gravibus poenitentiam imponere possit, sunt fere sequentes:

a. Si poenitens sit infirmus corpore aut valde debilis mente, ut iustam pro peccatis poenitentiam solum aegre et difficulter implere possit.

b. Si timendum sit, ne poenitens maiorem poenitentiam non adimpleat vel ob graviorem a confessione avertatur.

Hinc si quando gravior poenitentia imponenda esset, consultum erit poenitentem interrogare, num poenitentiam iniunctam implere possit, et si non potest, immutanda vel minuenda erit; praestat autem poenitenti indicare causam, ob quam levior poenitentia imponatur. Ceterum sine periculo avertendi poenitentem a sacramentis gravior satisfactio ei iniungi potest, si cum levi opere supererogatorio imponatur opus grave iam alias debitum e. g. sacrum praeceptum.

c. Si poenitens valde contritus videatur: vehemens enim contritio tantae virtutis est, ut poenam temporalem vel omnem vel magnam eius partem deleat, vel si poenitens aliunde sit bonis operibus intentus, quibus pro peccatis satisfaciat.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 322.

d. Si adsit occasio lucrandae indulgentiae extraordinariae: per hanc enim iam satisfit debitae poenae, vel si poenitens sit sedulus in lucrandis indulgentiis etiam non plenariis, ut fere contingit in iis, qui adscripti sunt confraternitatibus et diligenter perficiunt preces et opera praescripta.

e. Si confessarius pro poenitente satisfactionem praestare intendat: constat enim unum pro altero positis debitis conditionibus satisfacere posse.

302. Quando imponenda sit poenitentia. Poenitentia ordinarie *imponenda est ante absolutionem,* quia sic melius servatur ordo iudicii, qui exigit, ut reus prius spondeat satisfactionem, antequam absolvatur. Cum tamen huius ordinis nulla sit necessitas, poenitentia absque peccato iniungi potest etiam post absolutionem, et post absolutionem iniungi omnino debet, si confessarius antea nullam iniunxisset[1]).

Si poenitens post absolutionem accusat novum peccatum ex oblivione omissum, necesse non est, ut confessarius novam poenitentiam imponat. Contrarium quidem alii tenent, quia opus titulo satisfactionis iam debitum nequeat imponi in poenitentiam. Verum cum haec absolutio non sit novum iudicium sacramentale, sed solum complementum prioris, necesse non est, ut nova poenitentia imponatur, sicut necesse non est, ut novus dolor eliciatur (n. 259). Scilicet confessarius concedens et complens absolutionem eo ipso extendit poenitentiam iam impositam etiam ad novum peccatum[2]).

303. Opera, quae pro poenitentia iniungi possunt. Generatim omnia opera bona pro poenitentia imponi possunt, sive *oratio* seu opera religionis, sive *ieiunium* seu opera poenitentiae, sive *eleemosyna* seu opera caritatis; in specie vero haec notentur:

1. Quoniam homini in hoc statu naturae lapsae etiam opus *internum* poenale est, pro poenitentia iniungi possunt etiam actus mere interni ut actus fidei, spei et caritatis,

[1]) Cf. *Suarez* disp. 38. sect. 3. *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 576.
[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 293.

meditationes, examina conscientiae, actus contritionis etc.; opera tamen externa ut orationes vocales, visitationes templorum etc. illis praeferenda sunt, tum quia magis laboriosa ideoque ceteris paribus magis satisfactoria sunt, tum quia, utpote in se sensibilia, sacramento, quod natura [illegible] signum sensibile est, magis conveniunt.

2. Iniungi potest opus iam *aliunde debitum:* quamvis enim iam sit debitum, potest tamen per claves ecclesiae ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari.

a. Ordinarie quidem omnino convenit, ut imponantur opera supererogatoria, aliquando tamen ob fragilitatem poenitentis consultum est imponere opus iam alias praeceptum. Poenitenti e. g., qui praecepta ecclesiae non servat, utiliter potest iniungi, ut usque ad sequentem confessionem diebus festis missam audiat, abstinentiam et ieiunium observet etc. Quodsi nihilominus haec opera iniuncta omittat, duplex peccatum committit, aliud contra praeceptum ecclesiae, aliud contra praeceptum confessarii [illegible] contra virtutem poenitentiae.

b. Si confessarius iniungat opus, quod alias praeceptum est, ut si iniungat auditionem missae vel ieiunium, semper intelligitur opus non praeceptum, nisi ex verbis confessarii vel ex adiunctis aliud constet.

3. Potest confessarius *opera bona poenitentis,* quae determinato tempore (hac hebdomada, hoc mense, hoc adventu, hac quadragesima) facturus est, in satisfactionem imponere e. g. preces quotidianas, eleemosynas solitas etc., quod praesertim expedit in iis, quibus ob fragilitatem vel alias occupationes digna peccatis poenitentia imponi non potest.

4. Potest confessarius pro poenitentia imponere preces vel *opera, quibus annexae sunt indulgentiae,* adeo ut poenitens, si confessarius tale opus imposuerit, eodem actu poenitentiam et conditionem ad lucrandam indulgentiam requisitam impleat, cum poenitentia et lucratio indulgentiae mutuo non se excludant.

De hac re antea inter theologos controversa post recentem *S. C. Indl.* (14. iun. 1901) declarationem et cn. 932 non potest amplius esse dubium. Attamen non convenit, ut loco gravis poenitentiae iniungatur opus in se leve, cui annexa est indulgentia sive partialis sive plenaria: ex

tridentino enim et novo *Codice* cn. cit. per se iniungi debent opera poenitentiae peccatis proportionata.

5. Potest confessarius iniungere bona opera a poenitente *pro defunctis offerenda:* quod si fiat, defunctis applicatur ille fructus satisfactorius, quem opus iniunctum habet ex opere operantis; fructus autem, quem opus poenitentiae habet ex opere operato, manet in poenitente.

Pari modo, si imponatur opus offerendum e. g. pro ecclesia, pro conversione peccatorum, pro agonizantibus etc., intentio est, ut operis valor impetratorius alteri obveniat, satisfactio autem tota poenitenti maneat.

6. Potest etiam imponi (saltem probabiliter) poenitentia aliqua *sub conditione relapsus,* e. g. si iterum blasphemas, dices brevem orationem, si iterum te inebrias, ieiunabis. In hoc enim casu poenitentia est veluti disiunctiva: aut adhibebis magnum omnino conatum ad resistendum tentationi, aut ieiunabis. Expedit tamen, ut modica saltem poenitentia absolute imponatur[1]).

304. Poenitentiae incongruae generatim sunt poenitentiae ex pluribus iisque variis operibus *implicitae, nimis diuturnae* et *nimis graves* tum propter periculum, ne omittantur, tum quia confessionem reddunt odiosam. In specie vero improbantur:

a. Poenitentiae publicae, praesertim vero poenitentiae, quae adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio sequatur. Etenim pro peccatis occultis non licet poenitentiam publicam imponere; et quamvis pro publicis publica poenitentia absolute imponi posset, [ex hodierna tamen praxi confessarius ab illa iniungenda abstinere debet, si non est necessaria; necessaria autem vix unquam erit: nam solum ad reparandum publicum scandalum necessaria esse posset; atqui publicum scandalum alia ratione reparari potest, scilicet vita vere christiana et bono exemplo, quod aliis aedificationi sit.

b. Ieiunia pro pueris, rusticis, opificibus, qui continuo labore defatigati sunt, pro filiisfamilias, qui ieiunando admirationem, forte etiam offensionem parentum excitarent. Prolixae preces, peregrinationes vel eleemosynae pro mulieribus, quae sub potestate viri constitutae sunt.

c. Poenitentiae naturae repugnantes ut lingua signare crucem in terra, invisere inimicos. Imprudenter etiam imponitur pueris, ut veniam

---

[1]) *Sporer-Bierbaum* III. pr. 3. n. 560 ss.

petant a parentibus vel ab aliis ob inoboedientiam vel ob furtula, quia timendum est, ne opus iniunctum omittatur et confessio reddatur eis odiosa.

d. Pariter incongruae sunt poenitentiae in operibus *mere externis* consistentes, e. g. illa, quam graeci valde amant et metiniam (μετάνοια) vocant, quae consistit in 50 inclinationibus profundis immediate sibi succedentibus. Immo in occidente ne tum quidem metinia suadenda esset, si cum actibus internis consentaneis coniungeretur.

Articulus tertius.

De satisfactione acceptanda et implenda.

305. Obligatio acceptandi et implendi poenitentiam. 1. Poenitens *per se sub gravi acceptare* tenetur poenitentiam a confessario impositam, nisi sit irrationabilis. Obligationi enim confessarii imponendi poenitentiam in poenitente respondet obligatio eam acceptandi; sed ex tridentino confessarius per se sub gravi tenetur iniungere poenitentiam.

a. Nisi sit irrationabilis: poenitentiam non rationabilem i. e. iuxta disciplinam hodie in ecclesia receptam iusto graviorem aut difficiliorem poenitens non tenetur acceptare neque implere. Si ergo poenitentia a confessario poenitenti iniuncta manifesto sit iniusta, is rogare potest confessarium, ut aliam imponat, nec facile reperietur confessarius, qui nolit acquiescere desiderio poenitentis. Quod si tamen confessarius id facere renuat, poenitens aut sine absolutione recedere et alteri sacerdoti sua peccata confiteri, aut poenitentiam acceptare potest, ut absolutionem recipiat, at poenitentiam acceptatam implere non tenetur. Ad imponendam enim poenitentiam irrationabilem atque inconvenientem confessarius potestatem non habet, et proinde nec poenitens obligationem eam acceptandi.

b. A poenitentia irrationabili, cuiusmodi est e. g. poenitentia publica, ingressus in religionem, ieiunium in pane et aqua, poenitentia multis et variis operibus implexa, distinguenda est poenitentia magna et difficilis, sed tamen iusta; quam quidem poenitens recusare non potest. Quodsi talem poenitentiam implere nollet, ut licite agat, voluntatem habere debet petendi satisfactionis impositae commutationem, eamque tamen implendi, si commutationem consecutus non fuerit.

2. Poenitens satisfactionem iustam a confessario impositam *sub gravi implere* tenetur, si concurrant debitae

conditiones: eo enim quod poenitentia acceptata non persolvitur, sacramentum manet integraliter incompletum; atqui obligatio per realem satisfactionem complendi hoc sacramentum in re gravi gravis, in re levi levis est. Si pro levibus peccatis gravis poenitentia iniungitur, poenitens solum sub levi eam implere tenetur.

a. Poenitens [redacted] tenetur implere poenitentiam, quando invalida fuit absolutio: tunc enim sententia sacramentalis nulla fuit, ideoque nullum etiam sacramentum integrandum est; insuper pro iisdem peccatis bis satisfacere teneretur.

b. Qui ergo poenitentiam gravem vel totam vel notabilem eius partem scienter omittit, graviter, et qui poenitentiam levem sive pro levibus sive pro gravibus impositam vel gravis poenitentiae partem [redacted] notabilem omittit, venialiter peccat. — Patet poenitentem, qui factus est impotens, non obligari ad implendam poentitentiam.

c. Qui *poenitentiae impositae oblitus est,* α. confessarium, quem illius adhuc memorem putat, adire tenetur, si commode potest, quia impletio poenitentiae adhuc moraliter possibilis est; β. quando id fieri nequit, poenitens non tenetur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam accipiat, sive culpabiliter sive inculpabiliter illius oblitus est, quia iterum confiteri peccata directe iam remissa esset onus nimis grave; cessat ergo obligatio poenitentiae, cuius impletio facta est moraliter impossibilis. γ. Ceterum si poenitens poenitentiae impositae immemor ex devotione praestitisset opus [redacted] confessario iniunctum, obligatione satisfecisset (n. 308).

3. Poenitentiam a confessario iniunctam *poenitens ipse implere debet:* praeceptum enim poenitentiae exigit actionem personalem, quae per alium impleri nequit. Et sane actiones, quae ad sacramentum sive essentialiter sive integraliter constituendum requiruntur, ab ipso suscipiente peragi debent; sicut ergo contritio et confessio per alium peragi non potest, ita nec satisfactio[1]).

306. *Tres conditiones* requiruntur, ut poenitens sub gravi teneatur implere poenitentiam:

a. Ut materia seu ipsa poenitentia sit gravis: levis enim poenitentia non est capax gravis obligationis.

[1]) Ab *Alexandro VII.* damnata est haec propositio (15): *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam impleat.* Cf. cn. 887.

b. Ut pro peccatis gravibus nondum remissis imposita sit: pro venialibus et pro mortalibus iam remissis nequit imponi poenitentia sub gravi obligans, etsi notabilis sit[1]).

c. Ut confessarius sub gravi obligare voluerit. Etsi confessarius poenitentiam gravem sub levi imponere possit, recte tamen praesumitur gravem sub gravi et levem sub levi imponere velle, nisi ipse aliud declaret.

307. Quando persolvenda sit. 1. Poenitentia tum ante tum post absolutionem impleri potest. Quodsi poenitens, qui poenitentiam ante absolutionem implet, in statu peccati mortalis sit, opus poenitentiae iam peractum ipsa absolutione, qua peccatum mortale deletur, efficaciam sacramentalem sortitur atque effectum sacramentalem producit[2]).

Poenitentia ordinarie quidem post absolutionem impletur, quandoque tamen accidit, ut confessarius parvam poenitentiam, quam moribundo imponit, statim cum ipso impleat et postea absolutionem concedat. Item confessarii quandoque poenitentibus, quibus absolutionem differunt, nonnulla opera pietatis iniungunt, quibus ad absolutionem recipiendam melius disponantur; iam vero si has orationes in salutarem poenitentiam iniungant, postea, quando absolutio conceditur, sufficiet parvam tantum poenitentiam imponere.

2. Si poenitentiae implendae a confessario praefixum fuit certum tempus, eodem etiam impleri debet. Qui tempore determinato poenitentiam non persolvit, non deobligatur, quia tempus non determinatur ad finiendam obligationem. Termini praefiniti dilatio tamen non est mortale peccatum, modo iniuncta poenitentia persolvatur: nam praeceptum confessarii primario rem ipsam praestandam respicit et secundario tantum circumstantiam temporis.

3. Poenitentia iniuncta sine praefinito tempore impleri debet, quam primum fieri commode potest. Dilatio quaecunque poenitentiae levis nunquam grave peccatum est; dilatio vero poenitentiae gravis grave peccatum est in triplici casu: si praevideatur impotentia eam postea im-

[1]) Cf. *Suarez* disp. 38. sect. 7. n. 5. *S. Alphonsus* n. 517.

[2]) Cf. *Suarez* disp. 28. sect. 2. n. 5.

plendi, si immineat periculum oblivionis, si notabiliter minuatur substantia operis praescripti.

a. Multum disputant, quae poenitentiae dilatio grave peccatum sit. Alii octo dierum, alii sex mensium, alii unius anni dilationem gravem dicunt[1]). Verum poenitentiae dilatio non per se, sed solum per accidens gravis esse videtur, ubi scilicet propter dilationem ipsa operis substantia vel tota vel in notabili parte omittitur[2]).

b. Valde suadendum est omnibus, ut poenitentiam statim post peractam confessionem persolvere assuescant, quia poenitentia est pars integralis sacramenti, quae diutius differri non debet; nullatenus autem necesse est, ut ante communionem persolvatur[3]), neque ut persoluta sit, quando poenitens iterum ad confessionem accedit.

308. Quomodo persolvenda sit. *a.* Poenitentia eo modo persolvi debet, quo persolvenda a confessario imposita est; si ergo quaedam adiuncta addita fuerint, e. g. ut flexis genibus vel in ecclesia oratio fiat, etiam haec adiuncta impleri debent. Quantum peccatum sit horum adiunctorum omissio, pendet ab eorum gravitate.

Qui rosarium recitare iubetur flexis genibus coram imagine b. Virginis et hanc circumstantiam situs et loci negligit, non videtur graviter peccare; qui vero rosarium recitare iubetur expansis brachiis et hanc circumstantiam negligit, graviter peccare censetur, quia huius non vero illius circumstantiae omissio poenitentiam notabiliter mutat atque imminuit[4]).

b. Poenitens iniunctam satisfactionem persolvere potest etiam dum aliud opus praeceptum implet, e. g. dum missam die festo audit, iniunctum pro poenitentia rosarium recitare potest, quia unum opus alterum non impedit.

c. Preces iniunctae *eo modo* persolvendae sunt, quo eaedem vel similes preces ex praxi ecclesiae persolvi solent: confessarius enim secundum eum modum orationes iniungere censetur, nisi aliud declaraverit.

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 521.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 308.

[3]) Ab *Alexandro VIII.* damnata est haec propositio (22): *Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam delictis suis poenitentiam egerint.*

[4]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 1280.

Quare preces, quae *alternatim* recitari solent ut psalmi, litaniae, rosaria, cum socio recitari possunt. — Preces, quae a fidelibus *vocaliter* recitari solent ut psalmi, litaniae etc., non sufficit oculis et mente tantum ex libro percurrere.

d. Intentio persolvendi poenitentiam alia non requiritur nisi illa, quam poenitens habuit acceptando poenitentiam; hinc qui opus a confessario impositum implet, etsi non cogitet de poenitentia persolvenda, modo illud non ordinet in alium finem, suae obligationi satisfacit.

Articulus quartus.

De satisfactione commutanda.

Duo praenotanda sunt: *a.* commutationem, quae in alia confessione accidit, non fieri per revocationem prioris sententiae, sed per novum iudicium sacramentale sive eiusdem sive alius confessarii. Hoc iudicio operi antea iniuncto aliud substituitur, quo facto prior obligatio exstinguitur[1]). *b.* Ad commutationem licite faciendam adesse debet iusta causa, cuiusmodi est quaelibet spiritualis utilitas poenitentis. Quando autem commutatio fit ex iusta causa, poenitentia non solum in aliam aequalem, sed etiam in minorem converti potest.

309. Quis eam commutare possit. Poenitentiam a confessario impositam commutare non potest ipse poenitens, ne in evidenter quidem meliorem: ipse enim poenitentiam elevare nequit ad meritum satisfactionis sacramentalis; eam autem commutare potest tum confessarius, qui ipsam imposuit, tum quilibet alius confessarius: poenitens enim peccata, a quibus iam absolutus est, libere et licite iterum iudicio sive eiusdem sive alius confessarii subiicere potest, ut ab eo, imposita pro priore alia poenitentia, denuo absolvatur.

Num poenitentia, quae *propter reservata imposita* fuerat, commutari possit a confessario non habente potestatem in reservata, disputant. Qui hanc potestatem confessario *negant*, dicunt: sicut reservata sunt peccata, ita reservata est etiam poena pro illis imposita, [redacted] inferior nihil potest in legem a superiore latam. Qui autem confessario potestatem *concedunt*, docent: ablata reservatione per priorem absolutionem,

[1]) Cf. *Suarez* disp. 38. sect. 10. n. 7.

quilibet confessarius de peccato iudicare et pro ipso poenitentiam iniungere potest, et cum iusta adsit causa poenitentiam commutandi, recte praesumitur consensus superioris in commutationem faciendam, etsi poenitentia pro reservatis imposita fuerit.

310. Quomodo commutari possit. 1. Confessarius, qui poenitentiam imposuit, illam commutare potest etiam extra sacramentum, et quidem non solum immediate post absolutionem, antequam poenitens discedat, sed etiam quamdiu mutatio cum sacramentali iudicio moraliter unitur et unum iudicium cum eo constituit. Atque id facere potest confessarius, etsi peccatorum memor amplius non sit: eorum enim cognitionem, quoad opus est, ex gravitate et qualitate poenitentiae impositae acquirit.

a. Sed iam quaeritur, *quamdiu commutatio cum priore absolutione moraliter cohaereat.* Censet *s. Alphonsus* (n. 529) solam commutationem, quae statim post absolutionem fiat, antequam poenitens discedat, [illegible] moraliter unum iudicium constituere; *Lugo* autem putat commutationem post longum tempus adhuc cum priore absolutione cohaerere. „Nam ipsa satisfactio impleta post longum tempus integrat unum iudicium cum partibus praecedentibus; ergo quamdiu satisfactio non est posita, adhuc intelligitur iudicium illud incompletum et quasi suspen[illegible] et adhuc iudex ius habet ad urgendum pro exsecutione sententiae; ergo adhuc poterit ex consensu poenitentis mutare vel diminuere priorem sententiam, ut melius possit exsecutioni mandari"[1]).

b. Quodsi commutatio cum priori confessione moraliter non amplius cohaeret, commutatio in alia confessione fieri debet: at non requiritur prioris confessionis repetitio, sed sufficit, ut confessarius status poenitentis in confuso adhuc recordetur vel, si non recordatur, ut confusam eius cognitionem accipiat sive ex generica confessione sive [illegible] poenitentia in alia confessione imposita.

2. Alius autem confessarius poenitentiam commutare non potest extra sacramentum, quia nullam habet potestatem sacramentalem in poenitentem nisi in tribunali poenitentiae, dum exercet potestatem clavium; illam autem mutare potest in sacramento, etiamsi poenitens non repetat confessionem peccatorum, pro quibus imposita fuit, modo confusam cognitionem materiae peccatorum acquirat, qualem vel ex generica accusatione vel ex qualitate poe-

[1]) *Lugo* disp. 25. n. 112. Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 318.

nitentiae ab alio confessario impositae haurire potest. Non enim iudicium ferre debet de singulis peccatis, utpote iam antea declaratis et remissis, sed solum de difficultate satisfactionis implendae et de poenitentia peccatis aliquo modo proportionata; ad hoc autem non requiritur distincta peccatorum cognitio. Patet hanc mutationem, quae in alia confessione instituitur, quocunque tempore fieri posse, cum novum instituatur iudicium sacramentale a priore independens.

Quaestio quarta.

De indulgentiis.[1])

Medium efficacissimum satisfaciendi Deo pro peccatis iam remissis praeter poenitentiam sacramentalem constituunt *indulgentiae*. Quae cum satisfactionem sacramentalem suo modo compleant, solent theologi morales complures quaestiones practicas tum de indulgentiis in genere tum de aliquibus indulgentiis in specie hoc loco pertractare.

Articulus primus.

De natura indulgentiarum.

311. Definitio. *Indulgentia* definitur remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam iam remissis debitae per potestatem ecclesiae extra sacramentum concessa.

a. Per indulgentias non culpa nec poena aeterna sed *poena temporalis* tantum remittitur; remittitur autem poena, quae deleta culpa

[1]) *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch[16]. (Paderborn. Schöningh. 1915). Ibidem p. 1. complura opera ad hanc quaestionem pertinentia citantur.

et poena aeterna vel in hac vel in altera vita divinae iustitiae adhuc exsolvenda restat. Ideo formula, qua interdum conceduntur indulgentiae ad modum *remissionis omnium peccatorum*, semper ita intelligebatur in ecclesia, ut nomine *peccatorum* designarentur *poenae* peccatorum.

b. Ecclesia indulgentias concedit, eo quod vi potestatis clavium satisfactiones Christi et sanctorum ex thesauro ecclesiae fidelibus applicat. In sacramentis quidem et in sacrificio missae solae satisfactiones Christi fidelibus applicantur, indulgentiae autem ex satisfactionibus Christi et sanctorum conceduntur[1]).

Thesaurus ecclesiae est cumulus satisfactionum Christi et sanctorum in cognitione Dei exsistens, ex quo ecclesia indulgentias concedere potest. Siquidem Christus satisfactiones [redacted] infinitas Deo Patri pro nobis obtulit. Dein multi sunt sancti, qui aut satisfactionibus a se peractis non indigebant ut beata virgo Maria, aut plures peregerunt quam ad delendas poenas temporales pro suis peccatis debitas requirebantur. Satisfactiones istae superabundantes una cum satisfactionibus Christi thesaurum constituunt, quem ecclesia in utilitatem fidelium dispensare potest[2]).

312. Natura. Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias tam vivis quam defunctis docent dogmatici; alia est autem ratio concessionis, quae fit vivis, et alia, quae fit defunctis: vivis enim conceduntur *per modum absolutionis*, defunctis vero *per modum suffragii*[3]).

a. Quandoquidem in praesenti ordine salutis non datur remissio culpae nec poenae sine condigna satisfactione, ideo indulgentiae concedi non possunt sine aequivalenti solutione, quae pro poena remissa Deo exhibeatur. Haec solutio autem fit per applicationem satisfactionum Christi et sanctorum, quarum thesaurus in ecclesia depositus et b. Petro eiusque successoribus, ut dispensetur inter fideles, commissus est. Quoties ergo s. pontifex indulgentiam concedit, satisfactiones Christi et sanctorum ex thesauro ecclesiae applicat fidelibus tum vivis tum defunctis: et vivis quidem *per modum absolutionis;* defunctis vero *per modum suffragii.* Vivi enim pontificis iurisdictioni subsunt, illos proinde vi potestatis clavium a poenis absolvere potest, quos dum absolvit

[1]) Damnata est haec *Baii* propositio (60): *Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta. Denzinger-Bannwart* n. 1060.

[2]) Cf. *Pesch,* Praelectiones dogm. VII. 484. s. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe[14] S. 22. ff.

[3]) Cf. *Pesch* l. c. n. 491 ss. Cf. cn. 911.

simul solutionem ex thesauro ecclesiae Deo exhibet. Quare indulgentia vivis concessa essentialiter est absolutio habens annexam solutionem ex thesauro ecclesiae. Defuncti autem non sunt pontificis subditi, quare ipsis indulgentiam eo solum applicare potest, quod Deo exhibet satisfactionem Christi et sanctorum et rogat pieque exspectat, fore ut eas Deus pro sua misericordia et liberalitate acceptet. Ergo indulgentia defunctis concessa essentialiter est solutio per oblationem pretii Deo pro eorum debitis facta.

b. Concessio itaque indulgentiae est actus iurisdictionis ecclesiasticae, ad quam tamen exercendam potestas ordinis non requiritur, ideo s. pontifex et episcopi iam ante consecrationem indulgentias concedere possunt.

Num indulgentiae vivis applicari possint. — Vivis indulgentiae applicare non possumus, quia s. pontifex facultatem vivis applicandi indulgentias non concedit. De iure quidem et ex rei natura nihil prohibet, quominus unusquisque non solum pro se, sed etiam pro alio vivente indulgentiam lucretur, si s. pontifex, a cuius voluntate res tota dependet, id concedat; atqui concedit quidem, ut quamplurimae indulgentiae defunctis, at nunquam concedit, ut indulgentia aliis viventibus applicari possit.

Cn. 930 decernit: „Nemo potest indulgentias pro aliis vivis applicare; pro animabus vero in purgatorio omnes [illegible] r. pontifice concessae applicabiles sunt, nisi aliud constet". Ratio, cur indulgentiae sive vivis sive defunctis solum ex positiva concessione s. pontificis applicari possint, haec est, quia effectus, quem opus producit ex opere operato, non pro arbitrio operantis, sed solum [illegible] concessione illius, qui operi effectum adnectit, alteri donari potest. Ratio autem, cur summus pontifex non concedat, ut vivis applicentur indulgentiae, est haec, quia non expedit succurrere eis, qui, cum ipsi possint, indulgentias sibi lucrandas non curant[1]).

313. Effectus. Indulgentiae vivis concessae, positis conditionibus ab ecclesia praescriptis, certum quidem et infallibilem effectum habent: illos enim auctoritate sua ecclesia absolvit; indulgentiae autem defunctis applicatae,

[1]) Cf. *Palmieri*, An lucratus indulgentiam possit [illegible] arbitrio in alterum conferre (Romae. Analecta eccles. 1895). *Behringer-Hilgers* S. 32. *S. C. Indlg.* 22. aug. 1906 O. F. M. concessit, ut indulgentia plenaria, absolutioni generali certis per annum diebus impertiendae religiosis et monialibus eiusdem ordinis adnexa, non solum pro defunctis, sed etiam *pro vivis* applicari possit. Scilicet hanc indulgentiam plenariam antea solum defuncti lucrari poterant, nunc autem concessum est O. F. M. ut fratres eandem etiam *sibi*, ergo pro vivis applicare seu lucrari possint. Cf. Hilgers, Linz. Quartalsch. 1914. S. 794. 497 ff.

positis omnibus conditionibus requisitis, infallibilem quidem effectum habent, quatenus Deus pro defunctis eas acceptat, at infallibilem effectum non habent, quatenus eas determinatae animae, pro qua offeruntur, vel in ea mensura, secundum quam offeruntur, applicat; haec applicatio [redacted] Dei beneplacito dependet.

Ratio *primi* est, quia summus pontifex *auctoritate apostolica* indulgentias defunctis concedit; sed si Deus ei auctoritatem dedit thesaurum ecclesiae in utilitatem defunctorum applicandi, applicationem factam etiam acceptat. Ratio *secundi* est, quia hinc quidem nulla exsistit promissio, qua Deus indulgentias pro certis defunctis oblatas se acceptaturum affirmaverit, inde vero fieri potest, ut ordo divinae providentiae impediat, quominus indulgentia determinato defuncto vel tota vel etiam solum ex parte applicetur. Pie tamen sperare licet Deum indulgentias, quae pro defunctis offeruntur, non solum acceptaturum, verum etiam illis ipsis, pro quibus offeruntur, ordinarie saltem applicaturum esse[1]).

314. Divisio. 1. Indulgentiae dividuntur in *personales*, *reales* et *locales*.

a. Indulgentiae personales eae dicuntur, quae immediate personae sive physicae sive morali ut confraternitati vel etiam universim fidelibus independenter a certo obiecto vel loco pro piis operibus conceduntur.

Fideles, qui confraternitati legitime adscripti sunt, non privantur indulgentiis eidem concessis, eo quod confraternitatis statuta sive ex parte sive [redacted] toto [redacted] observant, modo adimpleant opera pro indulgentiis lucrandis iniuncta[2]).

b. Indulgentiae reales sunt, quae immediate alicui rei portatili ut rosario, numismati etc. annectuntur.

α. Indulgentiae reales applicari possunt solummodo rebus solidis: ferro, ligno, plumbo, etiam coronis ex vitro solido confectis; non autem rebus, quae facile frangi vel lacerari possunt ut papyrus, vitrum insufflatum non solidum[3]), licet haec benedici possint.

Indulgentiae reales cessant, si obiecta, quibus applicantur, physice vel moraliter pereunt et formam suam amittunt, ut si cruxifixi imago in duas partes frangatur, si pleraque rosarii grana simul amittantur etc.

[1]) Cf. Zeitschrift f. k. Th. XVII. 1893. S. 297 ff.

[2]) *Decreta authentica* S. C. Indulgentiarum (Ratisbonae. Pustet. 1883) n. 298.

[3]) *S. C. Indl.* 29. febr. 1820. n. 249.

Numismata, quibus applicantur indulgentiae, referre debent imaginem alicuius sancti, nec sufficit imago alicuius beati aut venerabilis viri, nisi simul adsit imago sancti[1]).

Si *cruci ferenti crucifixum* indulgentia applicatur, subiectum indulgentiae est crucifixus, qui proinde in aliam crucem transferri potest, quin indulgentia amittatur.

Indulgentiae *coronis* aliisve rebus adnexae *tunc tantum* cessant, cum corona aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur[2]).

Coronae ergo *a.* indulgentias non amittunt, si chorda rumpitur et grana denuo nectuntur: subiectum enim indulgentiae sunt grana; *b.* eas non amittunt, si pauca tantum grana (4 vel 5) amittuntur et alia substituuntur; *c.* si quis autem rem benedictam et indulgentia ditatam vendit emitve, agit contra prohibitionem ecclesiae et efficit, ut indulgentia pereat, etsi pretium propter indulgentiam nullatenus augeatur.

β. Si quis pro corona aliave re quidquam accipiat *titulo eleemosynae*, indulgentia ei adnexa non cessare videtur, quia res non venditur.

γ. Uni eidemque rei vel loco plures indulgentiae ex variis titulis adnecti possunt (eidem coronae indulgentiae apostolicae, s. Birgittae, praedicatorum, crucigerorum); sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures indulgentiae acquiri, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit[3]).

c. Indulgentiae locales sunt, quae immediate pio loco affixae sunt ut ecclesiae vel rei (altari, cruci, imagini etc.), quae in determinato loco posita est et cuius visitatio inter conditiones lucrandas indulgentiae numeratur.

Indulgentiae locales cessant, si ecclesia vel oratorium, cui annexae sunt, penitus destruitur, nisi intra quinquaginta annos iterum aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo[4]). Ut ecclesia in

---

[1]) *S. C. Indl.* 22. dec. 1710. n. 32.

[2]) Cn. 924, 2. Attamen coronae, cruces etc. indulgentias non amittunt, si quis illas emens ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committit, etsi pretium et expensae transmissionis demum solvat, quando res iam benedictae sibi traduntur. *S. C. Indl* 10. iul. 1896.

[3]) Cn. 933.

[4]) *S. C. Indl.* 9. aug. 1843. n. 323. Cn. 924, 1.

eodem fere loco restaurari censeatur, necesse est, ut novum aedificium parum tantum a vetere distet, puta viginti vel triginta passibus[1]).

315. 2. Indulgentiae dividuntur in *plenarias*, quibus ex intentione concedentis tota poena temporalis remittitur, et *partiales*, quibus tantum determinata pars illius poenae remittitur.

a. Licet omnis indulgentia plenaria, quantum est ex parte concedentis, totam poenam temporalem delere possit, non tamen omnes eam plene, sed quamplurimi solum *ex parte lucrantur:* in illis enim, qui nullam culpam neque venialem habent, omnes poenae delentur; in illis autem, qui adhuc aliquod veniale peccatum habent, remittuntur quidem poenae debitae pro culpis iam deletis, non autem illae, quae debentur culpae adhuc remanenti.

Audiendi non sunt, qui docent illos nihil indulgentiae plenariae lucrari, qui eam plene non lucrantur: in hac enim re omnia pendent ex voluntate concedentis; voluntatem autem concedentis manifestat cn. 926: „Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam saltem partialiter lucretur pro dispositione, quam habet". Theoretica huius affirmationis ratio est, quod effectus indulgentiae natura sua divisibilis est; qui ergo totum non lucratur, eius partem lucrari potest.

b. Partiales indulgentiae olim concedebantur hac formula: *remissio dimidiae vel tertiae partis peccatorum* i. e. poenarum temporalium; nunc conceduntur indulgentiae tot *dierum, annorum quadragenarum;* quae formulae non ita accipiendae sunt, quasi his indulgentiis tantundem poenae purgatorii relaxaretur, sed significant tantum remitti poenitentiae canonicae, quae antiquitus pro peccatis imponi solebat, et proinde consequenter tantum remitti poenae Deo debitae seu purgatorii, quantum per illas poenitentias deleretur, si reipsa peragerentur. Ergo per indulgentiam septem annorum tanta poena Deo debita relaxatur, quanta aequivalet poenitentiae canonicae septem annorum. Huius remissionis mensura, sicut antiquitus dependebat ex fer-

[1]) *S. C. Indl.* 29. mart. 1886.

vore poenitentis, ita nunc dependet a maiore vel minore devotione, qua conditiones pro indulgentia praescriptae adimplentur.

α. Indulgentia quadraginta dierum vocatur *quadragena*, qua tantum poenae remittitur, quantum deletum fuisset per ieiunium quadraginta dierum secundum antiquos canones poenitentiales tempore quadragesimae in solo pane et aqua toleratum.

β. In hac formula: *indulgentia sex vel septem annorum et totidem quadragenarum* nomen *quadragenae* non significat ieiunium quadragesimale, quod intra ipsos septem annos observandum sit, adeo ut indulgentia septem annorum tantundem significet atque indulgentia septem annorum et septem quadragenarum, sed quadragenas septem annis superadditas, adeo ut indulgentia septem annorum et septem quadragenarum ampliorem indulgentiam significet, quam septem annorum tantum[1]).

Num eodem die saepius eandem indulgentiam lucrari possimus. Quaestionem hanc cn. 928 in hunc modum solvit: „*Plenaria* indulgentia, nisi expresse aliud cautum sit, acquiri potest *semel* tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur[2]). *Partialis* vero *saepius* per diem, nisi contrarium expresse notetur". Quoad indulgentias plenarias exceptio ab hac regula raro tantum admittitur[3]).

„Indulgentia plenaria, quae visitantibus ecclesiam vel oratorium ut *quotidiana* concessa est, ita intelligenda est, ut quacunque die, sed *semel tantum in anno* acquiri possit" cn. 921, 3.

---

[1]) *Beringer:* Bedeutung der „Quadragenen" in den Ablassverleihungen (Quartalschr. Linz. 1900. S. 928).

[2]) Ideo sacerdotes binantes pro oratione „*En ego*" semel tantum indulgentiam lucrantur. *S. C. Indl.* 29. iun. 1892.

[3]) Decem nunc sunt indulgentiae plenariae, quas fideles *toties-quoties* lucrari possunt: *a.* celeberrima indulgentia, quae dicitur *Portiuncula* (2. aug.); *b.* die festo *ss. Rosarii* (1. dom. oct.); *c.* die festo b. Mariae de monte *Carmelo* (16. iul.); *d.* die festo *Dolorum* b. v. Mariae (dom. 3. sept.); *e.* die festo b. v. M. *de Mercede* (24. sept.); *f.* die *commemorationis omnium fidelium defunctorum* (2. nov.); *g.* ultima dominica *iunii* in ecclesiis, in quibus per mensem iunium exercitia devotionis erga ss. Cor Iesu sollemniter habita sunt cum praedicatione quotidiana, aut saltem ad formam spiritualium exercitiorum per octiduum; *h.* iis qui Romae scalam sanctam genuflexi ascendunt orantes et passionem Domini pie meditantes; *i.* die festo *SS. Trinitatis; k.* die festo *SS. Cor-*

316. Quis indulgentias concedere possit. Indulgentias concedere potest, qui ad hoc propriam vel delegatam potestatem habet.

1. *Summus pontifex* isque solus iure proprio concedere potest fidelibus totius orbis indulgentias tum plenarias tum partiales pro vivis et pro defunctis: ipsi enim soli concessae sunt claves thesauri ecclesiae cum plenissima potestate fidelibus ex eo dispensandi. Qui a summo *pontifice* generales indulgentiarum concessiones impetraverint, *sub poena nullitatis* gratiae obtentae tenentur exemplar concessionis factae ad sacram Poenitentiariam deferre[1]).

2. *Cardinales* concedere possunt indulgentias 200 dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis et pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus tantum singulis vicibus lucrandas[2]).

3. *Episcopi* concedere possunt indulgentiam 50 dierum in locis suae iurisdictionis[3]).

At omnes inferiores r. Pontifici nequeunt:

a. Facultatem indulgentias concedendi aliis delegare;

b. Indulgentias concedere defunctis applicabiles;

c. Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a s. sede vel ab alio indulgentiae concessae sunt, alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur[4]).

Articulus secundus.

De condicionibus indulgentiarum lucrandarum.

317. Condiciones requisitae. 1. Ut quis *capax* sit lucrandi indulgentiam[5]), debet esse:

1. Baptizatus;

2. Non excommunicatus: excommunicatus non fit particeps indulgentiarum cn. 2262;

3. Subditus concedentis: nam concessio indulgentiae est actus iurisdictionis, quae exerceri non potest, nisi in subditum;

---

poris Christi. — Quinam et sub quibus condicionibus has indulgentias acquirere possint, docet *Hilgers*, Die Ablässe.

[1]) *S. C. Indl.* 19. ian. 1756 n. 205. 371. Cn. 920.

[2]) Cn. 239, 24.

[3]) Cn. 349, 2.

[4]) Cn. 913, 3.

[5]) Cn. 925, 1.

Indulgentias tamen ab episcopis concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi omnesque exempti in territorio degentes, nisi ex concessione aliud appareat[1]).

4. In statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum: poena enim temporalis remitti non potest nondum remissa culpa et poena aeterna. Si plura opera ad lucrandam indulgentiam praescribuntur, sufficit, ut ultimum in statu gratiae compleatur, quia indulgentia acquiritur eo ipso instanti, quo opera a concedente praescripta complentur.

a. Hanc condicionem ecclesia indicat indulgentias concedens *corde contritis* vel iis, qui *corde saltem contrito* determinatum opus fecerint: nam haec verba aliud non significant, nisi ad lucrandam indulgentiam requiri statum gratiae, eumque, si non adsit, per contritionem comparari debere; quocirca qui in statu gratiae iam exsistit, non debet necessario actum contritionis elicere, ut indulgentiam lucretur[2]).

b. Ad indulgentiam plenariam *plene* lucrandam non sufficit status gratiae, sed insuper requiritur immunitas ab omni peccato veniali et talis quidem immunitas, ut etiam affectus seu adhaesio ad peccatum veniale ablata sit: culpa enim nondum deleta, remitti nequit poena pro eadem culpa debita. Quo maior est ergo immunitas a venialibus, eo plenior acquiri potest indulgentia.

2. Ut quis *revera lucretur* indulgentiam[3]).

1. Debet habere *intentionem* saltem generalem eam lucrandi: beneficium enim non datur, nisi volenti; sufficit autem intentio *habitualis* i. e. aliquando habita et nunquam retractata. Qui ergo generalem intentionem elicit lucrandi omnes indulgentias, quae operibus a se positis annexae sunt, eas lucratur, etsi de indulgentia non cogitet, quando opus ponitur, immo etsi nesciat operi, quod peragit, annexam esse indulgentiam. Nihilominus valde suadendum est, etsi necessarium non sit, ut quotidie mane eliciatur intentio lucrandi omnes indulgentias, quae per opera interdiu facta obtineri possunt.

---

[1]) Cn. 927,
[2]) *S. C. Indl.* 17. dec. 1870. n. 427.
[3]) Cn. 925, 2.

2. Debet implere *opera iniuncta* statuto tempore et modo. Haec enim opera rationem condicionis habent, sub qua indulgentiae conceduntur; ideo indulgentiam non lucratur, qui condicionem integre non implet, neque error neque ulla bona fides in hac re excusant. Quare si eorum pars notabilis ex quacunque etiam rationabili causa omittatur, indulgentia non acquiritur; effectui autem non obest, si exigua pars operis iniuncti omittitur, e. g. in rosario unum Pater et Ave, quia opus quoad substantiam tamen perficitur.

a. Si ad lucrandam indulgentiam plura opera praescribuntur, perinde est, quo ordine peragantur. Sic si confessio, communio et visitatio ecclesiae requiritur, visitatio tum ante tum post alia opera fieri potest, etsi in concessione indulgentiae dicatur: *Qui confessi et s. communione refecti visitaverint*[1]).

b. Ad lucrandas indulgentias partiales non valent opera ex alio titulo *sub peccato iam debita*, nisi is, qui indulgentiam concedit, aliud expresse statuerit (n. 303, 4), quia una actione nequit satisfieri pluribus obligationibus, quarum singulae singulares actiones postulant[2]). Ideo indulgentias rosariis crucigerorum annexas lucrari non possumus recitando e. g. *Ave Maria*, quod ad officium divinum pertinet vel pro poenitentia iniunctum est, nec per horas canonicas satisfieri potest obligationi recitandi preces ad lucrandas indulgentias praescriptas, nec peragendo opus ex voto debitum simul lucrari possumus indulgentiam eidem operi a s. pontifice annexam. Communione autem paschali lucrari possumus indulgentias, ad quas lucrandas s. communio praescribitur[3]); item per opera, quae ex statutis vel consuetudinibus religiosarum communitatum peraguntur, si non obligant sub peccato, obtineri possunt indulgentiae eisdem operibus annexae.

c. Qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari[4]).

318. Condiciones ad lucrandam indulgentiam pro defunctis requisitae: *a. Concessio pontificis,* qua indulgentia defunctis applicari possit: propria enim voluntate

---

[1]) *S. C. Indl.* 19. maii 1759. n. 214.
[2]) *S. C. Indl.* 29. maii 1841. n. 291. Cn. 932.
[3]) *S. C. Indl.* 10. maii 1844. n. 327.
[4]) Cn. 932.

nemo potest indulgentiam alteri applicare nec vivo nec defuncto

b. Intentio saltem habitualis eas applicandi defunctis: summus pontifex enim solum concedit, ut applicari *possint*, eas vero defunctis non ipse applicat; applicari autem possunt vel singulari animae vel pluribus vel omnibus animabus fidelium in purgatorio exsistentium.

c. Num ille, qui indulgentiam defunctis applicat, *in statu gratiae* esse debeat, ut ipsis prosit, non constat; nec congregatio indulgentiarum de hac re interrogata controversiam definire voluit[1]).

Ad hanc quaestionem haec notanda sunt: α. Ex natura rei nihil obstat, quominus etiam ille, qui in statu peccati est, indulgentiam lucrari possit, non quidem sibi, sed defunctis: opera enim, quibus indulgentiam lucratur, valorem satisfactorium non habent ex dignitate operantis, sed ex concessione ecclesiae. β. Qui opinantur etiam peccatorem posse pro defunctis indulgentias lucrari, dicunt non requiri, ut is, qui indulgentiam pro defunctis lucratur, eam prius sibi acquirat et deinde in defunctos transferat, sed sufficit, ut condiciones ab ecclesia praescriptas ponat, quibus positis ex mente s. pontificis indulgentia defunctis obveniet[2]). γ. Qui vero tenent solos iustos posse pro defunctis indulgentias lucrari, putant neminem posse alteri applicare, quod prius non fecerit suum[3]). δ. Hoc tamen certum videtur sacerdotem, qui in statu peccati mortalis missam celebrat in altari privilegiato (sive privilegium est locale sive personale), lucrari indulgentiam huius altaris pro anima, pro qua sacrificium offert[4]).

319. Opera, quae ad lucrandam indulgentiam plenariam ordinarie ab ecclesia praescribuntur, sunt: *a. confessio; b. communio; c.* certae *preces* ad intentionem pontificis dicendae, quibus quandoque accedit; *d. visitatio ecclesiae.*

1. *De confessione. a.* Si *confessio* ad lucrandam indulgentiam non expresse requiritur (ut pro indulgentiis

[1]) *S. C. Indl.* 20. aug. 1822 respondit: *Dilata;* 22. febr. 1817 respondit: *Consulat probatos auctores.*

[2]) *Suarez,* disp. 53. sect. 4. *Bellarminus,* De indulgent. l. 1. c. 14 *Ballerini-Palmieri* V. n. 791.

[3]) *S. Alphonsus* n. 534.

[4]) *S. C. Indl.* 12. mart. 1855. n. 366.

Viae Crucis), ea non est necessaria; quodsi in concessione indulgentiae iniungitur confessio, necessaria est etiam pro iis, qui mortalia non habent, etsi absolutio his non sit necessaria[1]).

b. Confessio ad lucrandas indulgentias forte requisita semper peragi potest intra octo dies praecedentes diem, cui indulgentia affixa est, vel etiam intra totam octavam subsequentem[2]).

c. Confessio et *communio* requisitae ad lucrandam indulgentiam pro exercitiis vel missionibus concessam fieri potest etiam intra octavam, quae immediate sequitur exercitium expletum[3]).

d. Fideles, qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad confessionem accedere aut s. communionem quotidie recipere, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias lucrari, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis iubilaei ordinarii et extraordinarii vel ad instar iubilaei[4]).

Ad lucrandas igitur indulgentias per hebdomadam occurrentes pro iis, qui fere quotidie communicant, confessio non amplius requiritur: non ea, quae alternis hebdomadis, nec ea, quae singulis mensibus, immo nec ea, quae singulis semestribus vel annis fiat[5]).

320. 2. *De communione. a. Communio* semper (excepto iubilaeo) suscipi potest pridie illius diei, pro quo concessa est indulgentia et per totam octavam; cetera autem opera determinato tempore peragi debent[6]).

b. Si pro lucranda indulgentia praescribitur visitatio determinatae ecclesiae, s. communio non necessario ibidem suscipi debet; si autem in illa ecclesia s. communio sumitur, non est necesse, ut alia insuper visitatio fiat, modo

---

[1]) *S. C. Indl.* 15. dec. 1841, et 6. maii 1852. n. 295 et 359.
[2]) Cn. 931, 1.
[3]) Cn. 931, 2.
[4]) Cn. 391, 3.
[5]) *S. C. Indl.* 14. febr. 1906.
[6]) Cn. 931, 1.

servetur tempus pro lucranda indulgentia determinatum et preces praescriptae recitentur.

c. Excepta indulgentia iubilaei valet *communio paschalis* ad lucrandas indulgentias, quae s. communionem exigunt[1]). Insuper una eademque communio (sicut etiam confessio) sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eadem die concessas, quarum singulae communionem (et confessionem) exigunt, modo reliqua opera toties peragantur, quot sunt indulgentiae, quas eo die quis lucraturus est[2]).

321. 3. *De visitatione ecclesiae. a.* Si *visitatio ecclesiae* indeterminate praescribitur, requiritur et sufficit visitatio alicuius ecclesiae vel oratorii *publici;* ubi notandum est, oratoria semipublica reipsa esse oratoria privata, ideoque eorum visitationem ad lucrandas indulgentias absque speciali indulto non sufficere[3]).

Concessum est indultum, ut fideles utriusque sexus, qui in communitatibus religiosis, institutis educationis et nosocomiis de consensu ordinarii erectis vitam communem agunt, eisque servientes, si ecclesia vel publico oratorio carent, visitare possint propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi sacrum satisfacere valent, quoties ad lucrandas indulgentias indeterminate praescribitur visitatio alicuius ecclesiae vel indeterminati publici oratorii[4]). Si ergo ecclesiam vel oratorium publicum habent, item si visitatio determinatae ecclesiae praescribitur, indultum non valet.

b. Visitatio ecclesiae vel oratorii fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae diem statutum claudit[5]).

c. Ecclesiam *visitare* dicitur, qui eam ingreditur cum animo colendi Deum; si tamen visitaturus ecclesiam propter aliquod impedimentum e. g. propter nimiam hominum multitudinem vel propter ianuas clausas eam ingredi ne-

---

[1]) *S. C. Indl.* 10. maii 1844. n. 327.
[2]) *S. C. Indl.* 29. maii 1841. n. 291.
[3]) *S. C. Indl.* 22. aug. 1812. n. 310.
[4]) *S. Officium* 14. ian. 1909. Cn. 929.
[5]) Cn. 923.

quit, sufficit ingressus moralis, eo quod prope ianuam ecclesiae preces recitet[1]).

d. Ad peragendam visitationem ecclesiae, quae *processionaliter* instituitur, non sufficit, si clerus et populus per ecclesiam orantes transeant, nec si clerus cum aliquibus ex processione ecclesiam ingrediantur et communem orationem recitent, dum ceteri extra ecclesiam consistunt, sed requiritur, ut omnes ecclesiam ingrediantur, qui in ea contineri possunt, ibique communem orationem recitent[2]).

e. Ad lucrandas *plures indulgentias,* pro quibus visitatio ecclesiae praescribitur, non sufficit toties preces iterare, quot sunt indulgentiae lucrandae, sed tot visitationes faciendae sunt, quot sunt indulgentiae lucrandae, i. e. toties ex ecclesia egredi et denuo ecclesiam ingredi necesse est[3]).

322. 4. *De precibus recitandis.* *a.* Si ad lucrandas indulgentias oratio praescribitur, non sufficit oratio mentalis, sed aliqua saltem *oratio vocalis* requiritur, quae ordinarie non est determinata, sed cuiusque arbitrio permittitur. Nullo autem argumento demonstrari potest, requiri quinque vel sex Pater et Ave vel aliam orationem his aequivalentem econtra dubitari nequit, quin ex novo Codice *unum Pater* ad indulgentiam lucrandam sufficiat[4]).

b. Preces recitandae sunt *ad intentionem summi pontificis,* cuius intentio est exaltatio s. matris ecclesiae, exstirpatio haeresum, propagatio fidei, peccatorum conversio et pax inter principes christianos. Non requiritur explicita, sed sufficit haec implicita intentio: *ad intentionem rom. pontificis* vel *ad debitam intentionem,* quam omnes habent, qui preces ad lucrandam indulgentiam recitant.

c. Si ad lucrandas indulgentias peculiares preces assignatae sunt, quocunque idiomate recitari possunt, dum-

[1]) Cf. *Behringer-Hilgers* p. 117. [2]) *S. Poenitentiaria* 18. oct. 1901. [3]) *S. C. Indl.* 29. febr. 1864. n. 399. [4]) *S. C. Indl.* 13. sept. 1888. Cn. 934. Cf. *Bremer*, Linz. Quartalsch. 1919 S. 586.

modo de fidelitate versionis constet vel ex declaratione s. Ponitentiariae vel ordinarii alicuius loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio. Indulgentiae cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem[1]).

d. Preces assignatas alternatim cum socio recitare aut mente eas prosequi, dum ab alio recitantur, sufficit[2]).

e. Ut *surdo-muti* et *muti* lucrari possint indulgentias, ad quas obtinendas praescribitur oratio vocalis, haec statuuntur: *a.* si publicae preces praescriptae sunt, debent populo se adiungere et mente orare; *b.* si preces privatim recitandae sunt, ipsi eas signis vel mente fundere vel sine ulla pronuntiatione tantum legere possunt[3]), ecclesiam tamen, si eius visitatio praescribitur, visitare tenentur.

323. Varia decreta. Ex iis, quae circa indulgentias a s. congregatione Indulgentiarum statuta sunt, haec notentur:

1. Licet indulgentiae partiales, quae ad numerum annorum extraordinarie magnum extenduntur, haberi debeant tamquam suspectae, eiusmodi tamen indulgentiae reipsa quandoque concessae sunt; generali tamen decreto 26. maii 1898 revocantur indulgentiae omnes mille aut plurium millium annorum, quae hucusque concessae dicuntur aut sunt.

2. Verba, quibus indulgentiae quandoque conceduntur: *in forma ecclesiae consueta,* significant eas concedi vere contritis i. e. iis, qui a peccatis soluti in statu gratiae exsistunt: et si indulgentiae conceduntur *sub consuetis conditionibus,* intelliguntur, praeter statum gratiae et intentionem lucrandi indulgentiam, confessio, communio et preces ad intentionem s. pontificis dicendae.

3. Si facultas conceditur certis obiectis indulgentias *applicandi in forma ecclesiae consueta,* haec verba significant applicationem faciendam esse intentione et formando signum crucis super rem benedicendam, quin opus sit pronuntiare aliquam formulam aut [redacted] aspergere aqua benedicta[4]).

4. Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario perdurante peraguntur, translatae intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum missa sine sollemnitate et externa

[1]) Cn. 9 4, 3. [2]) Cn. 934, 3.
[3]) *S. C. Indl.* 18. iul. 1902. Cn. 936.
[4]) *S. C. Indl.* 7. ian. 1843. n. 313.

celebratione ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum sollemnitas et externa celebratio[1]).

5. Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta confessarii in alia commutare possunt pro iis, qui legitimo detenti impedimento eadem praestare nequeunt[2]). Commutationes, quae in re indulgentiaria occurrunt, fieri debent in actu sacramentalis confessionis, nisi expresse concedatur, ut extra confessionem fieri possint[3]).

6. Qui ab apostolica sede diversas facultates obtinet e. g. altaris privilegiati personalis, erigendi stationes *Viae Crucis*, benedicendi cruces, numismata etc., facultatem *erigendi stationes* exhibere debet Ordinario, etiamsi in concessione huius rei nulla mentio facta sit; alias autem facultates exhibere non debet, nisi in concessione praescribatur.

7. Quoad clausulam *de consensu Ordinarii loci*, quae in rescriptis, quibus conceditur facultas benedicendi coronas, cruces etc., cum applicatione indulgentiarum apostolicarum et s. Birgittae apponi solet, declaratum est: α. ut *valide* haec facultas exerceatur, requiritur, ut sacerdos ad audiendas confessiones (saltem virorum) approbatus sit; β. ad *licite* eam exercendam requiritur consensus Ordinarii loci, in quo quis ea uti velit. Quamvis optandum sit, ut iste consensus sit expressus, sufficit tamen etiam tacitus vel implicitus, et si practice aliter fieri nequeat, etiam prudenter praesumptus[4]). γ. Pro religiosis, qui hac facultate non utuntur extra suam domum religiosam, sufficit licentia Superioris regularis, etsi in rescripto dicatur: *de consensu Ordinarii loci*[5]).

8. Oratio *Sacrosanctae* (cum Pater et Ave) ex concessione Leonis X. id efficit, ut defectus et culpae in sacro officio persolvendo ex humana fragilitate contractae indulgeantur. Ad hunc finem obtinendum sufficit, ut oratio semel in fine totius officii dicatur.

Necesse non est, ut *immediate* post sacrum officium recitetur; indulgentia acquiritur, etsi temporis aliquod intervallum (complures horae) inter s. officium et hanc orationem intercedat. Attamen *genibus flexis* dicenda est excepto casu infirmitatis vel gravioris impedimenti. Non sufficit ergo quaevis causa rationabilis.

Nota. Ad obtinendum fructum indulgentiarum condiciones, sub quibus eae conceduntur, integre ad amussim impleri debent; et pari modo in instituendis confraternitatibus vel congregationibus formalitates praescriptae accurate servari debent, ut fideles indulgentias iisdem annexas lucrentur. Harum rerum cognitio absque difficultate hauriri potest ex opere supra citato pastoribus praesertim valde utili: *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe etc.

---

[1]) Cn. 922. [2]) Cn. 935.
[3]) *Benedictus XIV.* const. *Convocatio* 25. nov. 1749.
[4]) *S. C. Indl.* 14. iun. 1901. [5]) *S. C. Indl.* 4. iun. 1888.

Articulus tertius.

De indulgentia altaris privilegiati.

324. De privilegio altaris. 1. *Altare privilegiatum* illud dicitur, cui annexum est hoc speciale privilegium, vi cuius sacerdos animae illius defuncti, pro quo in illo altari celebrat, applicare possit indulgentiam plenariam. Privilegium igitur altaris seu *indulgentia altaris privilegiati* in eo consistit, quod summus pontifex ex thesauro ecclesiae indulgentiam plenariam seu tot merita satisfactoria applicat certo defuncto, quot requiruntur et sufficiunt ad eum statim a poenis purgatorii liberandum.

a. Privilegium altaris *duplex* distinguitur, locale et personale. *Locale* affixum est loco determinato scilicet altari; hoc privilegio frui possunt omnes, qui in ipso altari celebrant; *personale* conceditur certis sacerdotibus hoc privilegium petentibus, qui proinde indulgentiam altaris privilegiati applicare possunt, ubicunque celebrent.

b. Qui privilegium altaris personale obtinuit, uti potest etiam privilegio altaris, quod [illegible] alio titulo possidet e. g. ut sodalis congregationis, confraternitatis, nisi indulto expresse id prohibeatur.

2. *Effectus* huius indulgentiae *non est infallibilis.* Etenim s. pontifex offert quidem Deo ex thesauro ecclesiae, quantum sufficit ad animam ab omnibus purgatorii poenis statim liberandam; quia tamen Deus illud pretium acceptare non tenetur, tum ipsa acceptatio tum acceptationis mensura a beneplacito divinae misericordiae dependet.

Unde anniversaria et legata perpetua in altari privilegiato persolvenda ab ecclesia admittuntur, et usus invaluit, ut pro eodem defuncto plura sacra in altari privilegiato dicerentur.

3. Inter hanc indulgentiam et alias, quae pro defunctis applicantur, *aliud discrimen non exsistit,* praeterquam quod indulgentia altaris privilegiati certius applicatur et effectum suum sortitur. Nam hinc quidem indulgentia ista praeter sacrificii oblationem nullam aliam condicionem vel dispositionen supponit, inde vero sacrificium ipsum pro eodem defuncto oblatum vim habet placandi divinam

iustitiam ideoque removendi impedimenta, si quae obsint, quominus indulgentia huic animae perfecte et plene applicetur.

Antiquitus privilegium altaris *raro admodum* et insignioribus tantum ecclesiis concedebatur; saeculo elapso tandem hac in re benignius agere coepit ecclesia.

Benedictus XIII. (a. 1724) omnibus ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus totius orbis concessit altare privilegiatum quotidianum et perpetuum ab ordinario semel designandum.

Clemens XIII. (a. 1759) hanc eandem concessionem extendit ad omnes ecclesias parochiales et collegiatas totius orbis ad septennium, quo expleto episcopus recurrere debet pro confirmatione; ipse deinde concessam confirmationem cum parochis communicabit. Immo fieri potest, ut in eadem ecclesia *plura sint altaria ex aliis titulis privilegiata* e. g. ratione confraternitatis vel congregationis.

Altare, cui conceditur privilegium, *debet esse fixum,* non sufficit portatile seu simplex lapis. Nomine ergo altaris fixi in hac quaestione non intelligitur altare fixum stricto sensu liturgico, sed sufficit altare, quod a loco moveri non possit, etsi sit ligneum nec muro affixum[1]).

Privilegium tamen non lapidi, „qui unus alteri suffici potest", sed altari inhaeret. Altari autem ita exclusive inhaeret, ut in aliud altare absque facultate transferri non possit[2]).

4. Omnia altaria privilegiata sunt *a.* die commemorationis omnium fidelium defunctorum, *b.* iis diebus, quibus in ecclesia peragitur supplicatio quadraginta horarum[3]).

325. Condiciones ad lucrandam hanc indulgentiam requisitae. 1. Cum indulgentia altaris privilegiati separari non possit ab applicatione missae, indulgentia applicari debet *animae illius defuncti, pro quo offertur sacrificium,* non quidem ex rei natura, sed ex voluntate ecclesiae[4]).

---

[1]) *S. C. Indl.* 18. iul. 1902.

[2]) *S. C. Indl.* 27. sept. 1843. n. 324 et 20. mart. 1846. n. 334.

[3]) Cn. 917.

[4]) *S. C. Indl.* 25. aug. 1897. Hoc eodem decreto ad quaestionem: Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus: *Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis,* respondetur: Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in ipso altari pro vivis applicatur,

Non solum is, qui pro vivis celebrat, sed etiam is, qui missam offert pro vivis et simul pro defunctis, indulgentiam altaris privilegiati applicare nequit[1]).

2. Indulgentia altaris privilegiati (etiam die commemorationis omnium fidelium defunctorum) applicari *non potest nisi uni defuncto;* qui ergo pro pluribus vel pro omnibus fidelibus defunctis offert, determinare debet animam, cui indulgentiam applicare intendit. Quod si pro uno tantum defuncto sacrificium offert, eidem etiam indulgentia applicatur, nec necessario ad id requiritur intentio celebrantis, quamvis consultum sit, ut non solum sacrum sed etiam indulgentiam applicare intendat.

3. Diebus, quibus per rubricas permittitur, decet quidem, ut pietatis gratia erga defunctos dicatur missa de Requiem aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria (paenultimo loco), at sub poena nullitatis id non amplius requiritur[2]).

Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati nunc ergo sufficit, ut dicatur missa de die vel etiam votiva, si per rubricas licet, cum intentione applicandi indulgentiam.

4. Indulgentia altaris privilegiati defunctis applicata non impedit, quominus *sacerdos per s. communionem,* quam in sacro suscipit, unam vel plures alias indulgentias lucrari et sibi vel defunctis applicare possit.

5. Qui *ex pluribus titulis* privilegio altaris gaudet, non potest uno eodemque missae sacrificio pro numero titulorum, quibus gaudet, plures indulgentias plenarias applicare, sed unam tantum[3]).

326. De altari gregoriano. *Altare s. Gregorii* in monte Coelio de Urbe est vere et proprie privilegiatum;

---

quam pro defunctis, si pro his applicatur, intelligatur concessa plenaria indulgentia.

[1]) *S. C. Indl.* 23. ian. 1901.

[2]) *S. Officium* 20. febr. 1913.

[3]) Cf. *Beringer-Hilgers* p. 550 sqq. ubi egregiam de hac re dissertationem et complura decreta, quae huc referuntur, communicata reperies.

altaria autem *gregoriana ad instar* non amplius conceduntur[1]).

Scilicet ab antiquis temporibus ad haec usque tempora fideles postulant, ut in altari s. Gregorii in ecclesia eiusdem sancti in monte coelio missae sacrificium pro defunctis offeratur, pie confidentes fore, ut unaquaeque missa in hoc altari oblata tantae sit efficaciae, ut anima, pro qua offertur, a poenis purgatorii illico liberetur. Fiduciam hanc *S. C. Indulg.* (15. mart. 1884) declaravit „piam et in ecclesia probatam". Porro idem privilegium, quod convenit altari s. Gregorii in monte coelio, a s. pontifice quandoque concedebatur etiam aliis per orbem altaribus, quae ideo dicebantur: *altaria gregoriana ad instar*. Altare ergo gregorianum est altare privilegiatum ita, ut duo accedant, quae efficiunt, ut indulgentia a s. pontifice concessa certius et securius applicetur, scilicet intercessio s. Gregorii et auctoritas ecclesiae, qua illud altare ad hoc specialiter deputatum est, ut per sacrificium in eo oblatum animae e purgatorii poenis liberentur.

327. De missis gregorianis. Eodem decreto *S. C. Indulg.* approbavit etiam *missas*, quae *gregorianae* seu *tricenarius gregorianus* dicuntur. Hoc nomine significantur triginta missae, quae per triginta continenter dies ad exemplum s. Gregorii in quocunque altari celebrantur. Fideles, qui ab antiquis temporibus celebrandas curant missas gregorianas, hac ducuntur fiducia, missas istas ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae per intercessionem s. Gregorii ita fore efficaces, ut anima, pro qua applicentur, a poenis purgatorii liberetur.

a. Non est necesse, ut missae ab eodem sacerdote dicantur, sed solum requiritur, ut sine interruptione celebrentur. Potest ergo et debet sacerdos alium sibi substituere, si ipse ad debitam missam celebrandam impeditus sit. Si intra triginta dies, quibus celebrantur missae gregorianae, occurrant tres postremi dies maioris hebdomadae, licet seriem missarum hoc triduo interrumpere eoque elapso continuare[2]). Neque necesse est, ut missa de Requiem iis diebus dicatur, quibus a rubricis permittitur[3]).

b. Si interruptio tricenarii facta est, deficit condicio essentialis. Quodsi inculpabiliter id accidit, sacerdos tricenarium denuo incipere

[1]) *S. Officium* 11. dec. 1912 ad 7.
[2]) *Benedictus XIV.* Instit. eccl. instit. 34. n. 22.
[3]) *S. Officium* 11. dec. 1912 ad 5.

tenetur, si stipendium extraordinarium accepit, quia accipiens tale stipendium ad hoc se obligare censetur; si stipendium ordinarium tantum accepit, ad celebrationem denuo incipiendum teneri non videtur, quia ad tantum onus subeundum propter defectum inculpabilem non se obligavit. Sufficit, si numerum triginta missarum expleat earumque unam saltem in altari privilegiato celebret[1]).

c. Quodnam sit huius piae fiduciae fundamentum vel unde deriveturefficacia, quae tum tricenario *s. Gregorii* tum missae in altari gregoriano celebratae a fidelibus tribuatur, ecclesia nullibi declaravit. Probanda autem videtur sententia illorum theologorum, qui censent s. Gregorium impetrasse a Deo hanc gratiam, ut eius intercessione anima illius, pro quo sacra modo supra explicato offeruntur, a purgatorio liberetur. Ratio autem, propter quam pie creditur s. Gregorio [redacted] fuisse a Deo hanc gratiam, est mirum quoddam factum, quod ipse sanctus in dialog. l. 4. c. 55 narrat[2]).

d. In nonnullis Austriae et Germaniae superioris regionibus reperitur [redacted] curandi, ut pro determinato defuncto *sex missae* continuis diebus applicentur, quae pariter *gregorianae* dicuntur. Verum huius consuetudinis, quantumvis piae, nec explicita ecclesiae approqatio habetur, nec simile factum quoad [redacted] missas in vita s. Gregorii narratur[3]).

Articulus quartus.

De indulgentia in articulo mortis.

328. De ipsa hac indulgentia. 1. Pia mater ecclesia moribundis indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrandam concedit, ut fideles post mortalis vitae cursum a peccatorum suorum poenis soluti ad aeternam beatitudinem illico transire possint. Indulgentia haec *una* est, nec defunctis applicari potest[4]); varii autem exsistunt *ti-*

---

[1]) *Monitore eccl.* XIII. p. 40.

[2]) Cf. *C. Eberle,* Der Tricenarius des hl. Gregorius (Regensburg. Pustet. 1890).

[3]) Cf. *Schüch,* Handbuch der Pastoraltheologie[15] (Innsbruck. Rauch. 1910) S. 568 f.

[4]) Utrum ille, qui actum heroicum fecit, indulgentiam in articulo mortis concessam sibi [redacted] defunctis lucretur, definiri nequit, sed providentiae divinae committendum est. *S. C. Indl.* de hac [redacted] interrogata die 23. ian 1901 decisionem declinavit respondens: *non esse interloquendum* forte pro arbitrio eam vel sibi reservare vel defunctis applicare potest.

tuli, ex quibus obtineri potest, quorum quidem quatuor sunt *personales*, unus est *universalis*, nomine *absolutionis generalis* omnibus notus. Plures eiusmodi tituli exsistunt, quamvis una tantum sit indulgentia, ut fideles eam securius et facilius lucrentur, eo quod unius saltem tituli conditiones exacte observent.

a. Sunt certae *orationes* et pia exercitia, quae tempore vitae sub debitis condicionibus peractae fidelibus ius tribuunt lucrandi in morte indulgentiam plenariam. Sic ii, qui saepe in vita recitant notam orationculam *Angele Dei*, vel qui frequenter in vita eliciunt actus virtutum theologicarum, lucrari possunt indulgentiam plenariam in articulo mortis.

b. Nonnullae *res sacrae* (cruces, numismata, coronae etc.) indulgentiis, quae dicuntur papales, ditatae sunt; iam vero qui eiusmodi [illegible] sacram possidet et in morte apud [illegible] retinet, lucratur indulgentiam plenariam in articulo mortis.

c. Sodales confraternitatum fere omnium et pari modo ii, qui aliquod *scapulare* ab ecclesia approbatum gestant, in articulo mortis indulgentiam lucrantur.

d. Benedictio apostolica seu *papalis* in articulo mortis est speciale privilegium, quo s. pontifex aut determinatae personae aut eius consanguineis pro articulo mortis indulgentiam plenariam concedit.

e. Ad haec accedit benedictio papalis, quae nomine *Absolutionis generalis* circumfertur et cum praecedenti non est confundenda. Scilicet *Benedictus XIV*, per bullam *Pia Mater* (5. apr. 1747) omnibus orbis episcopis id postulantibus facultatem concedit applicandi moribundis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria.

2. Inter titulos personales et titulum universalem hoc intercedit discrimen, quod indulgentia ex titulo personali acquiri possit sine miniserio sacerdotis eam applicantis: quilibet enim ipse sibi eam applicare potest vel potius quilibet eam in articulo mortis sine applicatione eo ipso lucratur, quod condiciones ad eam obtinendam necessarias impleverit, quare indulgentia *lata* vocari solet. Econtra indulgentia ex privilegio benedictino obtinenda per ministerium sacerdotis applicari debet, unde indulgentia *ferenda* appellatur.

329. De absolutione generali. 1. *Quibus applicari possit.* Applicari potest haec indulgentia omnibus, qui in

periculo mortis constituti absolutionis sacramentalis capaces sunt: ergo *a.* etiam iis, qui sensibus destituti sunt, etsi ultima sacramenta ex propria culpa non receperint; *b.* pueris, qui peccati capaces sunt, etsi sacram communionem non susceperint; *c.* capite damnatis, quos criminis sui poenitet, et militibus ante proelium, ergo etiam iis, qui ex causa externa in mortis periculum adducuntur[1]).

2. Ut *sacerdos valide* hanc *indulgentiam applicare possit*, duo requiruntur:

a. Delegatio seu potestas eam applicandi. Per Codicem iur. can. iam omnibus sacerdotibus infirmis assistentibus ipso iure haec potestas confertur: „Parochus vel alius sacerdos, qui infirmis assistat, facultatem habet concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis secundum formam a libris liturgicis traditam"[2]).

b. Formula a Benedicto XIV. praescripta, quae semper adhiberi debet, idque sub poena nullitatis. Reperitur in rituali romano, in breviario, in horis diurnis etc.

3. Ut *moribundus* hanc indulgentiam *lucrari possit*, praeter condiciones universales (intentionem et statum gratiae) duae aliae requiruntur:

a. ut mortem aequo ac libenti animo de manu Dei suscipiat;

b. ut ss. nomen Iesu ore, si possit, sin minus, corde devote invocet[3]).

4. *Quando benedictio apostolica infirmis impertienda sit.* *a.* In quavis infirmitate cum mortis periculo coniuncta, etsi mors nondum proxime instet, benedictio apostolica dari *potest*. *Solet* autem dari *post* sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, licet haec sacramenta benedictionem apostolicam praecedere non *debeant*.

---

[1]) *S. C. Indl.* 18. dec. 1885.
[2]) Cn. 468, 2.
[3]) *S. C. Indl.* 23. sept. 1775. n. 237 et 22. sept. 1892.

Indulgentiam autem moribundus lucratur *in ipso articulo mortis*[1]).

b. Non licet benedictionem apostolicam in eadem infirmitate iterare, etsi in morbo diuturno novum mortis periculum redeat, adeo ut extrema unctio iterari possit. Quod valet, etiamsi aegrotus in statu peccati mortalis vel sensibus destitutus eam acceperit vel si postea in peccatum grave lapsus sit vel extremam unctionem denuo acceperit[2]). Iterata enim applicatio huius indulgentiae inutilis est, quia infirmus eam semel tantum in ipso articulo mortis lucrari potest, ad quod applicatio semel facta sufficit[3]). Attamen iterari potest, si infirmus convaluerit et deinde quacunque de causa in novum mortis periculum inciderit[4]).

Articulus quintus.

De indulgentia iubilaei[5]).

330. Definitio et divisio. 1. *Iubilaeum* dicitur sollemnis indulgentia plenaria a summo pontifice concessa cum facultatibus annexis.

2. Distinguitur iubilaeum *ordinarium* seu iubilaeum *maius*, quod quovis anno 25. recurrit; et *extraordinarium*

[1]) *S. C. Indl.* 23. sept. 1675. n. 9.

[2]) *S. C. Indl.* 12. mart. 1855. n. 362.

[3]) *S. C. Indl.* 20. iun. 1836. n. 257.

[4]) *S. C. Indl.* 12. febr. 1842. n. 300.

[5]) *Bellegambe*, Enchiridion theologico-practicum de iubilaeo. *Pasqualigo*, Theoria et praxis magni iubilaei atque etiam extraordinarii. *Theodorus a Spiritu sancto*, Tractatus historico-theologicus de iubilaeo. *Bellarminus*, De indulgentiis et iubilaeo. *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe[14] S. 569—589 f. *Patr. Bastien*, De iubilaeo anni sancti (Rollarii flandr. De Meester. 1901). — Ad solvendas quaestiones, quae de iubilaeo oriuntur, consulendae sunt constitutiones *Benedicti XIV.*, praesertim vero *Convocatis* (25. nov. 1749) et *Inter praeteritos* (3. dec. 1749). Ex declaratione S. C. Indlg. (15. mart. 1852, decr. auth. n. 353) in iubilaeo tum ordinario tum extraordinario servandae sunt omnes regulae Benedicti XIV., quae non adversantur bullae iubilaei.

seu iubilaeum *minus*, quod summus pontifex in peculiaribus adiunctis concedit.

a. Iubilaeum ab alia indulgentia plenaria *accidentaliter* tantum *differt*, ratione nempe sollemnitatis et facultatum, quae ei annectuntur.

b. Iubilaeum *ordinarium* iam inde ab anno 1475 more in ecclesia receptum est. Concedi solet primo soli Urbi, per integrum annum durat, qui *annus sanctus* vocatur; deinde ad universum orbem per tempus brevius extenditur.

c. Iubilaeum *extraordinarium* s. pontifex post suam quisque exaltationem et insuper pro arbitrio sive in quibusdam maioribus sollemnitatibus sive in peculiaribus ecclesiae necessitatibus concedit. Iubilaeum extraordinarium simul Romae et in universo orbe celebrari solet.

d. Currente anno sancto plures fideles, qui Romam migrare nequeunt ut moniales, infirmi, in carceribus detenti etc. domi indulgentiam iubilaei ordinarii lucrari possunt. Porro qui labente anno sancto sive Romae sive domi lucrati sunt iubilaeum, hoc sequente anno, quo ad universum orbem extenditur, iterum lucrari possunt[1]).

e. Pro iubilaeo ordinario tres tantum condiciones praescribi solent: *confessio, communio* et *visitatio ecclesiarum;* pro iubilaeum extraordinario praeterea *ieiunium* et *eleemosyna* requiruntur. Iubilaeum ordinarium in Urbe fideles lucrari possunt toties, quoties opera praescripta peragunt, in Orbe vero plerumque semel tantum; quandoque tamen facta est potestas illud bis lucrandi, semel pro [redacted] et semel pro defunctis. Quoad iubilaeum extraordinarium non viget regula; quare ex bulla discendum est, utrum semel [redacted] pluries acquiri possit.

331. Condiciones ad iubilaeum lucrandum requisitae, de quibus notanda est regula, ad lucrandum iubilaeum *non sufficere opera aliunde iam debita*[2]).

1. *Confessio et communio.* *a.* Confessio fieri debet intra tempus ad lucrandum iubilaeum statutum; ideo non prodest confessio facta in vigilia iubilaei, prodest autem confessio facta post primas vesperas illius diei, quo incipit iubilaeum. Iubilaeum nempe ordinarium in Urbe [redacted] antiquo more inchoari solet a primis vesperis.

b. Confessio alio titulo iam debita e. g. ex praecepto ecclesiae et communio paschalis absque speciali conces-

[1]) *Benedictus XIV.* constit. *Benedictus Deus.*

[2]) Constit. *Inter praeteritos* n. 53.

sione ad lucrandum iubilaeum non sufficiunt; *viaticum* autem ad lucrandum iubilaeum sufficit[1]).

c. Qui post peractam confessionem, sed antequam ultimum opus praescriptum poneret, in peccatum mortale lapsus est, confessionem iterare debet (non sufficit contritionem perfectam elicere); alia autem opera iam peracta repetere non tenetur[2]).

2. *Visitatio ecclesiarum.* Quae ecclesiae et quoties visitandae sint, in Urbe s. pontifex, extra Urbem episcopus designat, atque in ipsis ad pontificis intentionem pie recitari debent quinque Pater et Ave vel preces aequivalentes.

a. In locis, ubi *unica* tantum habetur *ecclesia*, episcopus concedere potest, ut omnes visitationes in ea fieri possint[3]). Visitationes autem, quae in eadem ecclesia fiunt, ita ab invicem distinguendae sunt, ut singulis vicibus in eam ingredi et ex ea egredi necesse sit.

b. Episcopus visitandum designare potest etiam *oratorium publicum*, dummodo missa in eo habitualiter celebretur[4]).

c. Excluso speciali privilegio *religiosi* nequeunt lucrari iubilaeum visitando propriam ecclesiam. Quodsi ecclesias ab ordinario designatas visitare nequeunt, singuli a suo confessario commutationem petere debent[5]).

d. Si semel in die *plures ecclesiae visitandae* sunt, omnes eae quidem die visitari debent, dies autem non solum more civili sed etiam ecclesiastico computari potest, nempe a primis vesperis usque ad crepusculum diei sequentis[6]). Hinc fieri potest, ut absolutis visitationibus hodiernis post primas vesperas eiusdem diei iam diei sequentis visitationes vel omnes vel ex parte institui possint[7]).

e. Si pluries *eadem ecclesia visitanda* est, visitationes vel eodem vel distinctis diebus fieri possunt, nisi aliud in bulla statuatur[8]).

f. Quia ad lucrandum iubilaeum non sufficiunt opera aliunde iam debita, ad visitationem praescriptam eam sufficit preces pro iubilaeo

---

[1]) *S. Poenitent.* 28. mart. 1900.
[2]) Constit. *Convocatis* n. 47.
[3]) *S. C. Indl.* 14. mart. 1852. n. 353.
[4]) *S. Poenit.* 15. ian. 1886.
[5]) *S. Poenit.* 24. apr. 1886.
[6]) Constit. *Inter praeteritos* n. 8. 11. 13.
[7]) *S. Poenit.* 20. febr. 1900.
[8]) *S. Poenit.* 15. ian. 1886.

recitare, dum quis assistit sacro praecepto; sufficit autem ante vel post missam preces pro lucrando iubilaeo recitare.

g. Visitationes praescriptas unusquisque peragere potest vel in suo domicilio vel alibi, dummodo visitet ecclesias designatas in loco, ubi visitationes peragere statuit[1]).

3. *Ieiunium trium dierum*, nempe feria quarta, sexta et sabbato cum abstinentia a carnibus.

a. In ultimis iubilaeis *Leo XIII.* verbis: *esurialibus tantum cibis utentes* praescripserat ieiunium strictum, quo abstinentia ab ovis et lacticiniis quoque exigitur; *Pius X.* econtra (a. 1904) unius tantum diei ieiunium praescripsit et episcopis facultatem concessit indulgendi ova et lacticinia in iis locis, ubi cibis esurialibus uti difficile sit[2]).

b. Non licet ieiunium ad lucrandum iubilaeum praescriptum servare die, quo iam ab ecclesia praeceptum est ieiunium, nisi id in bulla expresse permittatur.

c. Tria ieiunia praescripta in eadem hebdomada servari debent, nisi bulla aliud permittat.

d. Ieiunium praescriptum illi quoque servare debent, qui ratione aetatis aut nondum aut non amplius ieiunare tenentur, item omnes, qui alias a ieiunio excusati aut dispensati sunt. Quodsi id praestare nequeunt, confessarius ieiunium in alia opera pia commutare potest[3]).

4. *Eleemosyna* aut indeterminate praescribitur: *pro cuiusque arbitrio vel devotione*, aut magis determinate: *pro cuiusque facultatibus:* at necesse non est, ut detur pecunia, sed dari potest alia res pretio aestimabilis.

a. Ad lucrandum iubilaeum etiam pauperes praescriptam eleemosynam facere debent; sed sufficit dare obolum.

b. Si solum aliqua eleemosyna indeterminate praescribitur, sufficit quaelibet quantitas; si autem praescribitur pro cuiusque facultatibus, quantitas, quae sufficit pro paupere, non sufficit pro divite, sed aliqua proportio adesse debet inter eleemosynam et facultates dantis.

c. Eleemosyna etiam per alium fieri potest, dummodo illis ipsis, pro quibus erogatur, scientibus fiat. Potest ergo paterfamilias eleemosynam praescriptam dare pro uxore et liberis; superior religiosas pro suis subditis; dives pro paupere, dummodo ipsis scientibus ero-

---

[1]) *S. Poenit.* 14. maii 1879.

[2]) *S. Poenit.* 23. mart. 1904.

[3]) *S. C. Indl.* 10. iul. 1869. n. 425.

getur. Ceterum religiosi et pauperes huius operis commutationem a confessario suo petere possunt.

Notae. 1. Non requiritur certus ordo in adimplendis hisce condicionibus, dummodo ultimum opus in statu gratiae peragatur.

2. Pridem opinabantur opera ad lucrandum iubilaeum extraordinarium praescripta eadem hebdomada peragi debere[1]); nunc vero certum est hoc necessarium non esse[2]).

3. Necesse non est, ut opera in propria dioecesi peragantur; sed vel omnia vel eorum aliqua in aliena dioecesi peragi possunt, modo praescripta illius episcopi observentur, in cuius dioecesi opera fiunt[3]).

Si quis *domicilium mutat,* postquam opera praescripta in loco prioris domicilii iam inchoaverat, in novo domicilio reliqua opera peragere potest.

332. Facultates speciales, quae durante iubilaeo confessariis concedi solent:

1. *Absolvendi* etiam *regulares;* moniales tamen stricte dictae solum a confessariis pro monialibus approbatis absolvi possunt; moniales vero votorum simplicium semel sibi eligere possunt confessarium simpliciter approbatum[4]).

Cum per Codicem iuris can. iam ipso iure concessa sit omnibus confessariis potestas absolvendi religiosos utriusque sexus, haec facultas pro futuris iubilaeis superflua est.

2. *Absolvendi* ab omnibus *peccatis et censuris* episcopo vel romano pontifici etiam speciali modo *reservatis.*

Excipiuntur: a. Casus constitutione *Sacramentum poenitentiae* reservati, scilicet absolutio complicis, si crimen ter aut amplius commissum fuerit[5]), et calumniosa denuntiatio sacerdotis de crimine sol-

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 537.

[2]) *S. Poenit.* 6. mart. 1865.

[3]) *S. Poenit.* 15. ian. 1886.

[4]) *S. Poenit.* 17. ian. 1900.

[5]) Facultatem absolvendi *a crimine absolutionis complicis bis admisso* concedit *Leo XIII.* constitutione *Temporis quidem* 1900.

licitationis. *b.* Absolutio illorum, qui a romano pontifice vel ab alio praelato *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti vel tamquam censura ligati *publice denuntiati* fuerint. In ultimis iubilaeis concedebatur facultas hos (posteriore loco nominatos) absolvendi, si competenti auctoritati satisfecerint vel, si tempore iubilaei satisfacere non possent, dummodo ■ id quamprimum facturos esse promiserint.

3. *Dispensandi ab irregularitate* per violationem censurae contracta, dummodo sit occulta.

4. *Commutandi vota* (non excepto voto commutationem non petendi) etiam iurata et summo pontifici reservata.

a. Excipiuntur: α. vota castitatis perpetuae et ingressus in religionem; β. vota in favorem tertii facta et ab eo acceptata, nisi hic iuri suo renuntiaverit; γ. vota poenalia ad removendum periculum peccati emissa, nisi commutatio fiat in opus, quod aeque utile sit ad idem periculum removendum.

b. Qui in confessione ad lucrandum iubilaeum instituta sive peccatum aut censuram reservatam confiteri, sive commutationem votorum petere oblitus est, postea, etiam elapso iam tempore iubilaei, absolutionem aut commutationem ■ quovis confessario obtinere potest: reservatio enim per confessionem ad lucrandum iubilaeum institutam ablata est, et ad commutationem obtinendam per illam ius acquisivit.

c. Ad commutanda vota specialis causa non requiritur, sed sufficit ipsa ratio iubilaei. Attamen notandum est, concedi facultatem *simpliciter commutandi* non solum *dispensando commutandi vota*[1]).

5. *Commutandi ex iusta causa opera praescripta* in alia opera aliunde indebita et eiusdem fere naturae, exceptis tamen confessione, communione et precibus ad intentionem summi pontificis recitandis.

a. Cummutatio, quae absque iusta causa fiat, invalida est. Si ergo e. g. ieiunium unice propter repugnantiam poenitentis erga ieiunium in aliud opus mutaretur, commutatio non valeret: requiritur enim, ut poenitens versetur in physica vel morali impossibilitate implendi opus praescriptum. Si tamen confessarius causam in se insufficientem bona fide existimaret sufficientem, valida esset commutatio.

b. Quia non conceditur facultas dispensandi, oportet, ut opus substitutum non sit notabiliter minus quam illud, quod a summo pontifice iniunctum est, nisi forte poenitens valde debilis esset.

---

[1]) *S. Poenit.* 1. nov. 1899.

c. Pro pueris, qui nondum admissi sunt ad s. communionem, communio praescripta in aliud opus pium commutari potest, nisi per bullam iubilaei concedatur facultas eos simpliciter a communione dispensandi, sed solum in actu sacramentalis confessionis[1]). Censet *Marc* (n. 1738) s. communionem etiam chronico morbo laborantibus, qui propterea s. communionem suscipere nequeunt, commutari posse, id quod ob recentem dispensationem a ieiunio huiusmodi infirmis concessam non amplius necessarium est.

d. Si conceditur, ut fideles indulgentiam iubilaei saepius lucrari possint, etiam opera praescripta saepius commutari possunt[2]).

333. De usu harum facultatum.

1. His facultatibus absque speciali concessione confessarii uti non possunt *nisi in confessione sacramentali*[3]).

2. Illis uti possunt *semel* tantum pro eodem poenitente, etsi indulgentia pluries acquiri possit; at necesse non est, ut omnes facultates in eadem confessione neque ut omnes ab eodem confessario applicentur. Excipitur commutatio operum praescriptorum, quae pluries fieri potest, ubi pluries indulgentiam lucrari licet.

Ei ergo, qui prima vice, qua lucratur iubilaeum, facultatibus concessis usus est, ipsae denuo applicari non possunt, etsi indulgentia saepius acquiri possit; ei vero, qui facultatibus concessis non indigebat, quando prima vice iubilaeum lucratus est, illae postea applicari possunt, dummodo iubilaeum saepius acquiri possit et ipse opera praescripta ad iubilaeum lucrandum repetat. Utrum poenitens, cui facultates concessae applicatae sunt, quando confessus est, vi iubilaei denuo absolvi possit, si in censuram inciderit, antequam opera praescripta impleret necne, certo non constat. Probabiliter affirmat *Lehmkuhl* (n. 555. 695), cuius sententiam pro iubilaeo anni 1901 confirmavit s. sedes[4]).

3. His facultatibus confessarii uti non possunt nisi cum poenitentibus, qui sinceram voluntatem habent lucrandi iubilaeum, et ideo opera praescripta implendi atque ex hoc animo ad confessionem accedunt[5]).

---

[1]) *S. Poenit.* 30. ian. 1886.
[2]) *S. Poenit.* 18. mart. 1886.
[3]) Constit. *Inter praeteritos* n. 63.
[4]) *S. Poenit.* 25. ian. 1901.
[5]) *Benedictus XIV.* const. *Inter praeteritos* n. 62. et 86.

a. Si poenitens, qui cum hac dispositione ad confessionem accedens a censuris absolutus et commutationem votorum consecutus est, postea opera ad lucrandum jubilaeum praescripta non implet, frui potest facultate semel concessa, at peccatum committit, quod tamen veniale non excedit[1]).

b. Per sacrilegam confessionem reservationes et censurae non auferuntur; etenim poenitens non affert dispositionem, quae est condicio necessaria, ut ei applicari possint privilegia iubilaei[2]).

334. Suspensio gratiarum. Quo magis alliciantur fideles ad peregrinationem romanam suscipiendam et ad iubilaeum in Urbe lucrandum, *durante anno sancto* suspenduntur ubique, paucis exceptis, indulgentiae et in Orbe etiam facultates confessariorum, quae elapso anno sancto reviviscunt. Scilicet

1. *Indulgentiae* tum plenariae tum partiales a romano pontifice concessae; at non suspenduntur:

a. Indulgentiae defunctis applicabiles; immo omnes indulgentias, quae alias a vivis tantum acquiri poterant, fideles eo anno pro defunctis lucrari possunt[3]);

b. Indulgentia concessa in articulo mortis;

c. Indulgentiae pro oratione *Angelus Domini* concessae;

d. Indulgentia partialis concessa pro visitatione ss. sacramenti sollemniter expositi, quando fit adoratio 40 horarum;

e. Indulgentiae iis concessae, qui ss. sacramentum candelam ferentes comitantur, quando defertur ad aegrotos;

f. Indulgentia *Portiunculae* Assisii lucranda (extra Assisium hanc indulgentiam sicut alias, quae toties quoties acquiri possunt, solum pro defunctis lucrari possumus);

g. Indulgentiae a praelato papa inferiore sive habitualiter sive transeunter concessae.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 537.

[2]) Benedictus XIV. *Inter praeteritos* n. 62. *S. Alphonsus* ibid.

[3]) *S. C. Indl.* 16. dec. 1749. n. 182.

2. *Facultates* a s. sede concessae, et quidem:

a. facultas absolvendi a casibus et censuris romano pontifici reservatis;

b. facultas commutandi vota, sive commutatio simpliciter sive dispensando fit;

c. facultas dispensandi in irregularitatibus;

d. facultas dispensandi in impedimentis etiam matrimonii sive personis privatis sive communitatibus concessa.

Ergo durante anno sancto non cessant facultates dispensandi in abstinentia et ieiunio, facultas adnectendi indulgentias papales rosariis, crucibus, numismatibus etc., facultas dandi benedictionem papalem in fine missionum, et aliae huiusmodi facultates, quae non pertinent ad quatuor capita supra enumerata.

Insuper ex ipsis facultatibus suspensis per bullam iubilaei nonnullae excipiuntur, quae in suo vigore manent; ordinarie excipiuntur sequentes:

α. Facultates *missionariis* a sacra Poenitentiaria concessae, quae in locis missionum earumque occasione exercentur.

Missionarios alii intelligunt solos eos, qui in regionibus infidelium laborant, alii probabiliter hanc exceptionem etiam ad missionarios extendunt, qui in nostris regionibus missionibus habendis operam navant.

β. Facultates *episcopis* sive a concilio tridentino per c. *Liceat* sive iure communi sive speciali privilegio pro casibus particularibus concessae.

γ. Facultates *superioribus regularibus* pro suis subditis concessae.

Caput tertium.

De ministro poenitentiae.

Quaestio prima.

De ministro eiusque potestate.

Articulus primus.

De ministro eiusque potestate in genere.

335. Minister poenitentiae. Solus sacerdos est minister sacramenti poenitentiae: Christus enim solis apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dixerat: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*[1]). Ideo concilium tridentinum anathemate eos damnat, qui dicunt sacerdotes non esse solos ministros absolutionis[2]).

Ex his sequitur: *a.* Qui invalide ordinatus est sacerdos, non potest absolvere a peccatis. *b.* Ecclesia non potest concedere potestatem absolvendi a peccatis ei, qui non est sacerdos, quia ecclesia mutare non potest, quae a Christo instituta sunt. *c.* Falsum est diaconos unquam ex concessione ecclesiae habuisse potestatem absolvendi a peccatis[3]). *d.* Peccator in nullo unquam casu tenetur confiteri peccata sua ei, qui non est sacerdos, quia ab ipso absolvi non potest.

336. Potestas in ministro poenitentiae requisita. Ad valide absolvendum in ministro poenitentiae requiruntur: potestas ordinis seu sacramentalis et potestas iurisdictionis seu iudicialis sive ordinaria sive delegata in poenitentem, cn. 872.

[1]) Ioan. 20, 22. 23.

[2]) Sess. 14. c. 6. can. 10. Cf. de hac quaestione dogmatica *Pesch* VII. n. 410 ss.

[3]) De confessione non sacramentali diaconis facta cf. *Benedictum XIV.*, De synodo l. 7. c. 16. n. 4. ss. *Pesch* VII. 415 s. *Gillmann*, Zur Frage der Laienbeicht (Katholik 1909 S. 435).

a. Potestas *ordinis* requiritur, quia poenitentia sacramentum est, quod ex voluntate Christi a solis sacerdotibus administrari potest.

b. Potestas *iurisdictionis* requiritur, quia remissio peccatorum in hoc sacramento producitur per sententiam iudicialem; ad iudicium autem ferendum iurisdictio necessaria est.

Potestas *ordinis* ad valide absolvendum necessaria est iure divino, potestas *iurisdictionis* iure naturali. Potestatem *ordinis* sacerdos accipit in ipsa ordinatione, quae quidem potestas est vera potestas remittendi retinendique peccata, sed a sacerdote nondum exerceri potest, nisi accedat iurisdictio; potestas *iurisdictionis* confertur extra sacramentum ordinis per externam concessionem superioris ecclesiastici.

Articulus secundus.

De iurisdictione.

337. Definitio. Divisio. 1. *Iurisdictio,* prout hic accipitur, est potestas subditis remittendi vel retinendi peccata in sacramento poenitentiae.

a. Collatio iurisdictionis est actus voluntatis, quo confertur potestas moralis in subditum. Ei, cui confertur iurisdictio, eo ipso simul determinantur subditi, in quos iurisdictionem exercere possit.

b. Monentur ordinarii et superiores religiosi, ne iurisdictionem concedant, nisi iis, qui per examen *idonei* reperti fuerint, vel quorum doctrinam aliunde compertam habeant. Quodsi de hac re postea dubitent, novum examen exigere possunt[1]).

c. Idoneitas ad confessiones audiendas duo complectitur, doctrinam scilicet cum prudentia et morum sanctitatem, qualis in vicario Christi hoc sacramentum administrante requiritur.

2. Iurisdictio vel est ordinaria vel delegata: *a. Ordinaria* dicitur, quae ipso iure adnexa est officio; *delegata* dicitur, quae commissa est personae[2]).

b. Iurisdictio ordinaria et delegata *eo differunt,* quod ordinaria in proprios subditos etiam extra territorium ubique

---

[1]) Cn. 877.

[2]) Cn. 197.

terrarum exerceri possit; delegata vero extra territorium exerceri nequit[1]).

Hinc episcopi, parochi, qui ordinariam habent iurisdictionem, valide absolvunt fideles sibi commissos extra dioecesim, quin indigeant iurisdictione episcopi illius loci, ubi confessiones excipiunt; capellani vero aliique delegatam iurisdictionem habentes ad fideles propriae dioecesis extra dioecesim valide absolvendos indigent iurisdictione episcopi loci, in quo confessiones excipiunt.

338. De modo delegandi iurisdictionem. 1. Iurisdictio delegari potest: *a. Expresse,* quando superior signo aliquo sensibili concessionem manifestat; et *tacite,* quando superior cognoscit exerceri iurisdictionem et non contradicit, licet facile, si vellet, eius exercitium impedire posset. *b. Directe,* quando ipsi sacerdoti immediate committitur potestas absolvendi; et *indirecte,* quando poenitenti conceditur facultas eligendi sibi sacerdotem in confessarium; sacerdoti hoc modo electo superior in ipsa electione confert iurisdictionem.

2. Iurisdictio *duplici modo directe delegari* dicitur: *a. ab homine,* quando habens iurisdictionem ordinariam verbo vel scripto vel alio signo consensum manifestante alicui committit iurisdictionem; *b. a iure,* quando per constitutionem summi pontificis certis personis absolvendi potestas conceditur.

3. Iurisdictio *duplici pariter modo indirecte delegari* dicitur: *a. ab homine,* si ex speciali concessione summi pontificis vel episcopi conceditur facultas eligendi confessarium, ut fieri solet tempore iubilaei, quo omnibus conceditur haec facultas; *b. a iure,* si per dispositionem pontificiam facultas eligendi sibi confessarium conceditur, prout competit cardinalibus, episcopis et praelatis exemptis.

Cardinales sibi suisque familiaribus eligere possunt confessarium, qui, si iurisdictione caret, eam ipso iure obtinet, etiam quoad peccata et censuras reservatas, exceptis specialissime reservatis et revelationi secreti s. Officii adnexis[2]).

---

[1]) Cn. 881, 2.

[2]) Cn. 239, 2.

Episcopis idem privilegium conceditur, etiam quoad casus ordinario loci reservatos[1]).

339. Asserta. 1. Iurisdictio, quippe quae sit potestas in subditum, *exerceri non potest nisi in subditum*[2]); iam vero si a summo pontifice praescindimus, cuius subditus fit, qui ecclesiam Christi ingreditur, solum duobus modis potest aliquis fieri alicuius superioris ecclesiastici proprius et ordinarius subditus: per domicilium et per cooptationem.

a. Domicilium vel quasi-domicilium intra limites territorii, in quo superior ecclesiasticus iurisdictionem exercet, praecipuus est modus, quo subduntur fere omnes, quotquot habenti iurisdictionem ordinariam (parocho, episcopo) subsunt.

b. Per cooptationem in certam familiam regulares, novitii religiosi, alumni convictores et famuli domestici monasteriorum subiiciuntur superioribus religiosis.

Nota. Quoad exercitium iurisdictionis sacramentalis ex novo iure omnes poenitentes considerantur et tractantur ut incolae loci, in quo confessionem peragunt, ideoque ipso actu confessionis confessario subiiciuntur eiusque subditi fiunt.

2. Ad confessiones valide audiendas requiritur *iurisdictio* ordinaria vel delegata, eaque scripto vel verbis *expresse* concessa[3]).

a. Ergo non sufficit collatio iurisdictionis *tacita*, nec sufficit iurisdictio *praesumpta*, etsi certo concedenda praevideatur, si peteretur: *expresse* enim concedi debet. Insuper non licet praesumere condicionem, a qua valor actus dependet.

b. Ergo etiam ad absolvendum *a venialibus* et a mortalibus iam remissis requiritur iurisdictio, cum venialium quoque remissio in sacramento poenitentiae fiat ad modum iudicii. Insuper nulla conceditur iurisdictio in ipsa ordinatione, sed solum extra ordinationem per actum voluntatis superioris ecclesiastici.

3. Qui iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam habet, potest in illo territorio omnes absolvere, qui ac-

[1]) Cn. 349. 1.
[2]) Cn. 201, 1.
[3]) Cn. 879.

cedunt, sive saeculares sive religiosos sive peregrinos sive vagos sive fideles rituum orientalium[1]).

340. Cui competat iurisdictio ordinaria. Iurisdictionem absolvendi *ordinariam* habent:

a. Summus pontifex pro universa ecclesia, qui plenitudinem iurisdictionis accipit immediate a Christo Domino.

b. Cardinales pro universa ecclesia dispositione novi iuris.

c. Ordinarius loci pro suo territorio eiusque *vicarius generalis.*

Nomine *Ordinarii loci* veniunt pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus apostolicus itemque ii, qui praedictis deficientibus interim succedunt in regimine[2]).

d. Parochus et qui loco parochi sunt eiusque vices gerunt, item pro suo territorio.

a. Per se quidem parochi vi muneris solum pro sua parochia approbati et iurisdictione ordinaria instructi sunt. Ad cavendas autem difficultates usus habet, ut parochi, quin etiam capellani, pro tota dioecesi delegatam iurisdictionem accipiant, nisi contrarium alicubi expresse statuatur.

b. Loco parochi sunt: α. Vicarius oeconomus (Pfarrverweser), quem ordinarius constituit, ut parochiam vacantem regat. β. Vicarius substitutus, qui absentis parochi locum tenet, dummodo legitime suffectus sit. γ. Vicarius adiutor, qui supplet vices parochi, ob causam permanentem (senectutem, mentis vitium, imperitiam etc.) suis muniis peragendis imparis.

e. Canonicus poenitentiarius ecclesiae tum cathedralis tum collegiatae.

Hic absolvere potest etiam a peccatis et censuris episcopo reservatis, ab iisdem extraneos quoque in dioecesi et dioecesanos extra dioecesim[3]).

f. Superiores religionis exemptae in suos subditos ad normam constitutionum.

341. De iurisdictione delegata. 1. Qui iurisdictionem ordinariam habet, eam aliis *delegare* potest, nisi a iure expresse prohibeatur[4]).

[1]) Cn. 881.
[2]) Cn. 198.
[3]) Cn. 401, 1.
[4]) Cn. 199, 1.

Cardinales[1]), parochi[2]), poenitentiarii[3]) ecclesiae cathedralis vel collegiatae iurisdictionem delegare non possunt, quamvis ordinaria fruantur.

2. Iurisdictio delegata *territorialis* est i. e. extra territorium, pro quo concessa est, valide exerceri non potest.

3. Iurisdictionem delegatam absolvendi relate ad omnes poenitentes tum saeculares tum religiosos confert sacerdotibus omnibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis *Ordinarius loci,* in quo confessiones excipiuntur[4]).

a. Ex novo iure ergo iurisdictio delegata absolvendi relate ad omnes poenitentes in quavis dioecesi saltem cumulative descendit ab ordinario loci. *Saltem cumulative:* quia iurisdictionem absolvendi religiosos exemptos etiam eorum superior concedere potest.

b. Monentur sacerdotes religiosi, ne utantur iurisdictione ab episcopis eis concessa *sine licentia* saltem *praesumpta* sui superioris[5]) excepto casu, quo religiosus ad suae conscientiae quietem confessionem suam instituere vellet. Absolutio tamen sine licentia superioris concessa non esset invalida.

c. Locorum ordinariis iniungitur, ne iurisdictionem absolvendi habitualiter concedant religiosis, qui a proprio superiore non *praesentantur,* iis vero, qui praesentantur, sine gravi causa eam non denegent, salvo iure eos subiiciendi examini, quo idonei probentur[6]).

4. Iurisdictio delegata vel licentia superioris concedi potest certis *limitibus circumscripta.* Monentur tamen ordinarii vel superiores, ne sine rationabili causa eam nimis coarctent[7]).

5. Ordinariis et superioribus religiosis iniungitur, ne iurisdictionem vel licentiam revocent aut suspendant, nisi ob gravem causam[8]).

6. Non licet episcopo inconsulta s. sede, *omnibus confessariis* alicuius religiosae domus formatae una simul iurisdictionem *adimere*[9]).

---

[1]) Cn. 874, 1.

[2]) Cn. 874, 1. — Commiss. inter Codicis 16. oct. 1919 declarat: Parochum non posse sacerdotibus delegare iurisdictionem, nec iam approbatis eandem extendere ultra fines loci et personarum, intra quos fuerit circumscripta.

[3]) Cn. 401. [4]) Cn. 874, 1. [5]) Cn. 874, 1.

[6]) Cn. 874, 2. [7]) Cn. 878, 2. [8]) Cn. 880, 1.

[9]) Cn. 880, 3.

342. De cessatione iurisdictionis. 1. Iurisdictio *ordinaria* cessat: *a.* amissione officii vel renuntiatione vel privatione vel amotione vel translatione vel lapsu temporis praefiniti; *b.* post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam excommunicationis, suspensionis ab officio, interdicti[1]).

2. Iurisdictio *delegata* cessat: *a.* revocatione, eaque directe intimata delegato; *b.* elapso tempore vel exhausto numero casuum, pro quo concessa fuit; *c.* mutatione territorii; *d.* elapso mandato[2]).

a. Absolutio, quae elapso tempore vel exhausto numero casuum *per inadvertentiam* collata fuerit, valida est[3]).

b. Iurisdictio non cessat cessante officio per amotionem vel mortem delegantis, si illimitate concessa fuerit; cessat autem, si concessa fuerit pro aliqua persona particulari[4]) et confessio nondum incepta sit, vel cum clausula *ad beneplacitum nostrum*[5]).

343. De iurisdictione in navigantes in mari haec valent. 1. Sacerdotes quicunque iter maritimum facientes toto tempore navigationis tum omnium navigantium tum etiam fidelium non navigantium, qui durante itinere, si navis consistat, in navim conscendunt, confessiones audire eosque, etiam a casibus eorum episcopis reservatis, absolvere possunt, etsi navis transeat vel durante itinere aliquamdiu consistat in locis diversorum ordinariorum iurisdictioni subiectis, dummodo sacerdotes facultatem absolvendi acceperint vel a proprio ordinario, vel ab ordinario portus, in quo navem conscendunt, vel ab ordinario portus, per quem in itinere transeunt.

2. Si durante itinere ad tempus in terram descendunt, confessiones tum navigantium tum etiam non navigantium, qui id petunt, audire eosque valide et licite etiam a casibus ordinario loci reservatis absolvere possunt[6]).

[1]) Cn. 873, 3 coll. cn. 183.
[2]) Cn. 207.
[3]) Cn. 207, 2.
[4]) Cn. 61.
[5]) Cn. 73.
[6]) *S. Officium* 4. apr. 1900; 23. aug. 1905; 12. dec. 1906. Cn. 883.

Articulus tertius.

De iurisdictione, quam supplet ecclesia.

344. Declarationes. 1. Iurisdictio, quam supplet ecclesia, definitur iurisdictio, quam ecclesia extraordinarie propter bonum commune in ipso actu suppeditat[1]).

a. Iurisdictio, quam supplet ecclesia, est ergo iurisdictio delegata ab ecclesia seu a summo pontifice; a iurisdictione autem sive ordinaria sive ordinarie delegata eo differt, quod haec iam ante confessionem adest et absoluta confessione habitualiter manet, illa vero in ipso tandem actu confessionis conceditur, ut haec valide perfici possit, et concessa absolutione iterum exstinguitur.

b. Ubi, ecclesia defectum supplere dicitur, ad duo attendendum est, num ipsa defectum supplere *possit* et num eundem supplere *velit:* non enim omnes defectus in re sacramentaria ecclesia supplere potest e. g. in materia vel forma, sed solum defectus potestatis, quae ab ipsa dependet. Sed neque in omnibus casibus, in quibus supplere potest, ecclesia de facto etiam supplet, sed in illis tantum, in quibus voluntatem supplendi vel expresse vel tacite manifestavit.

2. Tres sunt casus, in quibus ecclesia iurisdictionem de facto supplet: *a.* in periculo mortis; *b.* in errore communi; *c.* in casu iurisdictionis probabilis; in his casibus autem supplet, sive sacerdos absolvens alias ordinariam sive delegatam iurisdictionem habeat, sive sciat sive nesciat se iurisdictione carere.

345. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus[2]).

---

[1]) *Lessius,* De iure l. 2. c. 29 n. 68.

[2]) Cn. 882. *Concilium trident.* sess. 14 c. 7. haec habet: „Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt."

1. *Periculum* mortis, in quo omnis sacerdos potestate absolvendi pollet, non solum in gravi morbo adest, sed etiam ubi periculum mortis a causa externa inducitur ut in praelio, in periculosa navigatione, in partu difficili etc.

Ex declaratione s. sedis milites in *statu convocationis bellicae* constituti (im Mobilisierungsfalle) ipso facto aequiparantur iis, qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote absolvi possint[1]).

2. *Omnes sacerdotes,* ergo etiam irregularis, suspensus, immo etiam excommunicatus vitandus, schismaticus, haereticus vel apostata. Sacerdos *non approbatus* etiam praesente approbato valide et licite absolvit; sacerdos autem impedimento vel censura irretitus solum deficiente sacerdote, qui ab omni impedimento et censura immunis sit, licite absolvit.

Sicut valida est absolutio data a sacerdote *non approbato,* etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; sic valida est absolutio concessa a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem[2]).

3. *A quibusvis peccatis et censuris:* nam in periculo mortis nulla est reservatio. Attamen qui absoluti fuerint a sacerdote carente potestate in haec peccata et postea convaluerint, sub poena reincidentiae recurrere debent, et quidem *a.* absoluti ab aliqua censura *ab homine* lata ad illum, qui sententiam tulit; *b.* absoluti a censura *specialissimo modo* sedi apostolicae reservata ad s. Poenitentiariam vel ad episcopum vel ad alium facultatem habentem eorumque mandatis parere[3]).

In periculo mortis etiam absolutio complicis valida et licita est sed solum in casu necessitatis i. e. si alius sacerdos non adest nec vocari potest, extra casum necessitatis valida quidem sed illicita est[4]).

---

[1]) *S. Poenitentiar.* 12. mart. 1912.
[2]) *S. Officium* 29. iul. 1891.
[3]) Cn. 2252.
[4]) Cn. 884.

346. In errore communi et in casu iurisdictionis probabilis.

Declarationes. *a.* Error dicitur *communis*, si omnes vel fere omnes alicuius loci fideles existimant, confessarium iurisdictione reipsa instructum esse; dicitur *privatus*, si error iste unius vel paucorum est.

α. Ut aliquis per errorem communem habeatur confessarius, requiritur aliquod factum e. g. exercitium muneris confessarii per aliquod tempus peractum, ex quo loci fideles eum passim pro confessario habent; non sufficit, ut quis semel more aliorum confessiones excipiat.

β. Error censetur esse communis, modo in loco, in quo sacerdos excipit confessiones, ignotus sit defectus iurisdictionis, etsi in alio loco ille defectus notus esset.

b. In dubio positivo et probabili de exsistentia iurisdictionis habetur *iurisdictio probabilis* sive dubium sit iuris sive facti, dummodo rationes positivae et probabiles exsistentiam iurisdictionis probent.

Principia. 1. In *errore communi* ecclesia supplet iurisdictionem[1]).

a. Nihil refert, unde ortus sit error communis. Ratio interna, quae ecclesiam determinat ad supplendam iurisdictionem, est bonum commune, ne scil. multae animae pereant.

b. Sacerdos, qui confessiones audit et absolvit, postquam tempus iurisdictionis iam exspiravit; item confessarius, qui non recordatur, num hoc peccatum in dioecesi reservatum sit; tandem confessarius, qui nescit, an tempus iurisdictionis iam exspiraverit — fruuntur errore communi. Quare is, qui confessiones audiens recordaretur, tempus iurisdictionis iam elapsum esse, vel de hac re dubitaret, ab excipiendis confessionibus cessare non deberet.

2. In *quovis dubio positivo et probabili* sive iuris sive facti, seu in casu iurisdictionis probabilis, ecclesia supplet iurisdictionem[2]).

a. Patet in casu *iurisdictionis probabilis* ecclesiam hypothetice tantum debere iurisdictionem supplere, si nimirum confessarius iurisdictione, de cuius exsistentia dubitatur, reipsa careat.

[1]) Cn. 209. Ut ergo ecclesia certo suppleat iurisdictionem, praeter rerorem communem *titulus coloratus*, qui antea necessarius dicebatur, non requiritur. [2]) Cn. 209.

b. Casus frequentiores iurisdictionis probabilis occurrunt in peccatis et censuris reservatis, ubi scilicet auctores dubitant, an aliquod peccatum in determinatis adiunctis commissum reservatum sit, necne.

3. Licitum est absolvere *cum iurisdictione probabili:* cum enim in hoc casu ecclesia volens et lubens certo suppleat, absolutio est certo licita et valida.

Ut quis uti possit iurisdictione probabili, peculiaris causa non requiritur, dummodo ante eius usum dubium de exsistentia iurisdictionis solvere studuerit, [redacted] temere eadem utatur.

Articulus quartus.

De iurisdictione in religiosos.

347. Praenotiones. Praemittendi sunt termini, quibus in hac re utitur *Codex iuris canonici*[1]).

Religio est societas ab ecclesiastica auctoritate approbata, in qua vota publica, perpetua vel temporanea, sed elapso tempore renovanda, emittuntur.

Ordo est religio, in qua vota *sollemnia* emittuntur.

Congregatio religiosa est religio, in qua vota dumtaxat *simplicia* (sive perpetua sive temporanea) emittuntur.

Religio dicitur *clericalis,* si plerique sodales sacerdotio augentur, secus vocatur *laicalis.*

Domus religiosa est domus religionis in genere; *religiosus,* qui vota emittit in aliqua religione.

Domus regularis est domus ordinis; *regularis,* qui vota emittit in aliquo ordine.

Domus formata est, in qua saltem sex religiosi professi degunt, quorum in religione clericali saltem quatuor sint sacerdotes.

Superiores maiores sunt Abbates, Generales et Provinciales aliique ad instar provincialium potestatem habentes.

348. Principia. 1. *Iurisdictionem* in ipsos religiosos *ordinariam* habent: *a.* in religione *exempta* superior et

[1]) Cf. Cn. 488.

ordinarius loci[1]); *b.* in religione *non exempta* solus ordinarius loci[2]).

2. Iurisdictionem *delegatam* ad religiosos absolvendos concedere potest quoad religionem *exemptam* tum superior tum ordinarius loci, et quidem uterque sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis, etiam alterius religionis; quoad religionem *non exemptam* solus ordinarius loci[3]).

Re ipsa omnes sacerdotes tum saeculares tum regulares, qui iurisdictione proprii ordinarii instructi sunt, in suo territorio valide et licite absolvere possunt quosvis religiosos etiam exemptos, etiam a casibus reservatis (n. 341).

3. De *confessariis religiosorum* iam haec statuta sunt:

a. In singulis domibus *religionis clericalis* pro numero sodalium plures deputandi sunt confessarii cum potestate, si agatur de religione exempta (quae casus reservatos proprios habere potest) absolvendi etiam a casibus reservatis[4]).

In religionibus *laicalibus* constituendus est confessarius *ordinarius* et *extraordinarius,* et si religiosus aliquem *specialem* petit, illum superior concedere debet, petitionis rationem non inquirens neque id aegre se ferre demonstrans[5]).

Hos confessarios a constituit in religione *clericali exempta* superior; *b.* in religione *laicali exempta* superior proponit confessarium, cui ordinarius loci iurisdictionem confert; *c.* in religionibus *non exemptis* eos constituit ordinarius loci[6]),

b. Superiores ipsi audire possunt confessiones subditorum, qui sponte et libere id petant, sed sine gravi causa hoc non faciant per modum habitus. Caveant etiam, ne quem subditum aut per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant, ut apud se confiteatur[7]).

c. Potest religiosus etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, adire confessarium ab ordinario loci ap-

[1]) Cn. 501. — Cn. 873, 2. — Cn. 874, 1.
[2]) Cn. 500.
[3]) Cn. 874; 875, 1.
[4]) Cn. 518.
[5]) Cn. 528.
[6]) Cn. 875; 529.
[7]) Cn. 518, 2. 3.

probatum, etsi inter designatos non sit, qui religiosum valide et licite absolvere potest, etiam a peccatis et censuris in religione reservatis[1]).

Quivis igitur religiosus quemvis confessarium ab ordinario loci approbatum sive saecularem sive religiosum eiusdem vel alterius ordinis, tum domi tum extra domum et in itinere, sive consentiente sive obnitente superiore, adire et ab eo valide liciteque, etiam a reservatis, sine onere postea implendo absolvi potest.

4. *Quoad novitios.* *a.* Pro numero novitiorum unus vel plures eis constituantur confessarii *ordinarii,* qui in ipsa novitiatus domo commorentur, si haec clericalis sit, vel saltem frequenter accedant novitiorum confessiones audituri, si laicalis est.

b. Praeter ordinarios *designentur* aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus libere adire possint[2]).

c. Quater saltem in anno detur eis confessarius *extraordinarius,* ad quem omnes accedant saltem benedictionem accepturi[3]).

d. Magister novitiorum eiusque socius eorum confessiones (habitualiter) ne audiant, nisi novitii ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant[4]).

5. *Quoad domesticos.* Vi iurisdictionis a solo superiore religionis concessae absolvi possunt etiam regularium *familiares.*

a. Dubium igitur, num scilicet alumni convictores, qui in monasteriis vel collegiis sub regularium disciplina vivunt, ad regularium familiares pertineant, quos regulares propria potestate in confessione absolvere possint, iam solutum est, cum quod cn. 514, 1 etiam alumnos inter familiares simpliciter recenseat.

b. Iurisdictio regularium in alumnos convictores tamdiu durat, quamdiu durat eorum subiectio sub regularium disciplina. Tempore igitur feriarum vel itineris a regularibus absolvi non possunt, si eo tempore e disciplina regularium iam exempti parentum aliorumve curae iterum redditi sunt.

---

[1]) S. C. de Religiosis 5. aug. 1913. Cn. 519.
[2]) Cn. 566, 3.
[3]) Cn. 566, 4.
[4]) Cn. 891.

Articulus quintus.

De iurisdictione in religiosas[1]).

349. Praenotiones. 1. Omnes feminae Deo devotae et in communitate viventes nomine generico *religiosae* vocantur. Sunt religiosae, quae sollemnia vota nuncupant et strictam clausuram habent, et religiosae, quae solum vota simplicia vel nulla vota emittunt et strictam clausuram non servant. Religiosae votorum simplicium vocantur *sorores*, religiosae votorum sollemnium et illae, quarum vota saltem ex instituto sollemnia, [illegible] praescripto s. sedis autem in aliquibus locis simplicia sunt, vocantur *moniales*. Porro monialium aliae iurisdictioni episcopi subsunt, aliae a iurisdictione episcopi exemptae iurisdictioni superiorum proprii ordinis subiacent. Sorores omnes iurisdictioni episcopi subsunt.

2. Quae [illegible] *Codice* iuris can. circa confessarios religiosarum sive ordinarios sive extraordinarios statuta sunt, etiam a piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi sint instituta tantum dioecesana, servanda sunt.

350. De confessario religiosarum. 1. Ad confessiones quarumcunque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas sacerdotes tum saeculares tum religiosi cuiusvis gradus et officii *peculiari iurisdictione* indigent[2]).

Excipiuntur *Cardinales* tantum, qui confessiones etiam religiosorum utriusque sexus ubique terrarum audire possunt[3]).

---

[1]) *Pellezarius*, Tractatio de monialibus (Editio romana correcta 1755). *I. Ch. Ioder*, Das Beichtvateramt in Frauenklöstern (Archiv f. k. Kirchenr. Bd. 78 [1898] und 79 [1899]). — In tota hac quaestione de confessariis monialium summi momenti est decretum *S. C. de Religiosis* 3. febr. 1913: *De monialium [illegible] sororum confessionibus*, 17 numeros seu paragraphos comprehendens, quo religiosis feminis maior in eligendo confessario libertas conceditur, ideoque nonnullae leges hucusque vigentes immutantur. Quocum concordat *Codex iuris can.* Cn. 520—527. Cn. 876.

[2]) Cn. 876.

[3]) Cn. 239, 1.

2. Hanc iurisdictionem confert *ordinarius loci*, in quo religiosa domus sita est, in hunc modum:

a. Si domus immediate sedi apostolicae vel ordinario loci subdita est, hic eligit sacerdotes confessarios tum ordinarios tum extraordinarios eosque approbat i. e. iurisdictionem eis confert.

b. Si domus subiecta est superiori regulari, hic confessarios ordinario praesentat, qui eos approbat[1]).

Confessarius monialium vel *speciatim* pro aliquo monasterio vel *generatim* pro omnibus eiusdem dioecesis monialibus approbari solet. Confessarius speciatim approbatus pro uno monasterio non potest valide confessiones excipere in alio monasterio, nec eiusdem quidem ordinis.

3. Si aliqua religiosa ad suae conscientiae tranquillitatem confessarium adeat ab ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil antistitae referre tenentur[2]).

Cum citatus canon ex decreto S. C. de Relig. 3. febr. 1913, feminis religiosis facultatem concedente, cuilibet confessario pro utroque sexu approbato extra propriam domum data occasione confitendi, omittat verba: *extra propriam domum*, hanc facultatem confitendi etiam in propria domo concedit. Attamen attendendum est, agi tantum de confessione, quae hinc inde ad conscientiae tranquillitatem obtinendam instituatur. His ergo etiam monialibus intra clausuram degentibus facta est potestas hinc inde confitendi apud alium, qui non est proprius earum confessarius.

4. Religiosae omnes, quae *graviter aegrotant*, etsi non sint in mortis periculo, quemvis sacerdotem ad excipiendas confessiones pro utroque sexu approbatum, etsi non destinatum religiosis, advocare eique durante gravi morbo, quoties *voluerint*, confiteri possunt; nec antistita eas sive directe sive indirecte prohibere potest[3]).

5. Loci ordinarius ob gravem causam confessarium tum ordinarium tum extraordinarium amovere potest, etiamsi monasterium sub regularibus et confessarius regularis sit,

[1]) Cn. 525. [2]) Cn. 522. [3]) Cn. 523.

nec tenetur amotionis causam cuiquam significare excepta s. sede, si ab ea requiratur; de amotione autem superiorem regularem monere debet, si moniales regularibus subsint[1]).

351. De confessario ordinario. 1. Singulis religiosarum domibus dandus est confessarius *ordinarius*, et quidem *unus* tantum, qui universae communitatis confessiones excipiat, nisi ob magnum religiosarum numerum vel ob aliam iustam causam opus sit altero vel pluribus[2]).

a. Lex *unius* confessarii constituta est tum propter directionis spiritualis uniformitatem tum ad praecavendos abusus. Initio pro solis monialibus votorum sollemnium lata, postmodum extensa est etiam ad sorores votorum simplicium, at non obligat pro *personis saecularibus* seu puellis educandis, quae cum monialibus vivunt.

b. Nihil impedit, quominus idem sit confessarius ordinarius in pluribus monasteriis sive eiusdem sive diversi ordinis, sive votorum sollemnium sive simplicium[3]).

2. Confessarius ordinarius religiosarum non constituitur nisi *ad triennium;* potest tamen ordinarius eundem (absque licentia s. sedis) ad secundum, immo ad tertium triennium confirmare.

Confessarius elapso triennio iterum in munere suo confirmari potest: *a.* si ob sacerdotum idoneorum penuriam aliter provideri nequeat, vel *b.* si maior religiosarum pars, etiam earum, quae alias ius ferendi suffragii non habent, in eiusdem confessarii confirmationem per secreta suffragia convenerint. Dissentientibus, si velint, aliter providendum est[4]).

3. Confessarius sive ordinarius sive extraordinarius religiosarum constitui nequit *Vicarius generalis,* quia non convenit, ut iudex constituatur in foro interno, qui iudex est in foro externo[5]).

4. Confessarius ordinarius non potest deputari extraordinarius nec rursus ordinarius in eadem communitate, nisi *post annum* ab expleto munere, exceptis casibus supra

---

[1]) Cn. 527.
[2]) Cn. 520, 1.
[3]) *S. C. Ep. et Reg.* 1. sept. 1905.
[4]) *S. C. de Relig.* 3. febr. 1913 n. 2. Cn. 526.
[5]) Cn. 524, 1.

recensitis. Extraordinarius autem immediate fieri potest ordinarius[1]).

352. De confessario extraordinario. 1. Unicuique religiosae communitati dandus est etiam confessarius *extraordinarius,* qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent saltem benedictionem accepturae[2]).

Hoc statutum est, ut illae religiosae absque pudore ad confessarium extraordinarium accedere possint, quae eius auxilio reipsa indigent. Quinimo ut plena monialibus libertas ad eum accedendi servetur, prohibetur: α. ne confessarius ordinarius, quo tempore extraordinarius suo munere fungitur, accedat ad monasterium; quodsi in monasterio habitet, non est necesse, ut e domo discedat, curare autem debet, ne extraordinario ullum impedimentum afferre audeat; β. ne per id tempus ullius monialis, ne abbatissae vel novitiae quidem, confessionem audiat; id tamen ei non prohibetur sub poena nullitatis.

2. Confessarius tum ordinarius tum extraordinarius scientia, prudentia et morum sanctitate instructus et *40 annorum* esse debet; ex iusta causa tamen ordinarius ad hoc munus eligere potest sacerdotes, qui hanc aetatem nondum habent, modo aliis dotibus excellant[3]).

Monentur confessarii religiosarum, tum ordinarius tum extraordinarius, ne interno vel externo communitatis regimini ullo modo se immisceant[4]).

Nota 1. Directio spiritualis tum communitatis in genere tum singularum monialium per se ad confessarium ordinarium spectat, quare extraordinario aliud officium iure non competit, nisi ut monialium confessiones statutis temporibus audiat atque in illis rebus, quae sibi proponuntur, salutaria monita et consilia suppeditet. Prudentia nempe exigit, ne aliis rebus, sive ad disciplinam sive ad vitam spiritualem pertinent, ullo modo se immisceat.

Nota 2. Ne aegre ferat confessarius ordinarius, si quando moniales confessarium extraordinarium advocent; immo in certis adiunctis ipse consulat, ut extraordinarium adeant. Ubi enim advertit moni-

---

[1]) Cn. 524, 2.
[2]) Cn. 521, 1.
[3]) *S. C. de Relig.* 13. febr. 1913 n. 8. Cn. 521, 1.
[4]) Cn. 524, 3.

alem in spiritu non proficere, eo quod ipse e. g. eiusdem conscientiam scrupulosam apte dirigere vel tepiditatem curare non potest, eam ad extraordinarium mittat, cui forte melius continget, quod ipse frustra assequi hucusque conabatur.

353. De confessariis speciali et designatis. 1. Si aliqua religiosa ad animae suae quietem et ad maiorem in via Dei progressum aliquem *specialem* confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile ordinarius concedet; qui tamen invigilet, ne ex hac concessione abusus irrepant[1]).

Eiusmodi confessarius *specialis* non ad praefixum tempus, sed tamdiu concedendus est, quamdiu durat causa necessitatis vel utilitatis spiritualis. — In confessarium specialem deputari potest etiam confessarius, qui per triennium munere ordinarii functus est, integro anno a cessatione muneris nondum expleto[2]).

2. In iis locis, in quibus religiosarum communitates exsistunt, ordinarius aliquot sacerdotes pro singulis domibus *designet*, ad quos religiosae in casibus particularibus confessionis causa recurrere possint, quin toties quoties ordinarium adire necesse sit[3]).

De hac re decreta statuunt: *a.* Ex designatis ab episcopo confessariis ipsa religiosa, quem voluerit, eligere potest[4]).

b. Confessarius designatus religiosae petenti negari nequit, nec in eo quidem casu, quo superior videt, nullam adesse eum advocandi necessitatem[5]).

c. Si religiosa confessarium designatum petat, antistitae non licet, nec per se nec per alios, ne indirecte quidem, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari aut quavis ratione ostendere, se id aegre ferre[6]).

d. Confessarii designati, si intelligant religiosas nulla iusta causa ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Omnes autem religiosae monentur, ut confessarium extraordinarium, sepositis rationibus humanis, solum petant ob spirituale bonum et maiorem in virtutibus progressum[7]).

[1]) Cn. 520, 2.
[2]) *S. C. de Relig.* 20. april. 1917.
[3]) *S. C. de Relig.* 3. febr. 1913 n. 11. Cn. 521, 2
[4]) *S. C. Ep. et Reg.* 17. aug. 1891.
[5]) Ibid.
[6]) *S. C. de Rel.* 3. febr. 1913 n. 11.
[7]) Ibid. n. 13.

e. Si religiosa ex iudicio superiorum ad animi sui quietem et maiorem in perfectione progressum *habitualiter* specialem confessarium vel moderatorum spiritualem petit, is ei ab ordinario concedendus est, qui tamen invigilare debet, ne ex hac concessione abusus irrepant[1]).

f. Confessarii extraordinarii, speciales et designati non adstringuntur lege triennii[2]); possunt ergo per plura triennia in suo munere permanere.

Quaestio secunda.

De restrictione iurisdictionis [3]).

354. Restrictio iurisdictionis. Iurisdictio, cum circa obiectum divisibile versetur et libera hominis voluntate conferatur, diversis modis restringi ac limitari potest:

a. Quoad *personas,* ut si quis iurisdictionem accipiat pro tota dioecesi, certis tamen hominibus e. g. feminis vel monialibus exceptis.

In nonnullis regionibus e. g. in Italia usus habet, ut iuvenibus praesertim sacerdotibus iurisdictio conferatur limitata ad solos viros, non item ad mulieres, absolvendas; quam ob rem in Codice iuris can. quandoque sermo occurrit de confessario etiam pro mulieribus seu pro utroque sexu approbato.

b. Quoad *locum,* ut si quis in una tantum parochia confessiones excipere possit.

Sic parochi per se pro sua tantum parochia iurisdictionem (ordinariam) accipiunt; usus tamen habet, ut tam parochi quam capellani iurisdictionem (delegatam) pro tota dioecesi accipiant.

---

[1]) *S. C. de Relig.* 3. febr. 1913 n. 5.

[2]) *S. C. Ep. et Reg.* 7. dec. 1906.

[3]) *Ios. Pauwels,* De casibus reservatis. 2. tomi. Denuo edidit *Migne* Theologiae cursus completus. XVIII. 933—1604. *Ian. Bucceroni,* Commentarii de casibus reservatis. (Romae. Armanii. 1889). *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor. V. Appendix *de casuum reservatione. Matth. Hausmann,* Geschichte der päpstlichen Reservatfälle. (Regensburg, Pustet. 1868).

c. Quoad *tempus,* ut si cui conferatur iurisdictio ad biennium, quo elapso potestas concessa exspiret.

d. Quoad *certa peccata,* ut si summus pontifex vel episcopus absolutionem a certis peccatis sibi reservet. Haec limitatio iurisdictionis *reservatio casuum* vocatur, quae uberiore expositione indiget.

Articulus primus.

De reservatione casuum.

355. Natura reservationis. *Reservatio* in iudiciis tum civilibus tum ecclesiasticis occurrit et significat avocationem alicuius causae ab inferiore iudice ad superiorem, qua avocatione inferiori iudici adimitur potestas illam causam diiudicandi. Ideo reservatio casuum proprie est superioris ecclesiastici revocatio nonnullorum casuum ad suum iudicium. Quia vero ex ipsa hac revocatione sequitur limitatio potestatis in inferiore iudice, reservatio solet definiri: limitatio seu negatio potestatis absolvendi a certis peccatis. Et *casus reservatus* est peccatum ad tribunal superioris iudicis avocatum, a quo proinde inferior iudex ob defectum potestatis absolvere non potest[1]).

Ex his definitionibus tria colliguntur: α. neminem reservare posse peccata nisi suorum subditorum; β. reservationem directe [illegible] afficere poenitentem sed confessarium, cuius potestatem restringit; γ. si ergo confessarius simplex sive bona sive mala fide poenitentem a peccato reservato absolvit, hoc per [illegible] suppositis supponendis solum indirecte remittitur.

356. Potestas reservandi. 1. Est in ecclesia potestas reservandi quaedam peccata, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate extra articulum mortis absolvere non possunt. Constat ex concilio trident.[2]), ex *Codice* iuris canonici[3]) et ex natura sacramenti poenitentiae, quod exer-

[1]) Cn. 893.

[2]) Sess. 14. c. 7. et can. 11: *Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi casus . . . a. s.*

[3]) Cn. 893.

cetur per modum iudicii potestate ab ecclesia collata; atqui ecclesia, quae potestatem confert, eam etiam limitare et ius limitandi aliis conferre potest.

2. Etsi, considerata sola potestate reservandi, omnia peccata, mortalia et venialia, externa et interna, reservari possunt, considerato tamen fine reservationis *sola peccata externa eaque graviora et atrociora* reservantur: potestas enim reservandi data est in utilitatem disciplinae ecclesiasticae, quocirca ea tantum peccata reservari solent, quae turbant disciplinam et scandalo sunt fidelibus, qualia sunt gravia et externa. Prorsus autem inutile esset reservare venialia, quippe quae non sint materia necessaria confessionis.

357. Finis reservationis. *a.* Finis primus ipsa institutione reservationis suapte natura intentus est *disciplinaris,* bona nempe ecclesiae gubernatio: apta enim ecclesiae administratio exigit, ut graviora peccata, quae communitati fidelium perniciosa sunt, superioribus iudicibus reserventur, quippe qui ob suam experientiam et prudentiam melius iudicare possint, qua ratione malo obviandum sit[1]). *b.* Alter reservationis finis item cum reservatione natura sua connexus est *medicinalis,* ut fideles a peccatis absterreantur, quorum absolutionem vident esse tam difficilem.

Non deerant, qui tertium reservationis finem adderent, scilicet *poenalem.* Re ipsa per reservationem delinquentibus imponitur onus comparendi coram iudice superiore, nihilominus affirmari nequit, ecclesiam hoc ipso intendere, ut delinquentes puniantur. In novo *Codice* enim nullum apparet vestigium rationis poenalis, quae reservationibus insit; de utroque alio fine manifesta occurrunt indicia. Ex ipsa enim definitione[2]) apparet finis *disciplinaris;* eo autem quod postulatur, ■■ reservatio diutius in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod vitium exstirpandum et collapsam christianam disciplinam restaurandam

[1]) „Magnopere ad christiani populi *disciplinam* pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non ■ quibusvis, sed ■ summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur." Conc. trid. sess. 14. c. 7.

[2]) Cn. 893, 2.

innuitur finis *medicinalis*[1]), qui etiam ex eo apparet, quod ordinarius curare debet, ut reservationes dioecesanae ad subditorum notitiam deducantur[2]).

358. Modus reservationis. Peccata duplici modo reservari possunt: aut *ratione sui* seu ipsum peccatum, sive censuram adnexam habeat sine non habeat; aut *ratione censurae,* quae peccato adnexa est, censura reservata. Censurae peccatis adnexae duplicis generis sunt, aliae, quae *receptionem sacramenti impediunt,* aliae quae receptionem sacramenti *non impediunt.* In priore casu peccatum reservatum est, sed propter censuram, in altero casu peccatum non est reservatum.

a. In eo casu, quo peccatum solum propter censuram reservatum sit, si quis ab incurrenda censura excusatur, quia e. g. cum gravi metu vel cum ignorantia censurae peccavit, aut a censura absolutus est, peccatum non est reservatum. Quodsi peccatum ratione sui reservatum annexam habet censuram, non contracta vel ablata censura reservatum manet peccatum.

b. Si censura impedit sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius absolutus fuerit a censura. Quodsi censura receptionem sacramentorum non impedit, potest absolvi a peccatis firma manente censura[3]).

c. Casus reservati a rom. *Pontifice,* uno excepto, sunt censurae reservatae. Unicum peccatum ratione sui s. sedi reservatum est falsa denuntiatio sacerdotis de sollicitatione apud iudices ecclesiasticos, quod peccatum insuper adnexam habet censuram. Casus ab *episcopis* reservati fere sunt peccata reservata. Plerique enim episcopi peccata sine censura, pauci unum alterumve peccatum cum censura reservant.

359. Quis peccata reservare possit[4]). Potestas reservandi peccata residet in omnibus, qui iure ordinario potestatem absolvendi concedere aut censuras ferre possunt, excepto Vicario capitulari et Vicario generali, nisi hic

[1]) Cn. 897.

[2]) Cn. 899, 1.

[3]) Cn. 2250, 1. 2.

[4]) *S. Officium* 13. iul. 1916. Hoc decretum ex parte repetit ea, quae iam Benedictus XIV. (De synodo l. 5. c. 5.) memorat, ex parte vero prorsus nova decernit, quocum concordant cn. 893—899.

speciale mandatum habeat: qui enim iurisdictionem aliis conferre possunt, eam etiam limitare possunt, nisi a s. sede prohibeantur. Itaque

1. *Summus pontifex* casus reservare potest pro tota ecclesia; omnes alii superiores ecclesiastici, tum ordinarii tum praelati regulares, quippe qui iurisdictionem a summo pontifice accipiant, in reservandis peccatis ab ipso dependent, adeo ut reservationibus eorum modum et limites praescribere possit.

2. Locorum *ordinarii* casus reservare possunt pro suis dioecesibus; episcopi igitur parochorum quoque iurisdictionem, utpote sibi subiectam, hac ratione restringere possunt.

a. Normae locorum ordinariis a *Benedicto XV.* et in novo *Codice* decretorie seu praeceptive hae statuuntur:

α. Vel in synodo dioecesana rem discutiant vel, si extra synodum fit reservatio, capitulum cathedrale et aliquot ex probatioribus animarum curatoribus dioecesis de reservationis necessitate aut utilitate audiant.

β. Solum tres ad summum quatuor ex gravioribus et atrocioribus externis criminibus specifice determinatis reservent; non peccata mere interna, nec gravia externa, quae ex fragilitate humana, non ex speciali malitia committuntur.

γ. Prorsus abstineant a peccatis sibi reservandis, quae sedi apostolicae iam sunt reservata, et regulariter etiam ab iis, quibus imposita est censura nemini reservata.

δ. Valde parci sint in imponendis iis peccatis, quae sibi reservant, censuris. In delictum autem, quod ob censuram sedi apost. reservatum est, nequeunt aliam censuram sibi reservatam imponere, cn. 2247, 1.

ε. De factis reservationibus apte instruendos curent fideles. Ipsae vero reservationes ne vigeant ultra, quam ad aliquod vitium exstirpandum aut ad christianam disciplinam instaurandam necesse sit.

b. Censent complures auctores reservationem, qua episcopus sibi reservat peccatum, quod a papa iam reservatum sit, illicitam sed validam esse; contra *Suarez*[1]) et *Lugo*[2]) cum plerisque aliis eiusmodi reservationem invalidam dicunt, quorum sententiam tuetur *Ballerini*[3]), quia rei naturae repugnat, ut episcopus sibi reservet peccatum, a quo

[1]) Cf. De poenit. disp. 31. sect. 4. n. 26.
[2]) Cf. De poenit. disp. 20. n. 151.
[3]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 514 ss.

ne ipse quidem absolvere potest, nisi potestate sibi delegata. Hanc sententiam confirmare videtur cn. 898. Possunt ergo confessarii, qui habent potestatem absolvendi a casibus papalibus, ab his absolvere, etsi episcopus eos sibi reservasset.

3. *Superior generalis* religionis exemptae et in monasteriis sui iuris *Abbas* cum proprio cuiusque consilio respectu suorum subditorum. Firma tamen manente dispositione cn. 518, vi cuius confessariis domus concedenda est facultas absolvendi a casibus reservatis, et altera, vi cuius omnes confessarii ab ordinario approbati religiosum absolvere possunt etiam a peccatis et censuris in religione reservatis.

360. Divisio in casus papales et episcopales. Ratione auctoris, a quo reservatio procedit, casus reservati dividuntur in *casus papales,* quos summus pontifex pro universa ecclesia (sibi vel episcopis) reservat, et in *casus episcopales,* quos episcopus pro sua dioecesi sibi reservat.

1. *Casus papales* omnes sunt reservati cum censura et propter censuram, unus etiam ratione sui (n. 358). Casus igitur papales proprie sunt *censurae reservatae,* quarum aliae ordinario modo seu simpliciter, aliae speciali modo, aliae specialissime reservatae sunt[1]).

Haec divisio censurarum desumitur ex ambitu facultatis absolvendi a casibus rom. Pontifici reservatis. Quae enim in *generali* facultate absolvendi continentur, ordinario modo seu simpliciter reservatae dicuntur, quae in *speciali* facultate absolvendi continentur, speciali modo reservatae sunt, et quae solum in *specialissima* facultate absolvendi continentur, specialissime reservatae sunt.

2. *Casus episcopales,* quos *ipsi episcopi* sibi reservant et pro diversitate locorum diversi sunt, ordinarie sine censura reservantur. His accedunt ex *Codice* iur. can. quinque casus, (excommunicationes latae sententiae), qui episcopis

---

[1]) Vide casus papales, quae pro praxi confessionis alicuius momenti sunt in fine libri. Ex *Codice* iuris can. complures novae censurae accesserunt.

a iure communi reservantur. Hi proprie sunt casus papales, nisi episcopi ipsi eos sibi reservent, id quod vix accidet, cum per *Codicem* prohibitum sit.

a. Cum casus a iure episcopis reservati proprie sint casus papales, ab eis absolvere possunt omnes confessarii, qui facultatem habent absolvendi a casibus papalibus; qui potestate absolvendi carent, vel ad episcopum vel ad s. sedem ad obtinendam facultatem recurrant et in casu urgenti poenitentem tractent, ac si alium casum papalem haberet, i. e. eum directe absolvant cum onere recipiendi mandata.

b. Disputant, utrum in casibus proprie episcopalibus cum censura reservatis principaliter reservatum sit peccatum [illegible] censura. Verum certe probabilis est sententia, quae nullum in hac re statuens discrimen inter censuram papalem et episcopalem docet, etiam in casibus episcopalibus principaliter et per se reservari censuram, quia in iure nullum reperitur discriminis fundamentum, nisi episcopus mentem suam explicite significaverit. Momentum practicum huius sententiae in eo est, quod is, qui censuram [illegible] incurrit, neque reservationem incurrit, ut supra de casibus papalibus dictum est[1]).

361. Condiciones ad reservationem requisitae. Ex consuetudine ecclesiae quinque *condiciones* requiruntur, ut peccatum censeri possit reservatum:

1. *Ut sit formale* in ea malitiae specie, ob quam reservatur: si enim haec malitiae species prorsus incognita erat, peccatum *sub hac ratione* mere materiale est.

Finge incestum in primo et secundo consanguinitatis gradu esse peccatum reservatum. Si quis ergo confitetur [illegible] cum consanguinea (in secundo gradu) peccasse, sed nescivisse personam esse consanguineam vel incestum specie differre [illegible] fornicatione, peccatum reservatum non commisit. In praxi tamen haec posterior ignorantia non est facile admittenda: nam etiam rudes saltem in confuso apprehendunt, non idem esse fornicari [illegible] consanguinea et cum extranea; confusa autem cognitio ad incurrendum casum sufficit.

2. *Ut sit externum,* etsi occultum; peccata enim mere interna non solent reservari (n. 356).

3. *Ut sit mortale* non solum ratione obiecti, sed etiam ratione actus tum *interni* tum *externi;* hinc cessat reser-

---

[1]) Cf. *D' Annibale,* Summula I. n. 340. *Ballerini-Palmieri* V. n. 476. *Génicot* II. n. 344.

vatio, si peccatum vel ob parvitatem materiae vel ob imperfectionem actus redditur veniale.

Reservatio praecipue cadit in actum *externum*, qui proinde *graviter* malus [illegible] debet. Si ergo actus externus esset levis, peccatum non esset reservatum, etsi actus internus esset gravis, ut si quis intentione graviter percutiendi clericum leviter tantum tangeret.

4. *Ut sit opere consummatum*, quo significatur peccatum debere esse in sua specie perfectum; non solum attentatum sed consummatum cum consecutione effectus, nisi lex reservans etiam actum imperfectum reservatum velit.

Si ergo reservatum sit adulterium vel incestus, peccatum [illegible] est reservatum, nisi intercesserit copula perfecta, et si reservatum sit homicidium ad incurrendam reservationem non sufficit inflixisse vulnus vel dedisse venenum, sed requiritur, ut ipsa [illegible] secuta sit.

5. *Ut sit certum*, non solum dubium; dubium autem intelligitur tum dubium *iuris:* [illegible] lex reservans se extendat etiam ad hunc casum; tum dubium *facti:* [illegible] peccatum revera commissum sit, an grave sit, an commissum sit cum condicionibus, sub quibus reservatum est.

Scilicet in dubio reservatio (censura) contrahitur vel non contrahitur pro veritate facti. Iam vero eiusmodi reservatio (censura), [illegible] reipsa contrahitur, ex usu ecclesiae a quolibet confessario auferri potest. Hinc si postea innotescat peccatum certo fuisse reservatum, [illegible] debet denuo accusari, quia iam fuit directe absolutum.

Nota. Horum omnium ratio est, quia reservatio est [illegible] odiosa tum confessariis, quorum iurisdictionem restringit, tum poenitentibus, quibus confessionem reddit difficiliorem, ideoque *strictae interpretationis* est [illegible] extendenda ad actus dubios atque imperfectos, Cn. 2246, 2.

362. De ignorantia reservationis vel poenae. *Num incurratur reservatio vel poena ab eo, qui illas ignorat.*

1. *De casibus episcopalibus.* *a.* Casus episcopales sine censura reservati incurruntur etiam ab eo, qui reservationem ignorat.

Reservationes, quae rationem poenae habent, ignorantes non incurrunt; cum reservationes episcopales sint disciplinares [illegible] medicinales tantum, nihil impedit, quominus dicatur, etiam ignorantes easdem incurrere.

b. De casibus episcopalibus cum censura reservatis idem valet, quod de casibus papalibus mox dicetur.

2. *De casibus papalibus*[1]). *a.* Si lex habet verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* vel similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, a censura incurrenda *excusat* quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis.

b. Ignorantia affectata sive legis sive solius poenae a censura *non excusat,* etsi lex verba praedicta contineat.

c. Ignorantia crassa vel supina legis, quae verba praedicta non habet, vel etiam solius poenae ignorantia a censura *non excusat.*

d. Ignorantia simplex seu non crassa *excusat* a poenis *medicinalibus* non autem a *vindicativis.*

e. Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis non excusant, nisi imputabilitas adeo sit imminuta, ut actio non amplius sit grave peccatum.

f. Metus gravis non excusat a poenis latae sententiae, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum.

Articulus secundus.

De absolutione a casibus reservatis.

Quoad absolutionem a *casibus papalibus* decretum *s. Officii* 23. iun. 1886 ius plane novum constituit, quod novo *Codice* cn. 2254 denuo stabilitur atque accuratius declaratur. Aliud tamen dicendum est de casibus episcopalibus, quae censurae non sunt; quare de utraque absolutione seorsim agendum est.

§ 1. De absolutiones a casibus episcopalibus.

De hac re notandum est recens s. sedis decretum, quod tamen non agit nisi de peccatis, quae episcopi sibi reservant, non item de casibus a iure episcopis reservatis, nec reservationes superiorum regularium ullo modo attingit. Accedit *Codex* iuris canici[2]).

[1]) Cn. 2229.

[2]) *S. Officium* 13. iul. 1916. Cn. 899. 900.

363. Quinam absolvere possint[1]. 1. *Potestate ordinaria* seu ipso iure a casibus episcopalibus absolvere potest:

a. Ipse reservans, eius in munere successor, eius superior, qui in reservantis subditos iurisdictionem habet, vicarius generalis ac tandem canonicus poenitentiarius etiam ecclesiae collegiatae.

b. Parochus et qui nomine parochi in iure censentur toto tempore paschalis praecepti.

c. Missionarii (non item alii confessarii), quo tempore missionem ad populum habent.

2. *Potestate delegata:*

a. Vicarii foranei (decani), quibus ordinarius facultatem concedere debet cum potestate *subdelegandi,* praesertim in locis dissitis a sede episcopali, confessarios sui districtus, quoties hi pro urgentiore et determinato casu ad eos recurrunt.

b. Omnes, quibus ordinarius potestatem delegatam concesserit, quam tamen non cuivis et passim impertiat.

364. Quando cesset reservatio. 1. *Reservatio ipso iure cessat:*

a. In confessione *aegrotorum,* qui domo egredi non possunt.

b. In confessione *sponsorum,* qui matrimonii ineundi causa confitentur.

c. Si superior petitam facultatem absolvendi pro determinato aliquo casu *negaverit.*

Iam pridem statuum fuerat, si *superior regularis* confessario petenti neget facultatem absolvendi a casu in suo ordine reservato, confessarius absolvere potest, nisi scandalum vel damnum commune timeatur, quod removeri non possit, re superiori non manifestata[2].

d. Si ex prudenti iudicio confessarii facultas a superiore *peti non potest* sine gravi incommodo poenitentis aut sine periculo violandi sigillum.

---

[1]) Cn. 899. 900.

[2]) Ita statuit *Clemens VIII.* ut testatur *Urbanus VIII.* constitutione *Sanctissimus* 21. sept. 1624. Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 456.

Grave poenitentis incommodum adesse censetur: α. si poenitens alias scandalum daret; β. si incurreret infamiam; γ. si alias diu manere deberet in mortali et hoc ei durum esset; δ. si urget praeceptum communionis paschalis vel in sacerdote necessitas celebrandi.

e. Extra territorium reservantis, etsi poenitens solum ad obtinendam absolutionem ex eo discesserit.

Peregrini ergo a peccatis et censuris in propria dioecesi reservatis a quovis confessario directe absolvi possunt, non item a peecatis et censuris in dioecesi, in qua confitentur. reservatis, ubi tractantur ut incolae loci.

f. In periculo mortis. Vide n. 366, 5.

2. Reservatio *per absolutionem* cessat:

a. Per absolutionem validam ab eo datam, qui ordinariam vel delegatam potestatem habet absolvendi a peccatis reservatis.

A peccatis ergo reservatis, a quibus poenitens iam semel directe absolutus est, quilibet confessarius absolvere potest, si ea iterum clavibus subiiciantur.

b. Per confessionem etiam *invalidam* vel sacrilegam apud confessarium habentem potestatem in reservata, *in qua accusatur reservatum:* legitimus enim superior de peccato reservato iam iudicavit et poenitens congruam poenitentiam iam accepit, quam quidem in hoc casu adimplere tenetur, etsi confessio fuerit nulla.

c. Per confessionem *validam* apud confessarium habentem potestatem in reservata, in qua reservatum ex oblivione *non accusatur:* haec sententia probabilis et proinde practice tuta est.

Huius sententiae ratio est haec: per absolutionem indirectam auferri potest reservatio, si confessarius debita potestate instructus id velit; sed praesumendum est confessarium velle poenitentem rite dispositum a reservatione liberare, cum eum iuvare velit, quantum potest *(in quantum possum et tu indiges).* Quapropter poenitens postea ab illo peccato, quod aeque atque in priore casu materia necessaria confessionis manet, a simplici confessario rite absolvi potest[1]).

[1]) Certum est *tempore iubilaei* a reservationibus et censuris etiam eos liberari, qui peccatum reservatum vel censura innodatum ex oblivione non confitentur. In hoc enim casu certo conceditur facultas absolvendi, etsi peccatum non accusetur, quia omnibus conceditur privi-

d. Per confessionem peccati *dubie reservati* apud simplicem confessarium, etiamsi postea cognoscatur certe reservatum esse: hoc enim peccatum iam directe remissum est ecclesia iurisdictionem supplente.

Quid agendum sit, si confessarius simplex ex inadvertentia vel ignorantia a casu reservato absolvat:

a. Si a *censura* et peccato *papae* reservatis absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine vel censura specialissimo modo reservata[1]).

b. Si a *casu episcopali* absolvat, ad statuta dioecesis attendat: in multis enim dioecesibus in hoc casu iurisdictio confertur confessario, ut poenitentem in bona fide exsistentem directe absolvere possit. Quodsi nil huiusmodi statutum sit:

α. *Poenitens,* qui postea cognoscit a peccato reservato indirecte tantum absolutum esse, aut ad confessarium redeat eumque roget, ut facultatem absolvendi sibi comparet, aut alium confessarium habentem potestatem in reservata adeat et peccatum indirecte tantum remissum iterum confiteatur.

β. *Confessarius* admoneat poenitentem de errore commisso, si facile fieri potest, e. g. si ad confessionem redeat, ut error ille reparetur. Vel melius petat statim facultatem ab illo peccato absolvendi et curet, ut poenitens iterum ad confessionem redeat et de illo peccato saltem in genere se accuset eumque, etiam de errore non monitum, absolvat. Quodsi poenitentem nec facile admonere nec absolvere potest, eum in bona fidei relinquat.

365. Pro praxi. 1. Si poenitens affert casum reservatum statim antequam ulteriora accuset, examinandus est, num satis deliberate ideoque mortaliter peccaverit, num adsint condiciones ad incurrendam reservationem requisitae et, si opus sit, num sciverit peccatum esse reservatum. Quodsi constat peccatum esse reservatum, poenitenti dicendum est, ut Superiorem vel confessarium privilegiatum adeat, aut, si id renuat, post paucos dies redeat ad obtinendam absolutionem, ad quam conferendam confessarius interim potestatem necessariam sibi procurabit.

---

legium absolvendi, ut poenitentes omnes a suis reservationibus et censuris liberentur, dummodo opera ad lucrandam iubilaeum praescripta rite impleverint (n. 332).

[1]) Cn. 2247, 3.

2. Si poenitens promittit se rediturum esse ad eundem confessarium, confessio interrupta complenda est, ne repeti debeant iam accusata. Sufficit, ut rediens ad absolutionem obtinendam in genere se accuset de iis, quae prius iam confessus est.

3. Ordinarie consultum est, ut confessarius ipse a legitimo superiore facultatem absolvendi sibi procuret et poenitentem ab onere aut adeundi habentem potestatem aut scribendi ad superiorem liberet[1]).

4. Sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit confessiones audire, ipso facto suspensus est a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere praesumpserit, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus[2]).

5. Confessarius sine debita facultate absolvere praesumens ab excommunicatione latae sententiae sedi apostolicae specialissimo vel speciali modo reservatae, ipso facto excommunicationem sedi apostolicae simpliciter reservatam incurrit[3]).

§ 2. De absolutione a casibus papalibus.

366. Quinam absolvere possint. 1. *Summus pontifex* et poenitentiarius maior.

2. *Cardinales* ubique terrarum ab omnibus peccatis et censuris reservatis absolvere possunt, exceptis censuris specialissime reservatis et adnexis revelationi secreti s. Officii[4]).

3. *Confessarius,* quem Cardinalis vel Episcopus sibi suisque familiaribus elegerit, etiamsi iurisdictione careat, quam ipso iure obtinet, etiam quoad censuras reservatas, exceptis specialissime reservatis[5]).

4. *Ordinarii* per se vel per alium absolvere possunt: *a.* ab omnibus *casibus occultis* iure communi simpliciter, non autem speciali vel specialissimo modo reservatis; *b.* a

---

[1]) Forma scribendi, qua petitur facultas absolvendi a casu reservato. *Reverendissime ac Illustrissime Domine. — Titius incidit in casum in nostra dioecesi reservatum sub n. IV. (vel: in excommunicationem papae speciali modo reservatam sub n. 2.). Cum ipsum facti poeniteat, humiliter petit absolutionem.*

Rescriptum benigne dirigatur ad me confessarium infrascriptum servum humillimum N. N. in N. N.

[2]) Cn. 2366.

[3]) Cn. 2338.

[4]) Cn. 239, 1.

[5]) Cn. 349, 1 coll. cn. 339, 1.

casibus publicis iure communi statutis, non autem a casibus sedi apostolicae reservatis vel ad forum contentiosum deductis[1]).

Plerique tamen episcopi ex specialibus indultis s. sedis ampliores habent facultates absolvendi etiam a casibus publicis reservatis, adeo ut confessarii, qui indigent facultate absolvendi ab aliquo casu papali, fere semper ab ordinario accipere possint.

5. *Omnes sacerdotes* in *periculo mortis* constitutos absolvere possunt ab omnibus prorsus peccatis et censuris, quia in periculo mortis nulla est reservatio.

Notandum est infirmos, qui convaluerint, sub poena reincidentiae in eandem censuram in hoc duplici casu vel per se vel per confessarium recurrere debere: *a.* si absoluti fuerint a censura ab homine lata ad eum, qui censuram tulit, *b.* si absoluti fuerint a censura specialissime reservata, ad Poenitentiariam vel episcopum vel alium facultatem habentem[2]).

6. *In casibus urgentioribus*, si nempe censura exterius servari non possit sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu peccati permanere per tempus necessarium, ut superior competens provideat, quilibet confessarius ab omnibus casibus papalibus absolvere potest, iniuncta tamen obligatione *recurrendi* et *standi mandatis*[3]).

a. De casu urgentiore iudicare debet confessarius; quodsi eius iudicium vel ex culpabili imprudentia vel ex levitate erret, absolutio quidem valida est, ipse vero graviter peccare potest: *eius namque conscientia in hac re oneratur*, ut habet decretum pontificium.

b. In casu vere urgenti absolutio concedi potest ab *omnibus casibus papalibus* cum censura reservatis, ne illis quidem exceptis, qui specialissimo modo reservati dicuntur. Et absolutio quidem, secus atque in casibus episcopalibus accidit, ex declaratione s. sedis *directa* est[4]).

c. Recursus faciendus est, si sine gravi incommodo fieri potest: α. sub poena reincidentiae in eandem censuram, β. intra mensem, γ. saltem per epistolam vel per confessarium, etiam diversum ab eo, qui eum absolvit, δ. reticito nomine ad Poenitentiariam vel ad episcopum vel ad alium superiorem facultate praeditum.

d. Licet poenitenti, etiam post acceptam absolutionem et facto iam recursu ad superiorem, alium adire confessarium facultate prae-

---

[1]) Cn. 2237.
[2]) Cn. 2252.
[3]) *S. Officium* 23. iun. 1886. Cn. 2254.
[4]) *S. Officium* 19. aug. 1891.

ditum et ab eo, repetita confessione saltem delicti cum censura, absolutionem atque mandata recipere. Quodsi haec obtinuit et mandatis stetit, non tenetur postea stare mandatis alterius superioris, ad quem recursum fecerat.

e. Si in *casu* aliquo *extraordinario* recursus sit moraliter impossibilis, ipse confessarius excepta censura propter absolutionem complicis contracta, potest absolvere *sine onere,* iniunctis tamen de iure iniungendis et imposita poenitentia et satisfactione pro censura, quas si poenitens intra tempus a confessario praefinitum non implevit, recidit in censuram. Eiusmodi casus extraordinarius facile accidere potest in missionibus vel exercitiis, si confessarius extraneus proficisci debet, antequam exspectari possit responsum superioris et poenitens aut propter imperitiam aut ob aliam causam scribere nequit et durum ei sit adire alium confessarium.

f. Quando confessarius poenitentem in casu vere urgenti iuxta decretum s. Officii 23. iun. 1886 a censura absolvit, potest eundem etiam ab occulta irregularitate dispensare, quae ipsam censuram sequitur[1]).

Nota. Si confessarius ignorans reservationem a censura et peccato absolvat, absolutio valida est, nisi sit censura sedi apostolicae specialissimo modo reservata.

367. Pro praxi. 1. Si poenitens confitetur peccatum summo pontifici reservatum, confessarius, antequam ulteriora audiat, mox investiget, num poenitens casum reipsa incurrerit. Quodsi de reservatione constat, poenitenti optionem proponat aut adeundi, si adsit, confessarium privilegiatum, aut post aliquod tempus redeundi; interim vero ipse confessarius potestatem absolvendi sibi procuret.

2. In casu urgenti, in quo absolutio sine poenitentis gravi incommodo differri nequeat, confessarius declaret poenitenti se absolutionem sub his condicionibus concedere posse: *a.* ut post aliquod tempus redeat (si opus fuerit, poenitentem moneat de reincidentia in eandem censuram, ubi non redeat); *b.* ut paratus sit implere mandata a s. sede iniungenda. Si poenitens haec promittat, confessarius completa confessione et iniuncta poenitentia eum absolvat.

3. Si poenitens mandata iniuncta non implet, peccat quidem, at non contrahit denuo censuram, quia solus recursus sub poena reincidentiae praecipitur; sed si non redeat ad recipienda mandata, denuo censuram contrahit, dummodo [redacted] gravi culpa reditum omiserit, quia recursus sub poena reincidentiae praescriptus, qui fit per medium confessarii, tum demum perficitur et completur, quando recipiuntur mandata.

4. Rarus erit casus, in quo ipse poenitens recurrere possit et velit: quare confessarius ad s. Poenitentiariam vel ad episcopum

[1]) *S. Officium* 28. mart. 1906; 6. sept. 1909. Cn. 990, 2.

scribat eumque de absolutione a censura in casu urgenti concessa doceat et petat mandata[1]).

5. Si confessarius, qui ex causa urgenti absolvit sacerdotem habentem censuram propter absolutionem proprii complicis, ad s. Poenitentiariam recurrit ad accipienda mandata, haec solet imponere gravem poenitentiam et expressam prohibitionem ulterius excipiendi sacramentales confessiones personae complicis. Quodsi sacerdos poenitens ter (ter eundem vel tres diversos semel absolvendo) aut saepius crimen absolutionis complicis admisit, obligatio imponitur quamprimum, et si hoc fieri non possit, saltem intra tres menses, si parochus fuerit, intra sex menses, officium confessarii dimittendi. Si vero ratione muneris hoc officium dimittere non possit, confessarius expositis circumstantiis ad s. Poenitentiariam recurrat ad impetrandam dispensationem ab obligatione iniuncta. Quo facto ordinarie terminus dimittendi officii ad annum prorogatur ac tandem, nisi acciderit relapsus, conceditur petita dispensatio, adeo ut sacerdos munus confessarii retinere possit. — Necessitati iteratis vicibus recurrendi provideri potest, eo quod iam prima vice exponantur causae, ob quas dimissio officii confessarii sit impossibilis. — Quodsi sacerdos poenitens in causa urgenti absolutus solum mandatis s. Poenitentiariae adhuc indigeat, et confessarius, qui sacerdotem absolverat, cum eo personaliter convenire nequeat, eo quod iam discessit (e. g. absolutis exercitiis spiritualibus), confessarius roget s. Poenitentiariam, ut mandata cum sacerdote poenitente extra confessionem communicare possit[2]).

---

[1]) Formula scribendi ad s. Poenitentiariam: Eminentissime Princeps. Titius contraxit censuram speciali (ordinario) modo romano pontifici reservatam propter lectionem librorum prohibitorum (propter patratum duellum). Cum ipse nec ad confessarium privilegiatum accedere nec sine absolutione dimitti potuerit et ceteroquin rite dispositus videretur, absolutionem recepit. Nunc vero ad oboediendum ecclesiae praescriptis hisce litteris per me infrascriptum confessarium ad s. Sedem recurrit ad accipienda mandata, paratus implere poenitentiam, quam in poenam delicti E. V. praescribere dignabitur.

N. die . . mensis . . a . . N. N, parochus.

Exterior inscriptio litterarum: *Eminentissimo Principi Cardinali Poenitentiario Maiori.* Palazzo della Cancelleria Apostolica. *Roma.*

[2]) Formula petendi mandata pro sacerdote, qui ex causa urgenti a crimine absolutionis complicis directe absolutus est. Beatissime Pater. Antonius sacerdos, parochus, cum Anna uxore (vel puella) his actibus . . . peccavit eamque in confessione . . . . (quoties) absolvit. — Nunc exercitia peragens poenitentia ductus rem confessus est; verum cum absolutio differri non potuerit (est enim in cura animarum constitutus etc.) directe absolutus est, quare pro eo mandata peto. Ipse quidem ad

6. *Tres* complicis absolutiones non sunt computandae ab ultima confessione tantum, sed ab initio vitae sacerdotalis, ita ut is, qui e. gr. antea bis iam fuerat absolutus ab excommunicatione, quia complicem absolvit, nunc non possit absolvi nisi cum onere dimittendi officium confessarii, si ab ultima confessione semel complicem absolvit[1]).

368. *Num habens reservata in necessitate celebrandi vel communicandi teneatur confiteri confessario simplici alio deficiente.*

a. Si habet *reservata papalia,* ad confessionem tenetur: cum enim nunc omnibus confessariis facta sit potestas in casibus urgentioribus directe absolvendi ab omnibus peccatis et censuris romano pontifici quomodocunque reservatis, nulla amplius exsistit causa excusans a confessione ante sacrum vel communionem simplici confessario integre facienda.

b. Si agitur de *reservatis episcopalibus,* a quibus in casu urgenti absolvere non potest, distinguendum est:

α. Si *non habeat nisi reservata,* non tenetur confiteri, quia non habet materiam confessionis necessariam, quae directe remitti possit.

Potest igitur *urgente necessitate* cum sola contritione celebrare aut communicare. Si tamen advertat se habere solam attritionem, confiteri tenetur aliquod veniale aut mortale iam remissum, ut saltem indirecte a reservatis absolvatur. Atque hoc idem facere potest, etiamsi contritionem se habere existimet, ut securius statum gratiae sibi procuret. Necessitate autem *non urgente* aut a sacro abstinere aut veniale vel mortale iam remissum confiteri debet.

β. Si *habet reservata et mortalia non reservata,* confiteri tenetur, quia urget praeceptum praemittendi confes-

---

omnem poenam paratus est, sed officium confessarii et parochi demittere non potest ob has causas. . . . — Omnis occasio iterum peccandi remota est, insuper promisit, se numquam confessiones complicis excepturum esse. — Ad me ad poenitentiam excipiendam in confessionale redire potest (vel non potest ob has rationes. . . . Quare suppliciter peto, ut mihi liceat per litteras eum de poenitentia iniuncta certiorem facere). Responsio dirigatur quaeso ad me N. N. Confessarium in N. N. Sacrae Poenitentiariae exterior inscriptio: Roma Vaticano.

[1]) *S. Poenitentiaria* 5. iun. 1901.

sionem ante communionem nec ulla exsistit legitima excusatio. Non tenetur tamen confiteri etiam peccata reservata, sed sufficit, ut non reservata declaret, tum quia per se nulla est obligatio confitendi peccata, a quibus directe non potest absolvi, tum quia alias teneretur bis confiteri eadem peccata.

Haec sententia, quae sacerdotem habentem peccata reservata et alia mortalia non reservata ad confessionem obligat, non est omnibus certa, etsi contraria videatur carere probabili argumento[1]).

Articulus tertius.

De absolutione proprii complicis[2]).

Celebris est constitutio Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae* (1. iun. 1741), ad quam declarandam idem pontifex postea (8. febr. 1745) novam edidit constitutionem *Apostolici muneris* et a. 1749 tertiam *Inter praeteritos*. Tria potissimum constitutio illa continet: de sollicitatione in confessione, de calumniosa denuntiatione confessarii ut sollicitantis et de absolutione complicis. Ea, quae in his constitutionibus continentur, non solum statuuntur ad puniendos delinquentes, sed potissimum ad procurandam dignam sacramenti poenitentiae administrationem: summa enim indecentia in eo reperitur, quod sacerdos excipiat confessionem personae, quacum turpe peccatum commisit, et ita iudicem agat in crimine, cuius ipse est particeps; et summa pariter in eo continetur indecentia, quod ulterius confessiones excipiat sacerdos in confessione sollicitans, quippe qui in ruinam spiritualem coniiciat, quem a peccato absolvere et praeservare deberet. Tandem s. pontifex intendit etiam removere peccandi pericula: nova enim tentatio et iteratum delictum in confessario sollicitante vel complicem absolvente semper timeri debet.

369. Declarationes. 1. *Complex* dicitur, qui cum alio idem peccatum (turpe) committit, sive uterque operatur ut in mutuis tactibus, colloquiis, sive unus tantum

---

[1]) Cf. *Lugo*, De eucharistia disp. 14. n. 84 ss.

[2]) *Aem. Berardi*, De sollicitatione et absolutione complicis[2] (Faventiae. Novelli. 1897). *Ian. Bucceroni*, Commentarius in constitutionem Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae*[2] (Romae. Typogr. prop. fid. 1888).

operatur e. g. alium tangit et hic consentit et consensum exterius manifestat. Consensum autem exterius iam manifestare censetur, qui externe non resistit.

a. Hinc non habetur proprie *complicitas,* si sacerdos peccet cum dormiente, ebria, amente, invita: lex enim loquitur de complicitate *formali,* ad quam utriusque partis in idem peccatum consensus requiritur.

b. Ad incurrendum casum complicitatis requiritur complicitas *immediata* in ipsa actione turpi, non sufficit cooperatio quantumvis proxima ad peccatum turpe alterius.

2. *Persona complex* intelligitur quaelibet, quacum sacerdos peccatum turpe commisit, tam femina quam vir vel puer, licet nondum puber, immo etiam persona, quacum sacerdos ante susceptum sacerdotium peccavit[1]): dicit enim bulla: *quaecunque sit persona complex.*

3. Nomine *peccati turpis* comprehenditur quodvis peccatum contra sextum praeceptum, etsi non sit copula consummatum, immo licet sit solus tactus turpis aut aspectus aut colloquium inhonestum[2]). Requiritur autem, ut peccatum sit ex *utraque parte certum, externum* et *grave* tum ratione actus interni tum ratione externi.

Hinc non habetur illa complicitas, de qua loquitur constitutio pontificia, si peccata sunt solum *interna,* aut solum *venialia* sive interne sive externe, aut solum *dubia* sive dubio iuris sive dubio facti.

370. De vetita absolutione proprii complicis. 1. Absolutio complicis in peccato turpi non solum graviter illicita sed etiam *invalida* est, excepto periculo mortis[1]).

a. Citatus canon non immutat ea, quae in bulla *Sacram. poen.* de hac re continentur. Privatur ergo confessarius iurisdictione in turpe complicitatis peccatum, non etiam in alia eiusdem poenitentis peccata. Si ergo poenitens apud confessarium complicem confitetur alia peccata directe, complicitatis peccata indirecte remittuntur, modo poenitens rite dispositus sit.

---

[1]) *S. Poenitent.* 22. ian. 1879.
[2]) *S. Officium* 18. maii 1873.
[3]) Cn. 884.

b. Utrum sacerdos complex in suum complicem quoad peccatum complicitatis iurisdictione *in perpetuum* careat, an solum donec hoc peccatum directe remissum sit, non constat. Dixerim confessarium complicem absolvere posse poenitentem complicem non solum ab aliis peccatis sed etiam a peccato complicitatis, postquam hoc iam semel directe remissum est. In hunc sensum plerique auctores bullam *Sacrament. poen.* explicarunt.

c. Si *sacerdos* complex suum complicem *bona fide* absolvit, sive quia ignorat se carere iurisdictione, sive quia non advertit poenitentem esse suum complicem, absolutio invalida est, quia nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat[1]).

d. Si poenitens complex, qui a sacerdote complice absolvitur, *bona fide* est; item si complicitatis peccatum *non declarat*, alia peccata directe, complicitatis peccata indirecte remittuntur.

2. Confessarius complex *a.* qui absolvit vel absolvere fingit complicem in peccato turpi, incurrit ipso facto *excommunicationem* sedi apostolicae *specialissime reservatam;*

b. Eandem incurrit etiam complicem absolvens vel absolvere fingens *in articulo mortis,* si alius sacerdos, licet non approbatus, sine gravi infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recusat alii confiteri;

c. Eam tandem incurrit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum complicitatis, a quo nondum est absolutus, *non confitetur,* sed ideo ita se gerit, quia ad id a confessario complice, sive directe sive indirecte, inductus est[2]).

Nota. Monendus est confessarius complex, ne unquam extra necessitatem complicis sui confessionem excipiat; si tamen hic ei con-

---

[1]) Cn. 16, **1.**

[2]) Cn. 2367, 1. **2.** Excommunicatio explicatur in libello *De Poenis ecclesiasticis.* Poenitens vero complex nullam poenam incurrit nec peccatum eius iure communi reservatum est.

fiteatur, postquam ab alio a complicitatis peccato iam fuerat absolutus, valide, quin etiam licite absolvitur, nisi iure particulari dioecesis vel a S. Poenitentiaria id ei prohibitum sit.

371. Quando sacerdos proprium complicem valide et licite absolvere possit:

a. In articulo vel periculo mortis: α. si nullus alius adest vel vocari potest sacerdos, ne quidem simplex; β. si alius moribundi confessionem audire recusat; γ. si moribundus alteri confiteri recusat, adeo ut timenda sit confessio sacrilega; δ. si alius sacerdos vocari non potest sine gravi scandalo vel infamia sacerdotis complicis[1]).

Id constat ex bulla s. pontificis, qui sacerdoti complici iurisdictionem confert, ne *moribundus pereat.* Tenetur tamen sacerdos complex in hoc casu periculum scandali vel infamiae antevertere, si possit, e. g. sub aliquo praetextu abscedendo; quod si facere omittat, etsi possit, vel si periculum scandali vel infamiae confingat, ubi non est, valide quidem absolvit, ne moribundus pereat, at illicite agit et censuram incurrit.

b. In gravissima necessitate. Etsi summus pontifex ipso iure solam extremam necessitatem excipiat, per epikiam tamen etiam in gravissima necessitate sacerdos suum complicem absolvere potest. Vix enim credibile est summum pontificem voluisse, ut lex ista, licet prohibens et irritans, etiam in eiusmodi adiunctis obliget; quam ob rem in casibus gravissimae necessitatis lex exceptionem pati recte dicitur[2]).

a. Hunc casum gravissimae necessitatis fingunt auctores: mulier in peccatum turpe cum sacerdote lapsa est et nullum alium sacerdotem ibi habet, apud quem confiteatur, ea vero sunt personae, loci etc. adiuncta, ut ad quaerendum confessarium alio divertere non possit nec spes affulgeat (id quod contingere potest in locis missionum) alium sacerdotem unquam illuc adventurum[3]); vel hunc alium urget prae-

---

[1]) Cn. 2367.

[2]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 587.

[3]) Ceterum in casu gravissimae necessitatis confessarius potest petere facultatem absolvendi complicem, neque necesse est, ut se prodat: potest enim facultatem tecto nomine petere et obtenta facultate uti. *Bucceroni* n. 49.

ceptum annuae confessionis et communionis; mulier complex omittere non potest susceptionem sacramentorum sine gravi scandalo et infamia, sed non adest alius confessarius, nec mulier in alium locum migrare potest ad quaerendum confessarium.

b. Haec exceptio eo facilius concedenda erit, quod lex humana, etsi irritans, collidat non solum cum lege naturali cavendi scandalum et cum iure naturali cavendi infamiam, sed etiam cum lege divina praecipiente s. communionem aliquoties sumendam; insuper quod alias mulier per longissimum tempus, immo forte per totam vitam usque ad mortem beneficio absolutionis carere debeat, id quod mente ecclesiae omnino alienum est.

Articulus quartus.

De sollicitatione in confessione.

372. Fontes. Huc pertinet imprimis bulla Gregorii XV. *Universi gregis* (30. aug. 1622), quae leges particulares iam antea hac de re pro Hispaniis latas ad universum orbem extendit. Postea (11. febr. 1661) edita sunt sexdecim decreta *s. Officii*[1]), quibus constitutiones pontificiae declarantur. His decretis accedunt duae propositiones (6. 7) ab *Alexandro VII.* damnatae. Haec omnia confirmavit Benedictus XIV. constitutione *Sacramentum poenitentiae.* Tandem 20. febr. 1867. *s. Officium* instructionem dedit ad omnes archiepiscopos et episcopos de observatione constitutionis benedictinae et 20. iul. 1890 instructionem de examine, cui subiicienda sit persona sollicitata.

b. Constitutio benedictina haec habet: Confessarii, *qui aliquem poenitentem vel in actu sacramentalis confessionis vel ante vel immediate post confessionem vel occasione aut praetextu confessionis vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis sive signis sive nutibus sive tactu sive per scripturam aut tunc aut postea legendam tentaverint aut cum eo illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint,* denuntiandi sunt locorum ordinariis.

373. De ipsa sollicitatione. 1. *Sollicitare* ad turpia dicitur, qui alium directe ad peccatum contra sextum

[1]) Conferri possunt apud *Lehmkuhl* II. n. 975 (n. 1253).

decalogi praeceptum inducere conatur. Qui ergo aliqua qualicunque actione sive per se inhonesta sive per se indifferenti, sed turpem affectum ostendente, in altero turpem affectum excitare tentat seu intendit, ad turpia sollicitare dicitur.

a. Si igitur sollicitatio fit *per verba,* advertendum est, num verba vel per se vel ex adiunctis turpem affectum significent et ad turpem affectum provocent.

α. Ideo ex sententia *s. Alphonsi* (n. 704) sollicitationem continent haec verba: *tecum nuberem, si essem saecularis;* econtra haec verba: *memento mei, quia te ex corde diligo* aut turpem aut etiam alium indifferentem sensum habere possunt, quare ex adiunctis de illis iudicium ferendum est: etenim si constaret confessarium extra confessionem turpem amorem erga illam personam fovere, sollicitationem continerent.

β. Si confessarius poenitenti iniungat, ut ipsum domi exspectet, vel si eam interroget, ubi habitet, vel si invitet, ut sola in domum confessarii veniat, verba per se sunt indifferentia; si autem postea ex adiunctis cognoscantur dicta ex prava intentione, inchoatam sollicitationem continent. Ut tamen eiusmodi verba de turpi sollicitatione damnanda sint, requiritur, ut praeter inhonestam nulla alia prudenter supponi possit causa, propter quam a confessario dicta sint.

γ. Si confessarius mulierem in confessione *laudet de pulchritudine* et venustate, verba vel serio et prudenter e. g. ad monendam poenitentem de periculo peccandi, vel ex imprudentia et levitate, vel tandem ex prava intentione prolata esse possunt; patet, solum si affectum libidinosum redolent et hoc clare apparet, eiusmodi verba continere sollicitationem.

δ. Si confessarius audiens famulae confessionem coram ipsa *laudat dominae pulchritudinem* commendans, ut haec dominae referat, de his aeque atque in priore casu iudicandum est; recte tamen addit *s. Alphonsus* (n. 703), facilius hanc laudem accipiendam esse in pravum sensum, quia prudenter vix potest fingi huius rei alia ratio.

b. Si confessarius *facto* sollicitat, e. g. eo quod tactus leviter inhonestos committit, vel poenitenti in confessione donum largitur, res secundum eandem normam diiudicanda est: cum enim actus in se sint indifferentes vel leviter tantum peccaminosi, ex adiunctis desumi debet, num prava sollicitandi atque ad ulteriora progrediendi intentio adfuerit.

Eiusmodi adiuncta sunt, si sacerdos notus sit vir ad libidinem pronus, si tactus sint pressi vel saepius repetiti, si postea secutum sit peccatum etc.

c. Is quoque sollicitare dicitur, qui cum poenitente *inhonestos sermones vel tractatus habet,* qui ergo cum poenitente colloquia turpia miscet, sive agitur de re prava agenda *(tractatus)* sive solum turpia colloquia cum eo habet *(sermones),* ut si poenitentem de actione turpi se accusantem interroget, num in iis versari placeat, quos actus exerceat etc.[1]).

2. Sacerdos, qui personam quamcunque in confessione sollicitaverit, *denuntiandus est* ordinario.

Huius praecepti ratio est, quia sacerdos, qui sacramento poenitentiae abuti ad tantum crimen non veretur, suspectus est de haeresi; qui autem de haeresi suspectus est, ex antiquis legibus denuntiari debebat inquisitoribus et haeresim abiurare cogebatur. Ceterum sollicitatio est *gravissimum peccatum* non solum contra castitatem, sed etiam contra religionem, et si pastor fideles suos sollicitat, etiam contra iustitiam peccat.

374. Condiciones, sub quibus sollicitatio denuntianda est. Ut exsistat obligatio denuntiandi, quatuor condiciones requiruntur:

1. Debet esse sollicitatio *ad peccatum turpe,* non ad aliud quodcunque peccatum; nihil tamen refert sive marem sollicitaverit confessarius sive feminam, sive puberem sive impuberem, sive sollicitaverit ad peccatum secum ipso sive cum alio sive solitarie committendum, sive demum poenitentem immediate sollicitaverit sive mediante poenitente aliam quamcunque personam ad peccatum secum committendum induxerit.

2. Crimen sollicitationis debet esse *certum;* quare non solum de dicto vel facto confessarii certo constare debet poenitenti, sed insuper certum esse debet illud veram sollicitationem continere: cum enim confessarius ius certum suae famae possideat, non potest hac sine iniuria per denuntiationem privari, nisi de sollicitatione certo constet.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 725 s.

3. Crimen sollicitationis debet esse *graviter culpabile;* ubi notandum est actus leves vel indifferentes, per quos confessarius sollicitat, graves esse posse vel ex affectu libidinoso vel ex prava intentione, qua alium ad grave peccatum pertrahere conatur; si autem poenitentem solum *ad actus leves* inducere intendit, non committit peccatum sollicitationis denuntiandum.

4. Crimen sollicitationis debet esse commissum *in confessione* seu *cum relatione ad confessionem;* quare non est denuntianda sollicitatio, quae ad confessionem nullam relationem habet, etsi commissa fuerit in administratione aliorum sacramentorum.

375. Adiuncta sollicitationis. Quatuor sunt adiuncta, in quibus sollicitatio eam relationem ad confessionem habet, ut confessarius denuntiari debeat: *a.* si fiat *in actu* sacramentalis confessionis; *b.* si fiat *immediate ante vel immediate post; c.* si fiat *occasione vel praetextu* confessionis, etsi confessio non sequatur; *d.* si fiat *extra occasionem confessionis* in confessionali vel in loco ad confessiones excipiendas destinato vel electo cum simulatione confessionis. Iam singula adiuncta explicanda sunt.

1. *In actu sacramentalis confessionis* sollicitat, qui inter initium confessionis (cum sacerdos poenitenti benedicit) et absolutionem sollicitat. In actu autem confessionis sollicitare censetur sacerdos, modo coepta sit confessio, etsi non fuerit completa vel poenitens quacunque de causa non sit absolutus.

2. *Immediate ante vel immediate post:* si inter sollicitationem et sacramentalem confessionem nullum intervallum seu nulla alia actio intervenerit, quae non referatur ut medium ad sollicitationem. Fieri autem potest, ut is, qui denuntiandus non est ex hoc capite, denuntiari debeat ex alia clausula.

a. Ergo denuntiandus est, qui mulierem in loco confessionis ad instituendam confessionem iam genuflexam sollicitat, vel qui mulierem sollicitat, quae post confessionem ad deosculandam manum confessarii accedit, vel qui puerum statim post confessionem ducit in cubiculum

eumque ibi sollicitat. At vero sollicitatio facta altero die post confessionem, quin etiam sollicitatio facta postquam confessarius alium poenitentem audivit, non censetur facta immediate post confessionem, modo confessarius in confessione pravum suum animum non manifestaverit, ut si e. g. dixerit: *exspecta me paulisper* et post breve tempus venerit et sollicitaverit.

b. Si confessarius confessione peracta extra confessionale, antequam sollicitet, cum poenitente de aliquo negotio tractat, de quo in confessionali iam verba fecerat, ad rem diiudicandam consideranda sunt adiuncta. Si constat sollicitationem iam antea primario intentam et negotium solum ut medium ad illam perficiendam electum fuisse, habetur sollicitatio denuntianda.

3. *Occasione confessionis:* si poenitens accesserit ad confessionem hic et nunc faciendam, etsi confessio ipsa propter sollicitationem a confessario factam reipsa secuta non fuerit.

a. Ergo probabiliter denuntiandus non est confessarius, qui rogatus a poenitente extra locum confessionis, ut sequenti die vel etiam vespere (cum petat mane) eius confessionem audire velit, eam sollicitat, sive dein sequitur confessio sive non, quia non occasione confessionis, sed *occasione petitionis confessionis* sollicitavit[1]). At denuntiandus est confessarius, qui sollicitat personam invitantem confessarium ad ipsius confessionem statim audiendam: occasione enim confessionis non ille tantum sollicitat, qui in confessionali id facit, sed etiam ille, qui extra confessionale sollicitat, quando petitur confessio statim peragenda, adeo ut confessio et petitio moraliter unum sint.

b. Nec confessarius, qui ex confessione agnoscens poenitentis animum proclivem ad turpia inde ansam sumit eam postea sollicitandi, quia non tam confessio, quam *notitia ex confessione* capta occasionem sollicitationis suppeditavit[2]). Si tamen signo aliquo externo constaret, confessarium iam in confessionali voluntatem concepisse postea sollicitandi, ut si homo ad turpia pronus poenitentem interrogat, ubi habitet, denuntiandus esset, non quidem quia occasione confessionis sollicitavit, sed quia immediate post confessionem sollicitationem inchoasset et postea perfecisset.

Nota. *In confessione, immediate ante* vel *post confessionem, occasione confessionis* etiam ille sollicitare censetur, qui in praedictis adiunctis sollicitationem, quae postea completur, inchoat, ut si in illis adiunctis confessarius det litteras ad turpia provocantes postea legendas;

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 717.

[2]) *D'Annibale* III. n. 367 cum compluribus aliis, qui tamen notat aliam esse praxim congregationum romanarum.

si interroget poenitentem, ubi habitet; si invitet, ut in domum confessarii veniat etc. et postea reapse sollicitet. Attamen moraliter constare debet, pravam intentionem iam in illis adiunctis adfuisse: fieri enim potest, ut libido postea demum exarserit, quando commissum est peccatum.

4. *Praetextus confessionis* est falsa allegatio confessionis ex parte confessarii, qua iste abutitur ad sollicitandum, etsi confessio non sequatur, ut si sacerdos invisens aegrotam dicat se velle eius confessionem audire, et ipse dein aliis recedentibus aegrotam sollicitet.

5. *In loco confessionis cum simulatione confessionis,* sed extra occasionem confessionis: sollicitatio denuntianda etiam tum habetur, cum poenitens ex fine quocunque sive bono sive malo e. g. ad consilium petendum vel ad confessarium tentandum ad ipsum venerit, modo sollicitatio acciderit in uno ex tribus locis indicatis, scilicet vel *in confessionali* vel *in loco* ad confessiones audiendas *destinato* vel hic et nunc ad id *electo* et *cum simulatione confessionis.*

a. Haec verba *cum simulatione confessionis* non solum ad ultimum, sed ad omnia tria membra referenda sunt: et in confessionali quidem et in loco pro confessionibus destinato ordinarie eo ipso habetur simulatio confessionis, quod confessarius et poenitens sunt in hoc loco; quoad tertium autem non sufficit, ut confessarius et poenitens sint in loco hic et nunc ad confessionem excipiendam electo et secum colloquantur, sed exterius ita [redacted] genere debent, ut confessionem instituere censeantur. Hinc non est denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionali sollicitat mulierem ante illud stantem.

b. Locus ad audiendas confessiones *destinatus* esset e. g. cella, in qua poenitentes surdastri audiri solent; locus ad audiendas confessiones pro certo tempore vel pro certis adiunctis *electus* esset cubiculum, sacristia, chorus, ubi e. g. pro tempore magni concursus excipiuntur confessiones. Cubiculum infirmi vel lectus, in quo infirmus decumbit, ex universali usu est locus ad audiendas confessiones in his adiunctis electus.

376. De sacerdote sollicitante. 1. *Quinam denuntiandi sint.* Denuntiandi sunt *omnes sacerdotes* cuiuscunque dignitatis tum saeculares tum religiosi, modo sollicitationis crimen vere et certe commiserint[1]).

[1]) Num denuntiandi sint etiam *episcopi* sollicitantes, non constat; *laici autem* vel *clerici* nondum sacerdotes, qui [redacted] fingunt confessarios

Ex fontibus autem supra allegatis constat, quousque se extendat obligatio denuntiandi sacerdotem sollicitantem, scilicet denuntiandus est etiam:

a. qui iurisdictione carebat (e. g. propter reservationem, complicitatem), modo sollicitaverit in confessione;

b. qui sollicitationi a poenitente factae solum consensit et consensum exterius manifestavit, dilata in aliud tempus turpis consilii exsecutione[1]);

c. qui iam ante longum tempus sollicitavit; is, cuius crimen mansit omnino occultum; qui in terram longinquam profectus est; qui iam emendatus est;

d. qui sollicitavit poenitentem non advertentem malitiam peccati, ad quod sollicitata fuerat;

e. etsi sollicitationis factae statim ipsum poenituit vel si coepta sollicitatione statim destitit.

2. *Sacerdos sollicitans* gravibus quidem poenis afficitur, quae tamen omnes sunt *ferendae sententiae*[2]); ipsum autem crimen sollicitationis non est reservatum, nisi forte alicubi episcopus illud sibi reservaverit. Quare sacerdos sollicitans, modo dispositus sit, a quolibet confessario absolvi potest, attamen monendus est, ne personae sollicitatae, etsi ipsa complex non fuerit, amplius confessiones excipiat tum propter magnam rei indecentiam, tum propter periculum relabendi.

377. Quinam denuntiare debeant confessarios sollicitantes: Ipsi *poenitentes sollicitati,* atque id quidem, etsi alius iam denuntiaverit, etsi sollicitatio mutua fuerit vel etsi in sollicitationem poenitens consenserit; nec ullum exsistit in hoc casu periculum seipsum diffamandi, siquidem sollicitati de consensu praestito non interrogantur.

a. Impuberes seu potius personae sollicitatae, quae malitiam sollicitationis nondum apprehendunt, denuntiare tenentur, quando in cognitionem criminis a sacerdote commissi deveniunt.

b. Praeter personam sollicitatam alius ad faciendam denuntiationem in novo *Codice* [illegible] obligatur. — Confessarius sollicitans non tenetur

---

et in confessione sollicitant, vi verborum iuris, quod de solis *sacerdotibus* loquitur, denuntiandi non sunt.

[1]) *S. Officium* 20. febr. 1867. [2]) Cf. cn. 2368, 1.

se ipse denuntiare; qui tamen sponte se accusat, mitius a iudice ecclesiastico tractatur. Nam sacerdotes, qui sponte crimen suum fatentur, „dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant; nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur"[1]).

378. De poenitente sollicitato. Si non ex lege naturae, certe ex gravi praecepto ecclesiae ipsi incumbit *obligatio sub poena excommunicationis (nemini reservatae) intra mensem a cognita obligatione denuntiandi* sacerdotem sollicitantem vel loci Ordinario vel C. S. Officii[2]).

1. Si de sollicitatione constat, confessarius poenitentem sollicitatum, *graviter onerata eius conscientia, de obligatione denuntiandi monere debet*[3]). Quam quidem monitionem confessarius ex lege positiva ecclesiae *sub gravi* facere tenetur, etiamsi poenitens in bona fide sit et praevideatur obligationi suae non satisfacturus, excepto solum mortis casu, ne poenitens in periculum damnationis coniiciatur. Quodsi hic et nunc ob iustum impedimentum denuntiare non potest, eum monere debet obligationem cessante impedimento urgere.

a. Confessarius non tenetur suos poenitentes interrogare, num sollicitati fuerint, nisi ex eorum accusatione prudens suspicio factae sollicitationis ingeratur. Confessarii vero sollicitantes nunquam tenentur ipsi monere personam sollicitatam de obligatione denuntiandi etsi postea ad sollicitantem peractura confessionem redeat.

b. Poenitens de obligatione denuntiandi moneri debet, etsi denuntiationem recusaturus praevideatur seu potius etsi tenuis tantum spes successus affulgeat, quia bonum commune eam exigit, bonum autem privatum bono communi cedere debet. Attamen affirmari nequit bonum commune eam semper et in omni casu exigere: ecclesia enim quandoque a denuntiatione facienda dispensat, quod facere non posset, si lex naturae ob bonum commune eam semper exigeret. Quando ergo

---

[1]) Instructio *s. Officii* 20. febr. 1867.
[2]) Cn. 2368, 2.
[3]) Cn. 904.

ex crimine commisso damnum commune iam non imminet, ut si confessarius nullas amplius confessiones audiat, et poenitens non obtemperaturus praevideatur, monitio etiam omitti potest[1]).

2. Obligatio denuntiandi est *onus personale* ideoque ab ipsa persona sollicitata adimplendum, et quidem in *forma iudiciali*; quare poenitens obligationi non satisfacit per litteras privatas ad episcopum datas. Insuper haec obligatio *nunquam exstinguitur* nisi morte sacerdotis sollicitantis; hinc si denuntiatio propter aliquod impedimentum fieri non potest, sublato postea impedimento iterum urget obligatio.

Antequam denuntiatio iudicialis fieri possit, persona sollicitata ordinarium adit, vel si hoc non potest, litteras privatas vel per se vel per confessarium ad eum mittit, in quibus omnes circumstantias sollicitationis exponit et proprium nomen cum loco habitationis subscribit. Ordinarius deinde aut mandatum denuntiationis faciendae, si opus fuerit, aut aliam instructionem missurus est.

3. Poenitentes sollicitati, qui certo ad denuntiationem faciendam tenentur, *non possunt absolvi*, nisi prius obligationi denuntiandi satisfecerint aut saltem promiserint, se intra mensem, si possunt, satisfacturos esse obligationi suae. Quare si poenitens ad denuntiandum sese ostendit paratum et de seria eius voluntate non ingeritur prudens dubium, statim concedi potest absolutio, praesertim si urget communicandi necessitas; si autem timeri debet, ne omittatur denuntiatio, differenda est absolutio, donec reapse facta sit denuntiatio.

4. Qui autem intra mensem a cognita obligatione sine ratione excusante seu culpabiliter non denuntiat, incurrit *excommunicationem nemini reservatam*, a qua ergo poenitentem dispositum quilibet confessarius absolvere potest.

a. Ut autem elapso mense excommunicationem incurrat, qui denuntiationem intra mensem non fecerit, requiritur: α. ut sciverit obligationem denuntiandi eamque intra mensem faciendam esse; β. ut sciverit omissioni excommunicationem adnexam esse.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 748.

b. Si persona sollicitata denuntiationem ultra mensem culpabiliter distulit, sed nunc serio promittit, se quamprimum denuntiaturam esse, a censura absolvi potest, quia in citato canone dicitur: *non absolvendum, nisi serio promiserit, se satisfacturum.* Quodsi postea mutata voluntate non denuntiet, censura non reviviscit, quia in iure de reincidentia nihil habetur[1]).

5. Falsa et calumniosa denuntiatio confessarii innocentis de crimine sollicitationis est peccatum *ratione sui* r. pontifici *reservatum* cum excommunicatione latae sententiae speciali modo reservata[2]).

a. Peccatum reservatum falsae denuntiationis est denuntiatio *iuridica*, non privata. Poenitens, qui hoc crimen confitetur, moneri debet, ut calumniam retractet et damna, quae sacerdos ex ea passus sit, resarciat.

b. Ab hac censura deliuquens *in nullo casu* absolvi potest, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna inde secuta pro viribus reparaverit. Insuper gravis et diuturna poenitentia ei imponenda est[3]).

6. Cum crimen falsae denuntiationis sacerdotis de sollicitatione etiam ratione sui i. e. etiam solum peccatum, non censura tantum, reservatum sit, sequitur poenitentem, qui censuram propter ignorantiam non incurrit, tamen a peccato sine speciali facultate r. pontificis extra mortis periculum absolvi non posse.

379. De causis ab hac obligatione excusantibus. Ex iusta causa sollicitatus a denuntiatione facienda excusatur: hoc enim praeceptum, licet gravissimum, quandoque est praeceptum positivum ecclesiae, quod cum gravissimo incommodo non obligat. Si tamen denuntiatio simul facienda sit ex lege naturae, ubi nempe sollicitatio inducit publicum scandalum vel damnum commune, ab ea facienda ne gravissimum quidem incommodum deobligat.

1. Praeter impossibilitatem excusat probabile periculum gravis damni in bonis vitae aut famae aut fortunae.

a. Si persona sollicitata neque episcopum adire neque epistolam ob imperitiam litterarum ad eum scribere potest, a denuntiatione facienda propter impotentiam excusatur; confessarius autem non tenetur pro poenitente denuntiationem facere, nisi grave damnum publicum immineat.

---

[1]) Cf. *De poenis*[12] n. 103. [2]) Cn. 894. Cn. 2363. [3]) Cn. 2363.

b. Denuntiare non tenetur insignem benefactorem, a quo extraordinarium et necessarium subsidium accipit, quod propter denuntiationem amitteret; nec sacerdotem intima amicitia vel consanguinitate proxime coniunctum, nisi lex naturae propter bonum commune eam exigat.

2. Non excusat timor incurrendi indignationem sollitantis, neque obligatio gratitudinis erga sollicitantem, nec verecundia, quam persona sollicitata in denuntiatione facienda subire debet.

380. Modus agendi cum poenitente sollicitato. Confessarius, cui affertur casus sollicitationis, hoc modo procedere debet.

1. Cum non raro accidat, ut mulieres ex ignorantia vel ex odio, invidia aut alio pravo motivo sacerdotes omnino innocentes calumnientur, videat confessarius, num persona sit fide digna; et si de hac re dubitet (quod fere obtinet, quando persona ad denuntiationem faciendum ultro parata est), eam moneat de atrocitate criminis et de gravi poena, quae falsae accusationi infligitur. Caveat autem, ne sollicitantis nomen inquirat.

2. Sedulo examinet, num adsint omnes conditiones, quae certam faciant denuntiandi obligationem. Et si id statim diiudicare non possit, poenitentem alia die ad se redire faciat. Quodsi de sollicitatione vere constat, poenitentem de obligatione denuntiandi moneat.

3. Quodsi denuntiare renuit, exquirat, num adsit causa excusans. Si reipsa adest causa excusans, per se denuntiatio omitti vel saltem differri potest. Si ergo poenitens promittit se velle denuntiare, quando cessat causa excusans, interim absolvi potest.

Frequenter poenitentes denuntiare recusant, quia timent, ne denuntiatus in cognitionem denuntiantis deveniat. Quare confessarius eos moneat, denuntiatum non facile personae denuntiantis notitiam capere posse, et primo quidem quia plerumque conceditur, ut ope solius confessarii denuntiatio fiat, deinde vero quia denuntiantium nomina nunquam manifestantur, tandem quia delinquens ordinarie post tertiam demum denuntiationem in iudicium vocatur.

4. Denuntiatio facienda est ordinario loci, in quo versatur poenitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat vel Congregationi S. Officii. Loci ordinarius iuratam denuntiationem deinde ad episcopum sacerdotis sollicitantis transmittet. Quodsi huic ordinario fieri nequeat, facienda est ordinario confessarii sollicitantis.

5. Denuntiatio *iudicialis* fieri debet voce coram ordinario vel eius delegato interveniente notario; quandoque autem conceditur, ut fiat coram sacerdote delegato nullo interveniente notario, vel etiam coram confessario delegato in confessionali[1]), cui ad eam excipiendam ab ordinario solet transmitti apta instructio.

6. Si poenitens absque iusta causa denuntiationem facere nolit, confessarius aptis motivis ad eam faciendam illum inducere conetur; quodsi tamen omnino renuat, poenitentem non absolvat, sed alio tempore ad se redire faciat. Interim vero aut ad ordinarium aut ad s. sedem (Poenitentiariam vel s. Officium) recurrat, et, expositis omnibus circumstantiis, suppresso tamen poenitentis nomine, opportunum remedium flagitet. Vel enim a denuntiatione facienda omnino dispensatur vel conceditur, ut res tota ope confessarii denuntietur.

Ne confessarius, qui pro poenitente denuntiationem facit, in cognitionem sacerdotis sollicitantis deveniat, inducat poenitentem, ut ipse nomen litteris denuntiatoriis inserat, vel ut eius nomen in schedula scriptum involucro iisdem litteris adiungendo tegat.

---

[1]) Modus ex praescripto *s. Officii* 20. iul. 1890 servandus in excipienda denuntiatione habetur in Actis s. sedis: Appendix ad vol. 25. cui 6. aug. 1897 accessit instructio quoad sedulam curam adhibendam in causis sollicitationis.

Quaestio tertia.

De obligationibus ministri[1]).

381. Omnes confessarii obligationes oriuntur ex generali eius obligatione procurandi ea, quae ad validam licitamque sacramenti administrationem et susceptionem necessaria sunt. Harum obligationum aliae urgent ante confessionis auditionem, aliae in ipsa confessionis auditione, aliae tandem post auditam confessionem. Ante confessionis auditionem requitur conveniens *scientia*. In ipsa confessionis auditione servanda est *obligatio docendi et monendi*, obligatio *interrogandi* et obligatio *absolvendi* poenitentem. Obligatio confessarii post confessionem duplex est, altera quae ex confessione sequitur per accidens, *corrigendi* scilicet *defectus* commissos, altera quae ex confessione sequitur per se, *servandi sigillum sacramentale*. Obligationes istae cohaerent cum officiis, quae ministro sacramenti poenitentiae incumbunt, scilicet cum *officio doctoris*, quo poenitentem monere eundemque ea, quae scitu necessaria sunt, docere debet; cum *officio medici*, quo animae morbos curare atque ad praecavendum relapsum apta remedia suggerere debet, praesertim vero cum *officiis iudicis*, quo de peccatis et dispositione poenitentis iudicare eumque per sacramentalem absolutionem Deo reconciliare debet.

[1]) *S. Alphonsus*, Praxis confessarii. *Lacroix*, Theologia moralis l. 6. pr. 2. n. 1699—1932. *Stoz*, Tribunal poenitentiae l. 2. De confessario ut iudice. *Lohner*, Instructio practica de confessionibus rite et fructuose excipiendis. *Io. Palanco*, Directorium confessarii (Cracoviae Anczyc Gadowski. 1886). *Aertnys*, Theologia pastoralis complectens practicam institutionem confessarii (Paderbornae. Schöningh. 1893). *Tappehorn*, Anleitung zur Verwaltung des heiligen Bussakramentes[4] (Dülmen. Laumann. 1893). *Reuter*, Neoconfessarius, quem latine denuo edidit *Lehmkuhl* (Friburgi. Herder. 1905), germanice vero *Iul. Müllendorf*, Der Beichtvater u. s. w. (Regensburg. Verlagsanstalt 1901). *Schick-Rhiel*, Kurze Anleitung zur Verwaltung des hl. Bussakramentes[2] (Fulda Aktiendruckerei 1901).

Articulus primus.

De scientia confessarii.

382. Necessitas scientiae. Confessarius extra casum necessitatis sub gravi eam scientiam habere tenetur, quae ad munus suum rite obeundum requiritur: qui enim sine debita scientia hoc sacramentum administrat, se exponit periculo graviter errandi ideoque sacramento gravem iniuriam, animabus vero magnum damnum inferendi. Sufficientem hanc scientiam supplere non possunt nec *dotes* ingenii nec *experientia* nec *sanus sensus*, quae tria scientiam quidem iuvant, sed eius partes explere nequeunt.

a. Casus necessitatis adesse censetur non solum in periculo mortis, sed etiam quando fideles alias diu confessione carere deberent. Iam vero in casu necessitatis potest etiam confessarius minus doctus licite confessiones excipere: cum enim inscientia confessarii non valori, sed solum integritati confessionis obsit, in casu necessitatis licet sacramentum absque materiali integritate administrare[1]).

b. Hinc peccat *confessarius*, qui necessariam scientiam sibi deesse cognoscens libere (etsi ex sola caritate vel ex oboedientia) confessiones excipiat, nisi agatur de confessionibus, in quibus, ut prudenter supponit, sola venialia accusantur. Neque eum excusat approbatio, quae scientiam supponit, non supplet; iudicio tamen superioris sui tuta conscientia acquiescere potest quivis sacerdos de scientia sua dubitans, si ab eo aptus iudicatur et confessionibus audiendis vacare iubetur, dummodo superior subditum suum bene noscat[2]).

Peccat *superior*, qui ignaro sacerdoti veniam concedit confessiones excipiendi, quia eius peccato consentit et cooperatur. Excusatur tamen, si minus idoneum confessarium exponat in casu necessitatis, ubi satis doctum habere non possit, ut in loco exiguo et remoto, cuius curam doctus sacerdos suscipere nolit[3]).

Peccat *poenitens*, qui de industria eligit ineptum confessarium: si tamen poenitens, qui inepto confitetur, in bona fide est, validum est sacramentum: nam ex parte poenitentis habetur integra confessio et debita dispositio, et ex parte confessarii saltem cognitio peccatorum sub ratione generica et confusa peccati, quod ad validam absolutionem sufficit[4]).

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 21. n. 73.

[2]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 576.

[3]) *Lugo* ibid. n. 64.

[4]) Cf. *s. Alphonsus* n. 627. 628.

383. Quae scientia necessaria sit. Non requiritur scientia, qua confessarius semper statim et per se ipsum omnes occurrentes dubitationes solvere possit, sed ordinarie requiritur et sufficit scientia, qua casus communiter contingentes intelligere et resolvere queat et in difficilioribus saltem prudenter dubitare sciat, ut libros aut alios doctiores consulere possit[1]).

a. Maior scientia requiritur ad confessiones excipiendas in magna civitate quam in parvo et remoto pago; item ad audiendos quoslibet fideles diversi status diversaeque condicionis quam ad audiendos poenitentes eiusdem status et condicionis.

b. Scire debet confessarius: α. quae spectant ad essentiam et effectum sacramenti poenitentiae, et quae ad validam et licitam eius administrationem tum ex parte sua tum ex parte poenitentis requiruntur; β. principia discernendi inter peccata mortalia et venialia, quaenam peccata sint mortalia et venialia in singulis praeceptis, varias species peccatorum et circumstantias speciem mutantes; γ. quae spectant ad restitutionem bonorum et famae; δ. casus reservatos, censuras vigentes, quae saepius occurrunt, impedimenta matrimonii et obligationes communes et proprias statuum; ε. radices et occasiones peccatorum et opportuna remedia poenitentibus suggerenda.

Nota. Confessarius studium theologiae moralis nunquam intermittat, tum ut scientiam competentem conservet, tum ut eandem augeat atque perficiat. Nec quisquam sibi blandiatur de conservanda scientia ad confessiones excipiendas necessaria sine indefesso studio theologiae moralis, quia haec non solum multas easque disparatas materias, sed etiam fere innumera statuta positiva complectitur, quae facile e memoria labuntur, nisi iugitur recolantur. Ad hanc scientiam conservandam et perficiendam praeter frequentem lectionem librorum moralium multum iuvabit, si confessarius ad occurrentia dubia solvenda libros vel alios doctiores consulat, si audita confessione difficiliore diligenter examinet, num recte in omnibus egerit, ac tandem si casuistas legat et conventibus ad solvendos casus conscientiae fere ubique institutis sedulo intersit.

Articulus secundus.

De obligatione docendi et monendi poenitentes.

384. Obligatio docendi. 1. Vi muneris tenetur confessarius docere poenitentem ea, quae ad sacramentum

[1]) *S. Alphonsus* n. 627.

hic et nunc rite suscipiendum requiruntur, quia ut sacramentorum minister procurare debet eorum validam et licitam administrationem. Si igitur sacramenti susceptio in aliud tempus differri nequeat, poenitentem docere debet: *a.* veritates, quae necessitate medii ad salutem credendae sunt; *b.* dispositiones necessarias ad sacramentum cum fructu suscipiendum, scilicet dolorem, propositum et confessionem peccatorum formaliter integram. Ea autem, quae solum necessitate praecepti scienda et credenda sunt, non est necesse, ut poenitens a confessario in confessionali discat, sed sufficit, si de praeterita negligentia doleat et propositum concipiat ea mox discendi.

2. Necesse non est, ut confessarius poenitentem de rebus necessariis ita instruat, ut ea postmodum sciat et de iis rationem reddere possit, sed eo tantum modo, quo hic et nunc ad sacramentum suscipiendum requiritur et sufficit, proponendo scilicet articulos fidei credendos, ut de ipsis actum fidei eliciat, examinando cum ipso conscientiam, eliciendo dolorem et propositum et monendo, ut haec ipsa quam primum accuratius discat.

385. Obligatio monendi. 1. Monendi sunt poenitentes, qui *ex conscientia erronea* putant esse peccatum, quod peccatum non est, aut esse mortale, quod veniale est: haec enim ignorantia eis nociva est, quia in periculo manent formaliter peccandi.

2. Poenitentes, qui in *ignorantia vincibili* et graviter culpabili versantur, monendi sunt, etsi nulla emendatio speretur: admonitio enim hinc quidem nocere nequit, quia poenitens iam est in statu peccati propter ignorantiam culpabilem vel propter dubium, quocum operatur, inde vero monitio prodesse potest, quia emendationis fructum sperare licet.

a. Si poenitens *interrogat,* confessarius veritatem manifestare tenetur: tunc enim eius ignorantia non est amplius invincibilis, confessarii autem silentium in malo eum confirmaret.

b. Ignorantia *comparatur vincibili,* adeo ut monitio facienda sit, in sequentibus casibus;

α. Si inducit proximum periculum peccandi vel perseverandi in peccatis, ut si poenitens ignoret pollutionem esse peccatum.

β. Si versatur circa leges, quae diu ignorari nequeunt.

γ. Si versatur circa ea, quae necessitate medii aut certo aut probabiliter sciri et credi debent.

3. Poenitens, qui in *ignorantia invincibili* versatur, monendus est, si monitionis fructus speretur aut statim aut saltem postea, nec maius malum timeatur. Quodsi ex monitione nullus fructus speretur, monitio ordinarie omittenda et poenitens in bona fide relinquendus est: nam ex duobus malis minus eligendum est, peccatum scilicet materiale prae formali, quod poenitens non obtemperaturus committeret.

a. Monitio omittenda est, etiamsi silentium confessarii in damnum tertii tamquam personae particularis vergat, si e. g. poenitens de restitutione monitus praevideatur non obtemperaturus: monitio enim nemini prodesset, poenitenti vero obesset.

b. Si poenitens speretur quidem obtemperaturus, sed ex monitione simul praevideatur grave damnum tertii e. g. damnum filiis obventurum, si solvatur matrimonium invalidum, monitio omittenda est. Sicut enim obligatio monendi non urget cum gravi damno proprio, ita nec urget cum gravi damno alieno, modo res ipsa propter ignorantiam invincibilem sine peccato fiat[1]).

c. In dubio, utrum profutura an nocitura sit monitio, omittenda est, nisi ex monitione multo maior utilitas secutura speretur.

4. Poenitens tamen monendus est, *etsi nullus emendationis fructus speretur,* quoties ex monitione omissa maius malum sequitur quam ex monitione facta, ut si ignorantia gravius damnum vel scandalum publicum allatura esset.

Nota. Ad confessarium tamquam *animarum medicum* spectat, radices peccatorum prudenter investigare, congrua remedia praescribere et monita salutis praebere. In his autem adimplendis meminerit, confessarium praeter poenitentiam non posse strictam obligationem poenitenti imponere, nisi declaret ea, quae poenitens iam aliunde praestare tenetur e. g. restitutionem faciendam, occasionem peccati deserendam esse. Nam in sola poenitentia imponenda iudicem, in aliis autem medicum agit, „cuius non est praecipere sed consulere“[2]).

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 22. n. 27.

[2]) Cf. *Lugo,* Responsa moral. l. 1. dub. 8. n. 5. *Ballerini-Palmieri* V. n. 126.

Articulus tertius.

De obligatione interrogandi poenitentes.

386. De ipsa obligatione. 1. Confessarius per se sub gravi tenetur interrogare poenitentes:

a. De iis, quae *ad integram peccatorum confessionem* requiruntur, sive culpabiliter sive inculpabiliter ea omiserint: nam cum teneatur procurare legitimam sacramenti administrationem, poenitentes absolvere nequit, nisi eos integre (quoad speciem et numerum) confessos iudicaverit.

b. De iis, quae scitu necessaria sunt, ut *de peccatorum gravitate* iudicare possit: confessarius enim, quantum moraliter fieri potest, iudicare debet, utrum poenitentis peccata gravia sint an levia (n. 388).

c. De iis, quae scitu necessaria sunt, ut poenitentis *dispositionem* cognoscere et apta remedia praescribere possit. Cum enim dignam sacramenti administrationem procurare teneatur, poenitentem absolvere nequit, nisi eum dispositum iudicaverit (n. 389).

α. Cum *vi muneris* confessarius integram peccatorum confessionem procurare debeat, interrogare tenetur non solum poenitentes, qui ex gravi culpa, sed etiam eos, qui *inculpabiliter*, propter ignorantiam vel oblivionem in integritate deficiunt[1]). Attamen gravior est obligatio interrogandi poenitentes, qui culpabiliter, quam eos, qui inculpabiliter peccata omittunt. Sed quoniam per se poenitentis est peccata accusare, confessarii vero accusationem audire, obligatio interrogandi in confessario condicionata est et secundario, *si nempe poenitens deficiat;* ideo obligatio interrogandi non maior, sed potius minor est quam obligatio poenitentis sese examinandi et accusandi.

β. In longa confessionum serie omittere unam alteramve interrogationem circa speciem et numerum peccatorum, quae poenitens ex gravi culpa celat, vel plures interrogationes circa numerum et speciem peccatorum, quae poenitens bona fide celat, propter parvitatem materiae non est grave peccatum, etsi poenitens ea sub gravi manifestare teneretur: considerato enim munere confessarii, quo poenitentes quam plurimos audire eosque iuvare tenetur, talis omissio recte levis censetur[2]).

---

[1]) Cf. *Suarez* disp. 32, sect. 3. n. 7 s. *Lugo* disp. 22. n. 17 ss. *Ballerini-Palmieri* V. n. 584.

[2]) Cf. *Gury*, Casus consc. II. n. 669.

2. Confessarius non quoslibet poenitentes interrogare debet, sed eos tantum, quos probabiliter iudicat in integritate confessionis deficere; eos vero, quos sive ex modo confitendi sive ex condicione personae prudenter iudicat integre confessos esse, interrogare non tenetur.

Defectus in integritate confessionis ex triplici causa potissimum oriuntur: ex negligentia examinis, ex pudore et ex ignorantia rerum religiosarum. Hinc ordinarie interrogandi sunt, qui raro (semel vel bis in anno) sacramenta suscipiant, qui parum instructi videantur, qui sive ex modo confitendi sive ex condicione personae peccata tacere iudicentur. Interrogandi autem non sunt sacerdotes, religiosi, personae piae et pro condicione sua satis instructae nec poenitentes, qui ex modo confitendi in integritate non deficere prudenter aestimari possunt.

3. In interrogationibus faciendis confessarius non tenetur adhibere nisi ordinariam diligentiam eamque diversam pro diversa capacitate poenitentis. Ratio *primi* est, quia obligatio poenitentis sese examinandi non exigit nisi diligentiam ordinariam et mediocrem. Ratio *secundi* est, quia confessarius tenetur solum iuvare poenitentem eiusque defectus supplere; cum ergo poenitentes secundum ipsorum capacitatem diversam adhibere debeant diligentiam in examinanda conscientia, diversam etiam adhibere potest confessarius.

a. Hinc etiamsi confessarius, adhibita iam morali diligentia, putet se ulterioribus interrogationibus plura peccata expiscari aut declarata accuratius quoad speciem et numerum cognoscere posse, non tenetur amplius interrogare. Immo neque expedit multis interrogationibus torquere poenitentem, etsi aliquis defectus in integritate committatur, ex confessio reddatur odiosa.

b. Cum ergo confessarius solum id curare debeat, ut poenitens confiteatur peccata prout ipse secundum capacitatem suam ea cognoscit, levius examinandus est homo rudis atque incultus, quam homo civilis et instructus; levius aegrotus, qui propter debilitatem difficilius attendere potest, quam sanus et robustus; levius, qui plura habet peccata, quam qui pauciora[1]).

4. Interrogationes moderatae esse debent, ne confessio poenitentibus reddatur gravis atque odiosa.

Imprimis itaque non de omnibus interroget confessarius, in quibus poenitens peccare *potuit*, sed de iis tantum, in quibus ratione status et

[1]) *Lugo*, disp. 16. n. 594.

condicionis suae probabiliter reipsa *peccavit*. Deinde vero etiam quoad interrogationes necessarias, praesertim de rebus turpibus, attendat, ne poenitentes offendantur atque a confessione in posterum peragenda deterreantur: melius enim est in integritate confessionis deficere, quam poenitenti confessionem reddere odiosam.

387. *Quid agere debeat confessarius, qui de sinceritate poenitentis dubitet.* — Notandum est axioma in foro poenitentiae receptum: *credendum est poenitenti tam pro se quam contra se loquenti:* ipse enim in tribunali poenitentiae est reus simul et testis, sui accusator et advocatus et insuper praesumendus est verax, nisi aliud probetur; ideo confessarius semper absolvere potest poenitentem, *nisi certo sciat, ipsum sacrilege negare peccatum.* In specie vero ita distingui potest:

a. Si confessarius *certo* novit poenitentem commisisse peccatum, quod celat et quod prudenter interrogatus negat, imprimis expendat, utrum supponi possit poenitentem rem, de qua agitur, non habere pro peccato, aut illum huius peccati oblitum esse, aut alteri iam confessum esse, aut iustam habere causam illud peccatum omittendi. Si quidquam horum praesumi possit, absolvendus est poenitens, undecunque confessarius notitiam rei acceperit: nam poenitenti credendum est.

b. Si nihil horum praesumi possit, diverso modo tractandus est poenitens pro diverso fonte, ex quo confessarius notitiam peccati acceperit:

α. Si id sciat *extra confessionem* et quidem *ex relatione aliorum,* poenitens diligenter interrogandus est, et si neget, eum absolvere debet: potius enim credendum est poenitenti quam aliis, quos supponere debet fuisse deceptos[1]).

Cum *s. Alphonsus* (n. 631) scribat, se non audere absolvere eius modi poenitentem in casu, quo testes tam graves eius crimen retulissent, ut de eo moralis certitudo haberetur, potest confessarius sequens sententiam s. doctoris eiusmodi poenitenti *negare absolutionem.* Si quidem putat ipse regulam illam, quod credendum sit poenitenti, valere solum in re dubia, non autem in re moraliter certa.

[1]) *Lugo* disp. 22. n. 22. *Ballerini-Palmieri* V. n. 586.

β. Si id sciat *extra confessionem* et quidem *propria experientia* eaque infallibili, quia e. g. vidit occidentem, convincere debet poenitentem, et si nihilominus constanter neget, sine absolutione dimittere: caret enim dispositione.

γ. Si tandem id sciat *ex complicis confessione*, generaliter tantum eum interrogare potest, ne violetur sigillum, vel etiam particulariter de eodem peccato, si alias quoque de eo interrogasset, quia a tali persona committi solet. Quodsi rem non fateatur et plane constet poenitentem tacere peccatum commissum, licet absolutionem omittere et ad occultandam eius omissionem aliquas preces recitare; sed licet etiam poenitentem sive absolute sive condicionate absolvere.

α. Absolutionem omitti *posse* ex eo liquet, quod hinc quidem absolutio nulla esset et proinde forma absolutionis pronuntiaretur frustra, quod incommodum omissa absolutione vitatur; inde vero eius omissione non violatur sigillum, cum nec peccatum manifestetur, nec gravamen poenitentium inde oriatur[1]).

β. Demonstrari tamen non potest absolutionem esse illicitam: nam hinc quidem confessarius omittens absolutionem non impedit sacrilegam sacramentorum susceptionem, inde vero notitia ex confessione complicis hausta uti non tenetur, sed ex communi regula ita agere potest, ac si illam confessionem non excepisset; eatenus tamen ea uti potest, ut solum condicionate absolvat[2]).

Articulus quartus.

De obligatione absolvendi poenitentes in genere.

Haec obligatio, quae versatur circa iudicium sacramentale a confessario instituendum, complures obligationes particulares complectitur, scilicet obligationem *cognoscendi causam*, obligationem *diiudicandi dispositionem* et *ferendi sententiam* seu concedendi aut differendi aut negandi absolutionem.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 631.

[2]) Cf. *Lehmkuhl*, Casus conse. II. n. 40 ss. *Elbel-Bierbaum* III pr. 8. n. 44. *Ballerini-Palmieri* V. n. 587.

§ 1. De obligatione cognoscendi causam.

388. De cognitione causae. 1. Ante absolutionem confessarius causam cognoscere seu iudicium de poenitentis peccatis eorumque morali malitia ferre debet, scilicet num sint mortalia, et mortalia num sint specifice distincta. Ad quod quidem iudicium ferendum attendere debet tum ad *obiectivam* peccati malitiam tum ad *subiectivam* poenitentis culpam, quae ab eius advertentia potissimum dependet.

a. Ad *obiectivam* peccati malitiam diiudicandam non requiritur, ut confessarius de cuiusvis peccati gravitate et specifica malitia actu et explicite determinatum iudicium ferat, sed illud solum requiritur, ut praeditus habituali scientia, qua inter peccata gravia et levia et inter peccata specifice diversa distinguere possit, poenitentem audiat et, etsi reflexe de iis non cogitet, audiendo secundum principia communia iudicet. Quodsi tamen praedicta cognitione careret et ex ignorantia de peccatis falso iudicaret, non ideo invalida esset confessio.

b. Ad *subiectivam* malitiam diiudicandam praesumere potest poenitentem apprehendisse peccatum secundum obiectivam eius malitiam, nisi adsit peculiaris ratio dubitandi de veritate praesumptionis. Quodsi talis ratio adsit, poenitens de apprehensione malitiae interrogandus est, et si facta interrogatione dubium de subiectiva peccati malitia solvi nequeat, res Dei iudicio relinquenda est.

Sicut poenitens ex praecepto divino omnia et singula sua peccata mortalia declarare, et ita quidem declarare tenetur, ut a confessario rite intelligi possint, ita confessarius ad singula peccata, quae poenitens accusat, *attendere* et singula *intelligere* debet. Hinc α. si confessarius propter imperitiam linguae non intelligit omnia peccata mortalia, quae poenitens accusat, tenetur hunc ad alium confessarium linguae peritum dirigere, si talis adsit et absque gravi incommodo adiri possit. Quod si absque gravi incommodo fieri nequit, poenitens absolvi potest. Quodsi poenitens non haberet nisi venialia, confessarius uno vel altero peccato sufficienter intellecto valide et licite illum absolvere posset. β. Si confessarius propter cantum aut somnum aut distractionem aut aliam causam peccata poenitentis non audivit, defectum, si absque gravi molestia fieri possit, in hunc modum suppleat. Interroget poeni-

tentem, num putet inter accusata aliquod peccatum grave contineri; si neget, eum absolvere potest; si affirmet, interroget, quodnam illud sit: se enim rem non satis intellexisse. Si tamen ob notam sibi conscientiam poenitentis praesumere potest ea, quae non audivit, esse peccata venialia, eum absolvere potest, quin de illis interroget.

2. Iudicium de poenitentis peccatis debet esse *sacramentale,* quod exigit in confessario quidem potestatem iurisdictionis, in poenitente vero accusationem sacramentalem i. e. confessario qua iudici ad obtinendam absolutionem factam.

Ergo ad validam absolutionem obtinendam non sufficit amica peccatorum narratio vel eorum expositio consilii causa confessario facta, nisi poenitens denuo saltem generice et confuse *(me accuso de omnibus, quae extra confessionem dixi)* sacramentaliter se accuset.

3. Attamen non requiritur, ut confessarius, dum absolvit, aut omnium peccatorum, quae poenitens accusavit, aut alicuius peccati in specie et distincte adhuc recordetur, sed sufficit, ut peccatorum in confuso recordetur, poenitentem actu dispositum esse prudenter iudicet eumque a peccatis, quae clavibus subiecerat, auctoritate divina absolvere velit.

§ 2. De obligatione diiudicandi dispositionem.

389. De dispositione cognoscenda. 1. Cum absolutio concedi nequeat nisi poenitenti rite disposito, ne frustretur sacramentum, confessarius in poenitentis dispositionem inquirere atque de eius exsistentia iudicium sibi formare debet.

2. De exsistentia dispositionis in sacramento poenitentiae sufficit *prudens et probabile iudicium,* quod gravi motivo nitatur, cui non obstat gravis suspicio. Licet in aliis sacramentis materia per se debeat esse certa, in sacramento tamen poenitentiae propter peculiarem eius naturam sufficit, ut ea sit probabilis, ne ipsum reddatur odiosum eiusque administratio impossibilis, cum plena certitudo de dispositione poenitentis plerumque haberi non possit. Ideo catechismus romanus docet: Si audita confessione sacerdos *iudicaverit,* neque in enumerandis peccatis

diligentiam nec in detestandis dolorem *poenitenti omnino defuisse,* absolvi poterit[1]).

a. Indispositi sunt, qui vero dolore de peccatis et serio emendationis proposito certo carent. Huiusmodi generatim sunt omnes ii, qui gravem obligationem implere recusant.

b. Dubie dispositi illi dicuntur, contra quorum dispositionem ex positivis indiciis gravis suspicio oritur, quin ex altera parte probabile iudicium de dispositione formari possit.

Dubie dispositi non illi dicuntur, qui ex gravi motivo iudicantur dispositi, ita tamen, ut contra eorum dispositionem levis aliqua suspicio se ingerat: id enim in compluribus poenitentibus obtinet, qui sufficienter dispositi iudicari debent, cum de ratione probabilis dispositionis sit, ut ex altera parte non excludatur omne dubium.

c. Positiva indicia, ex quibus gravis suspicio contra poenitentis dispositionem potissimum ingeritur, haec sunt:

α. si neglectis remediis in eadem peccata relapsus sit;

β. si ad confessionem accedat non tam sponte quam coacte aut ex consuetudine, vel si accedat sine debita praeparatione;

γ. si peccata confiteatur absque humilitate et dolore et conetur potius temere se excusare;

δ. si studeat peccata tegere, adeo ut industria confessarii ea expiscari debeat;

ε. si difficilis sit in acceptandis poenitentiis et peccatorum remediis;

ζ. si post multos relapsus frigide tantum dicat se dolere.

390. Signa dispositionis. Ad iudicium de dispositione poenitentis efformandum confessarius indiget magna prudentia divinique luminis auxilio; haec autem signa in efformando hocce iudicio eum multum iuvare possunt:

a. Ipsa confessio: si enim poenitens *sponte* ad confessionem accedit, sive ut impleat praeceptum, sive ut statum gratiae sibi conciliet, sive ut facilius vitare possit peccata, ipsa spontanea confessio probabile signum dispositionis est; ex ipsa autem confessione ad dispositionem tuto concludi non potest, si poenitens solum ex voluntate pa-

[1]) Pars 2. c. 5. q. 58. Cf. *I. B. Faure,* Dubitationes theol. de iudicio practico dub. 1.

rentum vel superiorum, vel ex quadam consuetudine ad sacramenta accedit, quia timendum est, ne non serio et sincere agat.

b. Assertio poenitentis: sive enim paratus ad confessionem accedit et asserit se habere dolorem et propositum, sive imparatus accedit et post monitionem confessarii demum affirmat se detestari peccata et in posterum vitare velle; ipsi credendum est, nec maior certitudo auctore *s. Thoma* in hac re acquiri potest, quam si ipsi poenitenti credatur[1]).

Si poenitens peccata sua sincere confitetur nec ullam dispositionis deficientis suspicionem ingerit, confessarius ex ipsa confessione eum dispositum recte praesumit; quodsi de sufficienti dispositione dubitet, poenitentem interrogare et affirmanti credere debet[2]). Patet haec affirmari de poenitentibus, qui prudenter iudicantur serio et sincere in hoc sacro conversionis negotio agere, minime vero de poenitentibus, qui leviter ac ficte procedere iudicantur. Et sane graviter erraret confessarius, qui eiusmodi poenitentibus se dolere et emendationem proponere affirmantibus fidem haberet eosque absolveret[3]).

c. Modus confessionis: facile enim ex modo, quo poenitens candide et humiliter se accusat, deprehendere potest confessarius ipsum serio et sincere agere et displicentiam suorum peccatorum et melioris vitae propositum concepisse.

d. Circumstantiae poenitentis: quandoque enim deprehendit confessarius in poenitente aliquam circumstantiam, quae indicium est seriae voluntatis cavendi in posterum peccata: α. si iam adhibuit aliquam curam cavendi peccata et exstirpandi vitiorum consuetudinem; β. si admonitus de remediis libenter promittit se ea adhibiturum esse, praesertim si antea nunquam monitus fuerat; γ. si ad confessionem accedit ex peculiari aliquo motivo e. g. concionis auditae, mortis amici, ex timore morbi conta-

---

[1]) In 4. dist. q. 3. a. 3. qc. 5. ad 2.

[2]) *Suarez* disp. 32. sect. 2. n. 2.

[3]) Ideo damnata est haec propositio (60) ab *Innocentio XI.*: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi . . etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

giosi etc.; δ. si confitetur peccata prius culpabiliter omissa; ε. si complevit difficilem obligationem e. g. restitutionis, cuius impletionem hucusque distulerat; ζ. si ad confessionem instituendam incommodum subire debuit ut longum iter.

Post *s. Alphonsum* usus iam invaluit distinguendi signa dispositionis *ordinaria* et *extraordinaria* [redacted] specialia. Extraordinaria non ideo vocantur, quod dispositionem extraordinariam ac perfectiorem significent aut significare debeant, sed ita vocari solent, ut ab ordinariis distinguantur. Signa ordinaria haec duo sunt, confessio rite peracta et assertio poenitentis se dolere et emendationem proponere. Signa extraordinaria, quae enumerat s. Alphonsus (n. 460), fere ea sunt, quae ex circumstantiis poenitentis desumuntur.

§ 3. De obligatione absolvendi.

391. *De absolutione concedenda, differenda aut neganda regulae generales*[1]).

1. *Poenitens sufficienter dispositus per se sub gravi ex iustitia absolvi debet:* nam *a.* poenitens rite dispositus ius habet recipiendi absolutionem, cum sacerdos confessionem excipiens hoc ipso tacito contractu se obligat ad conferendam absolutionem ei, qui confessionem rite peregit et dispositus apparet. *b.* Generatim absolutio statim concessa poenitenti magis prodest quam eius dilatio: emergit enim e miserrimo statu peccati, particeps fit gratiarum et bonorum, quae iustis conceduntur, peccatoribus autem negantur, ac tandem gratia utriusque sacramenti poenitentiae et eucharistiae in emendatione vitae iuvatur.

α. Licet etiam poenitens, qui sola venialia accusavit, ius habeat accipiendi absolutionem, modo sit rite dispositus; si tamen aliquoties tantum sine absolutione cum sola benedictione dimittatur, gravis iniuria ei non irrogatur; ideoque [redacted] rationabili causa quandoque sine peccato id fieri posset.

β. Illi quoque auctores, qui opinantur licitam esse confessionem venialium mere genericam (n. 231), concedunt poenitentem, qui de

[1]) Cf. *Bucceroni*, Commentarius de absolutione danda, differenda, deneganda[2] (Romae. Armanni. 1889). *Pighi*, De iudicio sacramentali[3] (Veronae. Cinquetti. 1897).

venialibus vel de mortalibus iam remissis in genere tantum se accusat, cum in specie confiteri posset, et confessario petenti distincte confiteri renuit, ius accipiendi absolutionem non habere: confessarius enim recipiens poenitentem non intendit se obligare ad eum absolvendum, nisi confiteatur more in ecclesia recepto.

2. *Poenitenti etiam sufficienter dispositio differri potest absolutio, si confessarius id ei vere utile esse iudicaverit:* licet enim ius habeat ad absolutionem, non tamen ius habet, ut illam statim accipiat, ubi dilatio utilis videatur sive ad horrorem incutiendum de peccatis commissis sive ad firmandam voluntatem in proposito non peccandi.

a. Est communissima theologorum sententia, dilationem absolutionis *aliquando,* si prudenter adhibeatur, poenitentibus praesertim occasionariis et recidivis, *utilem* fore. Licet vero quandoque magna sit dilatae absolutionis utilitas, ipsa tamen nunquam dici potest medium *necessarium,* quod a confessario ad procurandam poenitentis rite dispositi salutem et emendationem adhiberi debeat. Dilatio absolutionis tum solum necessaria dici potest, cum confessarius de sufficienti poenitentis dispositione dubitat: in hoc namque casu ipsa potest esse medium unicum et necessarium, ex quo confessarius de dispositione iudicet, at quoad poenitentem rite dispositum dilatio absolutionis nunquam praecepta et necessaria dici potest.

b. Ratio igitur unica, ob quam poenitenti rite disposito differri possit absolutio, est spiritualis eius utilitas. Haec utilitas in eo potissimum consistit, quod poenitens ex difficultate obtinendi absolutionem melius cognoscit peccati gravitatem maioremque de peccatis commissis horrorem concipit, et quod debilis eius voluntas in proposito emendationis confirmatur. Sicut ergo confessarius praevidens dilationem absolutionis poenitenti magis obfuturam quam profuturam, iniuste agit, si nihilominus eam differat, ita exsistente spirituali poenitentis utilitate per se etiam ipso invito eam licite differre potest.

c. Dilatio tamen absolutionis vix unquam proderit, nisi ipse poenitens in dilationem consentiat: etenim si rem aegre fert, ex dilatione potius offenditur quam emendatur; quare timendum est, ne hac ratione a sacramentis suscipiendis penitus alienetur. Ideo normae instar dici potest: *non est differenda absolutio poenitenti disposito, si ipse sit invitus.*

d. Absolutio non est differenda nisi *ad breve tempus:* ad paucos dies, ad hebdomadam, non autem ad quindecim dies, multo minus ad mensem: diuturnior enim dilatio poenitenti magis obest quam prodest, cum grave sit, per plures dies in statu peccati mortalis manere tum propter periculum mortis, quod semper imminet, tum propter innumera bona, quibus privatur homo, qui in peccato est.

e. Ex quibus sequitur non posse generali regula definiri, quando differenda sit absolutio, sed, ut ait s. Leonardus a P. M., „totum deserendum est *prudentiae confessarii,* qui in casibus particularibus non debet sequi genium, neque naturam, neque compromissum, neque aliorum exemplum, sed solum unctionem Spiritus Sancti comitatam a bona doctrina et studio orationis."

Nota. Si tamen poenitens in dilationem non consentiat, sed absolutionem explicite petat, haec ei concedenda est. Disposito enim dilatio utilis non est, si ipso invito absolutio differatur. Ideo novus *Codex* cn. 886 haec habet: Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est.

3. *Poenitenti certe indisposito semper neganda est absolutio:* qui enim indispositum absolvit, grave sacrilegium committit, nec ulla poenitentis necessitas confessarium ab hoc peccato excusare potest.

Qui tamen imparati atque indispositi ad peragendam confessionem accedunt, opera et industria studiosi confessarii cum Dei gratia ad absolutionnm recipiendam disponi possunt. Atqui si dent sufficientia signa doloris et propositi, nihil impedit, quominus etiam illi statim absolvantur, qui imparati et indispositi ad confessionem accesserant. Qui existimant poenitentes, qui imparati ad confessionem accedunt, monitione et exhortatione confessarii rite disponi non posse, doctrinae et praxi tum sanctorum tum magni nominis theologorum refragantur[1]).

4. *Poenitens dubie dispositus absolvi non potest, nisi adsit gravis causa,* ob quam absolutio sub condicione dari possit aut etiam debeat: ratio *primi* est, ne sacramentum exponatur periculo nullitatis; ratio *secundi* est, quia sacramenta sunt propter homines.

a. Dubie dispositus sub condicione absolvi *potest* aut etiam *debet,* si est in articulo mortis, si alias notam infamiae incurreret, eo quod suspicionnem negatae absolutionis ingerat, si alias a sacramentis alienaretur, si diu carere deberet gratia sacramenti, si apud alium sacerdotem confessionem repetere cogeretur, si urgeret praeceptum annuae confessionis etc.; etiam sponsi dubie dispositi, qui mox contracturi sunt matrimonium, condicionate absolvi possunt, ne certo sacrilege contrahant.

b. Frequenter res ita habebit, ut absolutio quidem dari possit, quia dispositionis aliqua indicia adsint, sed differri etiam possit, quia prudens iudicium de dispositione formari nequeat. In hisce adiunctis expendat confessarius, quid considerata indole poenitentis magis ad

[1]) Ea, quae sapienter monet *Ballerini: De poenitente minus disposito iuvando,* digna sunt, quae legantur. *Ballerini-Palmieri* V. n. 18 ss.

eius salutem expediat. Quoniam vero nostro tempore valde timendum est, ne non absoluti non amplius redeant, nisi sint firma fide animati, generatim magis proderit saluti animarum confessarius, qui sit dives in misericordia et poenitentem non in aliud tempus dimittat, sed omnem suam curam et operam impendat, ut cum divina gratia ad validam absolutionem recipiendam eum disponat et dispositum absolvat: si enim absolutio differtur, elapso tempore vix magis dispositus redibit.

Nota. Quoniam regulae generales de absolvendis poenitentibus supra statutae in quibusdam casibus peculiarem difficultatem faciunt, in specie agendum est: *a.* de absolvendis *consuetudinariis; b.* de absolvendis *recidivis*; *c.* de absolvendis *occassionariis.*

Articulus quintus.

De absolvendis consuetudinariis.

392. Notio. 1. *Consuetudinarius* seu habituatus dicitur, qui ex repetitione peccatorum eiusdem generis pravam inclinationem seu habitum contraxit eadem peccata committendi. *Consuetudo* seu habitus peccandi est quaedam facilitas et propensio ex repetitis peccatis inducta eadem peccata committendi.

Ad consuetudinem constituendam duo elementa essentialiter concurrunt, frequentia peccatorum eiusdem generis et quaedam distantia et simul propinquitas inter singulos lapsus: peccata enim saepius iterata non inducunt consuetudinem, neque si nimis ab invicem distant, neque si nimis propinqua sunt, ut si eadem die committerentur, postea vero omitterentur.

2. Quando contracta censeatur prava consuetudo, accurate definiri non potest, quia id dependet tum a peccantis indole, tum a longiore vel breviore tempore, quod inter actus peccaminosos intercedit, tum praesertim a peccati natura: quo facilius enim aliquod peccatum committitur, eo plures actus intra certum tempus requiruntur ad contrahendam consuetudinem; et cum facilius committantur peccata interna (ad quae revocantur etiam peccata oris) quam externa, generatim plures actus requiruntur ad inducendum habitum in peccatis internis (et oris) quam in peccatis externis.

a. Qui per notabile tempus e. g. per integrum annum quinquies in mense peccatum externum commisit, immo in materia luxuriae etiam qui

bis vel semel in mense per annum peccavit, consuetudinem contraxisse censendus est.

b. Qui semel quotidie per longius tempus pravis desideriis vel blasphemiis peccat, consuetudinarius est, quin etiam is, qui haec eadem peccata ter quaterve in hebdomada per aliquod tempus committit, consuetudinarius dicendus est.

393. Norma absolvendi. Consuetudinarius quilibet *absolvi potest et debet, etsi nulla emendatio praecesserit*, modo serio emendationem proponat: nam prava consuetudo non est peccatum, sed inclinatio ad peccatum, ideo cum vera cordis dispositione consistere potest.

a. Iusto severiores sunt, qui, antequam absolutionem concedant, a poenitente exigant, ut pravum habitum deposuerit et relapsus emendaverit. Etsi enim vitae emendatio sit optimum, non est tamen unicum proindeque nec necessarium dispositionis signum, sed ante emendationem et sine ea vera dispositio adesse potest. Immo ne ex eo quidem, quod quis statim post confessionem in idem peccatum relabitur, defectus doloris et propositi recte arguitur. Fieri enim potest, ut animus a rebus mundanis avocatus aeternasque veritates recogitans auxiliante gratia verum dolorem et propositum concipiat, sed statim postea, ubi sensibus iterum se obiiciant res mundanae et occasiones peccandi, idem animus vehementer allectus et excitatus, quae est eius mutabilitas atque infirmitas, iterum peccato adhaereat, adeo ut is, qui modo conversus erat ad Deum, nunc iterum convertatur ad creaturas. Nihilominus si poenitens saepius iam admonitus sine ulla emendatione redeat, prudens ingerit dubium de defectu verae dispositionis, etsi se dolere affirmet.

b. Si consuetudinarius *saepius confiteri recuset*, per se non potest ei negari absolutio, tum quia frequentior confessio non est praecepta, tum quia alia media emendationis iniungi possunt. Quod si alia media non iudicarentur satis efficacia, ut accidere potest habituatis in vitiis carnis, utique neganda esset absolutio ei, qui recusaret uti emendationis medio moraliter necessario neque admodum difficili.

Articulus sextus.

De absolvendis recidivis.

394. Notio. *Recidivus* simpliciter et generatim dicitur ille habituatus, qui post confessionem in idem peccatum relapsus est; recidivus autem *formaliter* seu sensu theologico

dicitur habituatus, qui idem peccatum pluries iam confessus est et semper eodem modo relabitur. Tria ergo requiruntur, ut quis vere recidivus dici possit:

a. Ut pravum peccandi *habitum* contraxerit.

Per se quidem necesse non est, ut recidivus sit consuetudinarius: si quis enim quater per annum confitetur et singulis vicibus de peccato pollutionis semel commisso se accusat, est recidivus, sed consuetudinarius non est: nam quatuor lapsus per annum non sufficiunt ad contrahendum habitum; de facto autem recidivus vix non semper erit simul consuetudinarius.

b. Ut idem peccatum iam *pluries* (ter quaterve) *confessus sit.*

Ergo poenitens, qui primis duabus vel tribus vicibus idem peccatum confitetur, stricte recidivus non est, quocirca tractandus est ut simplex peccator, si pravum habitum nondum contraxit, vel ut simplex consuetudinarius, si habitum peccandi iam contraxit; quare non est peculiaris ratio dubitandi de horum dispositione, ubi serio se dolere dicant.

c. Ut *nullo emendationis* studio adhibito relapsus sit; qui ergo per aliquod tempus media a confessario praescripta adhibuit et contra tentationes strenue pugnavit, etsi postea iterum lapsus sit, non est proprie recidivus.

395. Norma absolvendi. 1. Recidivus, qui prudenter dispositus iudicatur, *per se semper absoli potest:* qui enim vere iudicari potest dispositus, absolvi potest, licet recidivus sit: ad validam enim et licitam absolutionem aliud non requiritur, nisi ut actu dispositus sit; ad veram dispositionem autem non requiritur futura emendatio, neque illam impedit praevisio futuri relapsus.

2. Quoad recidivos autem difficultas est in formando iudicio de eorum dispositione: ex frequenti enim relapsu in eadem peccata gravis ingeritur suspicio pravae alicuius adhaesionis, exigui horroris peccati et defectus seriae voluntatis sese emendandi. Haec suspicio dubiam reddit eorum dispositionem, etsi affirment se de peccatis suis dolere, ideoque impedit, quominus prudenter iudicari possint dispositi, nisi peculiaris aliqua ratio accedat, qua dubium de dispositione sufficienter removeatur.

a. Prudentiae et discretioni confessarii, cui gratiae auxilium semper assistit, committendum est, ut iudicium de poenitentis dispositione sibi efformet, in quo efformando imprimis propria experientia, deinde etiam attentio ad quaedam signa particularia eum iuvabit (n. 390.)

b. Ut iudicium de dispositione recidivi facilius efformari possit, notandum est multos esse recidivos *ex fragilitate,* cuiusmodi sunt, qui saepius quidem in eadam peccata relabuntur, quibus tamen peccatum habitualiter displicet, qui proinde peccatum post lapsum mox detestantur et emendationem proponunt, tentationi etiam ad tempus aliquo modo resistunt, sed deinde tum ex infirmitate voluntatis tum ex vehementia tentationis iterum succumbunt. De horum quidem dispositione non est dubitandum. Verum sunt et alii recidivi *ex mala voluntate,* qui scilicet obiecto peccati pravo affectu adhaerent et ex pravo hocce affectu in eadem peccata saepius relabuntur; sed nihilo minus sive ex assuetudine sive ex respectu humano quandoque ad sacramenta accedunt, nec veram et sinceram emendationis voluntatem concipiunt. Horum dispositio non dubia, sed potius nulla est. Atqui bonus confessarius miseros hosce peccatores non sine absolutione dimittit, sed salutaribus monitis ad emendationem vitae disponere conabitur. Quod si mutatae voluntatis indicia vere in iis deprehendat, hos quoque recidivos absolvere potest.

396. Num recidivo differenda sit absolutio.

a. Si recidivus alioquin rite dispositus relapsus sit *ex fragilitate interna,* ut in peccata pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae etc., ordinarie maior fructus sperandus est ex gratia sacramenti quam ex dilatione absolutionis. Aliquando tamen prudenti confessario etiam in hoc peccantium genere profutura videbitur dilatio absolutionis, praesertim si remedia negligenter adhibeantur.

b. Si recidivus alioquin rite dispositus relapsus sit in *occasione externa* vel quia *obligationem* (e. g. revocandi calumniam, se reconciliandi) *non implevit,* ordinarie expedit, ut differatur absolutio, donec dimissa sit occasio vel impleta obligatio: qui enim saepius iam fidem fregit, eius voluntas, etsi bona, hoc remedio dilatae absolutionis firmari debet.

Dilatio absolutionis cum apta monitione praesertim *in iunioribus poenitentibus* levioris indolis ceteroquin pie ac religiose educatis, qui aut obligitionem non implent aut pravum habitum non deponunt, op-

timum medium est incutiendi maiorem peccati detestationem et firmandi debilem eorum voluntatem.

c. Si recidivus est *dubie dispositus* et non urget necessitas eum sub condicione absolvendi, per se differenda est absolutio, ut hac ratione de voluntate poenitentis per experientiam constare possit. Verum quia nostris temporibus praesertim in civitatibus, in quibus fides languet et officia christiana negliguntur, negatio seu dilatio absolutionis plerumque parum prodest, immo peccatores potius offensos atque indignatos reddit magisque indurat, ordinarie melius agit confessarius, qui talem poenitentem ad dolorem et propositum disponere conatur, ei particularia media emendationis praescribit eumque absolvit.

Nota. Ne perperam intelligatur et applicetur theoria *s. Alphonsi de signis extraordinariis dispositionis*, notandum est: α. In occasionariis et recidivis non requiri extraordinarium seu maiorem dolorem et firmius propositum: modo enim sufficiens dispositio adsit, tuto absolvi possunt. β. Occasionarius et recidivus semper absolvi potest, modo a confessario prudenter iudicari possit vere dispositus, qualecunque sit signum, in quo fundetur eius iudicium: sive ordinarium, sive extraordinarium, sive poenitens ad confessionem illud attulerit sive in confessione ad monitionem confessarii tandem exhibuerit. γ. Quare imprudenter ageret confessarius, qui occasionarium aut recidivum simpliciter indispositum iudicaret, nisi in ipso deprehenderet unum alterumve ex signis extraordinariis, et imprudentius, qui eiusmodi recidivo absolute differret absolutionem, quin curam et conatum adhibuerit salutaribus monitis ad dolorem et propositum eum perducendi. Quod si confessarius apte praestiterit, plerumque accidet, quod his verbis asseritur: „fieri non potest, quin signum aliquod sufficiens animi sui poenitens exhibeat; proindeque affirmanti [redacted] sincere agere atque ea, quae confessarius exigat, praestare se velle, potest confessarius tuta conscientia absolutionem impertire, etiamsi poenitens aliud conversionis suae signum nullum in antecessum dederit“ [1]).

Casus. Recidivi in ebrietate et qua tales publice noti, qui singulis fere hebdomadis vel saepius adhuc [redacted] inebriant, non omnino a sacramentis repellendi, sed ordinarie nec statim ad illa admittendi sunt. Non *primum*, quia de nullius hominis emendatione desperandum est; non *alterum*, imprimis quia absolvi nequit, qui post breve tempus

[1]) *Salvatori* apud *Ballerini-Palmieri* V. n. 187.

propositum violaturus praevidetur nisi urgeat necessitas: etenim timendum esset scandalum, si statim post suscepta sacramenta relaberetur; deinde quia publicum scandalum antea reparari debet. Itaque eiusmodi poenitenti differenda est absolutio, donec aliquatenus saltem [redacted] emendaverit. Quin etiam in casu, quo ob extraordinarium signum poenitentiae statim absolutus fuisset, praestat [redacted] non statim ad s. communionem admittere, tum ut publicum scandalum reali emendatione interim reparetur, tum ut scandalum ex relapsu forte oriturum praecaveatur.

Articulus septimus.

De absolvendis occasionariis.

397. Notio occasionis. *Occasio* peccati generatim definitur circumstantia externa, quae homini opportunitatem peccandi praebet eumque ad peccandum allicit.

a. Circumstantia potest [redacted] *res* ut liber pravus, vel *persona* ut amasia pro amasio. *b. Externa;* differt ergo occasio a *periculo* peccandi, quo nomine intelligitur, quidquid ad peccandum movet, sive externum illud est sive internum; quare latius patet periculum quam occasio peccandi. *c.* Duo in occasione considerari debent: commoditas peccandi quam ipsa homini praebet, et impulsus ad peccandum; licet ergo occasio cum scandalo conveniat, in scandalo tamen magis consideratur res, prout ad peccandum impellit, in occasione autem magis prout opportunitatem peccandi praebet. *d.* Ad constituendam occasionem duo concurrunt: ex parte obiecti impulsus et opportunitas ad peccatum, ex parte subiecti propensio et inclinatio ad peccatum.

398. Divisio occasionis. 1. Occasio alia est remota, alia proxima. *Remota* illa dicitur, in qua periculum peccandi leve est, in qua proinde homines plerumque non peccant; *proxima* illa dicitur, in qua periculum peccandi grave est, in qua proinde homines plerumque peccant.

Occasio dicitur *proxima* vel *remota* ex coniunctione eius cum peccato; si morali quadam necessitate cum peccato coniuncta est, proxima, secus remota dicitur. Maior vel minor coniunctio occasionis cum peccato potissimum desumitur ex frequentia lapsuum eius, qui in occasione reperitur. Iam quanta debeat esse haec frequentia, ut occasio possit dici proxima seu moraliter necessario cum peccato coniuncta non potest facile determinari; inde est, quod theologi diversimode

occasionem proximam definiant: alii enim occasionem proximam illam dicunt, in qua homines semper aut fere semper peccant, seu in qua nunquam aut fere nunquam a peccato abstinent; alii: in qua homines ut plurimum peccant; alii: in qua homines frequenter peccant[1]). Affirmari potest occasionem esse proximam, quando adest moralis certitudo hominem in ea esse peccaturum seu quando deest solida probabilitas hominem in ea vitaturum esse peccatum. Iam vero utrum in particulari casu adsit moralis certitudo peccandi necne, diiudicari debet: *a. ex frequentia relapsus* per experientiam cognita, ubi nimirum poenitens iam in occasione versabatur atque in ea plerumque peccavit; *b. ex indole poenitentis*, ubi nempe ex vehementia tentationis et ex nota fragilitate poenitentis ante omnem experientiam iudicari debet in hac occasione fere semper futurum esse peccatum; *c. ex communi contingentia*, frequenter enim gravitas periculi diiudicari debet ex hac regula: quod aliis in iisdem adiunctis est occasio proxima, id etiam huic erit.

2. Occasio *proxima* alia est proxima *absolute* seu per se, alia per accidens seu *relative*. Prior ea est, quae communiter pro omnibus hominibus proximum peccandi periculum inducit ut aspectus fixus rei valde turpis; posterior ea est, quae proximum peccandi periculum solum pro determinato aliquo homine ob propriam eius fragilitatem inducit ut accessus ad cauponam.

3. Occasio proxima alia est voluntaria, alia necessaria: *voluntaria* ea est, quae facile seu cum levi incommodo vitari potest; *necessaria* ea est, quae vel physice vel moraliter removeri non potest; *physice*, si quis e. g. in eodem carcere sit inclusus cum occasione peccandi; *moraliter*, si occasio dimitti non potest nisi cum magna difficultate vel cum magno detrimento in bonis vitae vel fortunae vel famae.

a. In praxi non facile credendum, sed in rei veritatem prudenter inquirendum est, si constitutus in occasione praetendat, solum cum magno damno se occasionem dimittere posse: affectus enim ad peccatum saepe auget occasionis removendae difficultatem.

b. Ad iudicium formandum, utrum damnum, quod aliquis subire debet ad fugiendam vel dimittendam occasionem, revera sit notabile necne, ad adiuncta personarum attendendum illudque pro diversitate personarum ex communi hominum timoratorum aestimatione taxandum

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14. sect. 10. n. 148 ss.

est. Notat *s. Alphonsus* (n. 455) non excusari mediocriter divitem, qui, ne patiatur damnum centum ducatorum (c. 800 cor.), occasionem deserere nollet.

4. Occasio proxima alia est continua seu praesens, alia interrupta seu non praesens: *continua* seu *in esse* ea est, quam quis semper secum habet, quin eam quaerat ut liber obscoenus vel turpis statua, quam domi retinet; interrupta seu *non in esse* ea est, quam non quidem secum habet, sed facile reperire potest ut caupona pro ebrioso, amasia pro amasio, ludus pro eo, qui ludendo solet blasphemare.

399. De absolvendis occasionariis in occasione proxima libera. 1. Nequit absolvi poenitens, qui non vult vitare occasionem proximam graviter peccandi, quam facile vitare potest: qui enim non vult vitare eiusmodi occasionem proximam, non habet efficacem voluntatem non amplius peccandi, et proinde ad absolutionem obtinendam non est dispositus, cum ipsa voluntas permanendi in occasione proxima sit grave peccatum.

Non licet admittere excusationem, quo poenitentes promittunt se occasionem proximam adhibitis remediis non peccandi reddituros esse remotam, quando eam sine difficultate vitare possunt: nam non licet temere se exponere periculo peccandi, quod facile vitari potest, sed plane fugiendum illud est.

2. Qui promittit se derelicturum esse occasionem proximam liberam, sive occasio continua sive interrupta est, per se absolvi potest, dummodo confessarius eius promissioni prudenter credere possit. Qui enim sufficienter dispositus iudicatur, per se semper absolvi potest, immo ordinarie absolutio concessa ei magis proderit quam eius dilatio, quia gratia sacramenti in exequendo proposito eum iuvabit.

Attamen si iam saepius absolutus non stetit promissis, sed in occasione relapsus est, non est absolvendus, nisi prius occasionem dimiserit: recte enim suspicari debet confessarius, ne non habeat firmum propositum; insuper etsi iudicari possit dispositus, prudentia suadet, ut hoc medio dilatae absolutionis infirma poenitentis voluntas in

exequendo proposito iuvetur, praesertim si occasio sit in esse. Cum tamen poenitens etiam post iteratos relapsus absolute loquendo possit vere esse dispositus, non prohibetur absolvi, si urget ratio iterum concedendi absolutionem, antequam occasionem dimiserit, modo serio doleat et emendationem proponat.

Sunt, qui in hoc casu occasionis proximae voluntariae *in esse* sequentem regulam statuant: non potest absolvi poenitens, ne prima vice quidem, nisi prius occasionem dimiserit, etsi dispositus sit[1]). Patet hanc regulam, si de stricta obligatione differendi aut negandi absolutionem accipiatur, nimis duram esse: cum enim poenitens supponatur sufficienter dispositus, negatio absolutionis rationem remedii habet, quo praecaveatur relapsus; atqui confessarius non potest obligari ad praescribendum remedium, quod non est omnino necessarium, neque ius habet tale remedium iniungendi. Attamen negari non potest prudentiam quandoque suadere, ut iam statim prima vice differatur absolutio, donec reipsa dimissa sit occasio, ubi nempe absolutionis dilatio poenitenti profutura iudicetur, ut si agatur de dimittenda concubina.

400. De absolvendis occasionariis in occasione proxima necessaria. 1. Qui non vult deserere occasionem proximam moraliter necessariam graviter peccandi, absolvi potest, dummodo promittat adhibere remedia non peccandi. Constitutus enim in occasione necessaria iudicari debet dispositus, si adhibere velit apta remedia non peccandi, cum non exsistat absoluta obligatio deserendi occasionem, utpote non voluntariam, sed solum hypothetica, aut adhibendi remedia aut deserendi occasionem.

a. Remedia, quibus occasio proxima potest reddi remota sunt; diligens oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidiana renovatio propositi non amplius peccandi, non versari solus cum sola, fugere ab aspectu complicis etc.[2]).

b. Quantum debeat esse incommodum, quod a deserenda occasione proxima excuset, regula generali definiri nequit, sed in particulari casu prudenti iudicio confessarii determinandum est. Certe non excusat incommodum mediocriter grave, quod a praeceptis ecclesiae servandi abstinentiam vel audiendi sacrum sufficienter excusat, sed neque requiritur moralis impossibilitas deserendi occasionem. Ceterum confessarius

[1]) *S. Alphonsus* n. 454.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 151. *S. Alphonsus* n. 455.

diligenter considerans particulares casus, in quibus probati auctores constitutum in occasione proxima necessaria absolvendum putant, iudicium suum in hac re formare poterit[1]).

2. Si constitutus in occasione proxima necessaria post plures confessiones cum iisdem peccatis absque ulla emendatione redit, non est absolute exigendum, ut occasionem deserat, sed adhuc absolvi potest, si serio velit adhibere media, quibus occasio ex proxima fiat remota: posita enim hac voluntate sufficienter dispositus est, etsi occasionem removere nolit. Utrum in casu particulari exigenda sit occasionis dimissio an enixius commendandus sit usus mediorum, prudentiae confessarii reliquendum est; generatim dici potest exigendum non esse, ut dimittatur occasio, si multo difficilius est occasionem dimittere, quam adhibitis remediis peccatum vitare.

In hoc casu complures auctores cum *s. Alphonso* (n. 457) hanc regulam statuunt, poenitentem non posse absolvi nisi occasionem deserat, etsi gravissimum incommodum, iactura bonorum, famae, ipsius vitae subeundum sit: cum enim nulla appareat spes emendationis, applicanda sunt verba Salvatoris: *quodsi oculus tuus scandalizat te* etc.[2]). Alii tamen opinantur non esse necessario eousque procedendum: ex eo enim, quod post plures relapsus nulla est secuta emendatio, non est inferendum nullam superesse spem emendationis, sed hoc unum, aut media proposita non fuisse sufficientia, aut ea non fuisse adhibita[3]). Quodsi de hoc ultimo constat, serio monendus est poenitens, ut aut remedia diligentius adhibeat aut occasionem etiam cum gravissimo incommodo deserat.

Articulus octavus.

De obligatione corrigendi defectus.

401. Praenotiones. 1. Defectus a confessario commissi triplicis generis esse possunt: vel enim versantur *a.* circa valorem sacramenti, ut si confessarius non ab-

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 151. *S. Alphonsus* n. 455. *Berardi* De recidivis et occasionariis II. p. 98. ss.

[2]) Marc. 9, 46.

[3]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 119.

solvit vel absolvit indispositum; *b.* circa integritatem sacramenti, ut si de specie et numero peccatorum non interrogavit vel poenitentiam non imposuit; *c.* circa obligationes poenitentis et quidem vel in damnum temporale ipsius poenitentis vel tertii, ut si indebite ad restitutionem obligavit vel ab ea facienda deobligavit, vel sine alicuius damno temporali, ut si de occasione deserenda non monuit.

2. Ut gradus obligationis in reparandis defectibus rite determinari possit, complura adiuncta defectus commissi considerari debent.

a. Defectus commissus potest esse *culpabilis* vel *inculpabilis;* culpabilis dicitur, si cum gravi culpa confessarii committitur, inculpabilis dicitur, si sine culpa confessarii vel cum levi eius culpa committitur. Patet multo maiorem esse obligationem eius, qui culpabiliter, quam eius, qui citra culpam defectum commisit.

b. Defectus aut *positive* committi potest aliquid agendo, aut *negative* aliquid omittendo, quod agendum erat. Ad determinandam obligationem reparationis, quando defectus committitur in damnum temporale poenitentis aut tertii, advertendum est, utrum defectus positive commissus fuerit an negative, omittendo actionem debitam.

c. Ad corrigendos defectus confessarius teneri potest aut *ex iustitia* aut solum *ex caritate.* Quia obligatio iustitiae gravior est quam obligatio caritatis, illa etiam cum gravi incommodo obligat, si defectus cum gravi culpa commissus fuerit.

Ex *iustitia* defectum reparare tenetur, si defectus versatur circa valorem sacramenti, vel si in damnum poenitentis vel tertii positiva actione influxit. Ex sola *caritate* tenetur, si defectus non versatur circa valorem sacramenti, et si in damnum poenitentis vel tertii negative tantum influxit.

d. Fieri potest, ut ex commisso defectu poenitens *nullum animae periculum* subeat, ut si sanus in bona fide exsistens invalide absolvitur: si enim postea attritus ad s. communionem accedit, consequitur gratiam sanctificantem, vel saltem per sequentem absolutionem peccata illa indirecte remittuntur: at fieri etiam potest, ut poenitens ex

errore commisso in *periculum salutis* adducatur, ut si moribundus, qui aliud sacramentum suscipere nequit, invalide absolvitur.

Nota. 1. In singulis casibus sequentibus duo in quaestionem veniunt: *a. quanta* sit obligatio corrigendi defectum commissum; *b.* quo *modo* defectus corrigendus sit.

2. Quoad modum; *a.* Alii defectus inscio poenitente corrigi possunt, ut si non absolutus ad eundem confessarium redeat. *b.* Si cum ipso poenitente loqui necesse sit, dispiciendum est, num de re loquendum sit, quae sub sigillo est: in hoc enim casu non licet loqui, nisi petita prius et obtenta licentia poenitentis. *c.* Alii defectus reparari debent etiam extra confessionem; de aliis satis est, ut reparentur intra confessionem. Quantum fieri potest, evitari debet reparatio extra confessionem, quia tum confessario tum poenitenti molesta est. Quare si poenitens ad confessarium rediturus praevideatur, nec periculum sit in mora, praestat rem in sequenti confessione componere. *d.* Tandem fieri potest, ut confessarius non cognoscat poenitentem sive tertiam personam, cui damnum illatum est; quo in casu nihil restat, nisi ut confessarius de culpa, si quam commisit, poeniteat, ceterum vero rem totam Deo commendet.

402. Si agitur de valore sacramenti. 1. Defectus *culpabilis* circa valorem sacramenti reparandus est etiam cum gravi incommodo, si alias poenitens grave damnum pateretur, quia hic occurrit obligatio iustitiae. Quodsi grave damnum spirituale in poenitente timendum non est, in bona fide relinqui potest: in sequenti enim confessione illa peccata remittentur.

Confessarius ergo, qui e. g. poenitentem peccatorum mortalium reum non absolvit, aut quia oblitus est absolvere aut male absolutionem protulit aut sine iurisdictione absolvit, supposito periculo salutis in poenitente, etiam cum gravi suo incommodo eum adire debet, et in hoc quidem casu, in quo agitur de danda absolutione, potest errorem etiam non petita licentia aperire, dicendo se non absolvisse, quia obligatio sigilli hic non intercedit. In aliis autem casibus, ubi e. g. non dixerat aut male dixerat, quae ratione obligationum poenitentis dicenda fuissent, semper prius petenda est licentia loquendi de rebus ad confessionem pertinentibus, tum quia iudicium sacramentale iam est completum, tum quia monitio censetur esse veluti exprobratio peccati extra confessionem facta, quae poenitenti esset molesta et sacramentum redderet odiosum.

2. Defectus *inculpabilis* circa valorem sacramenti, etiam supposito gravi damno poenitentis, reparari non debet cum gravi incommodo, nisi poenitens sit in periculo moriendi in statu peccati: hic enim sola obligatio caritatis habetur, quae non urget cum gravi incommodo nisi in extrema necessitate, si e. g. moribundus invalide absolutus esset.

a. Si in hunc finem (sc. ad eum absolvendum) adeundus esset infirmus non absolutus, hic de defectu moneri et induci deberet ad dolorem de peccatis eliciendum, ad confitenda peccata, si quae interim commissa fuissent, et ad peccata iam antea declarata generali formula iterum accusanda, quo facto absolvi posset. Quodsi monitio sit permolesta et supponi possit mortale peccatum interim non esse commissum, absolutio etiam non monito poenitente concedi potest, cum unio moralis inter confessionem et absolutionem tum ratione temporis (etiam post plures dies) tum ratione doloris adhuc perduret. — Item si poenitens non absolutus ad eundem confessarium rediret, non necessario de errore moneri deberet sed sufficeret illum inducere ad dolorem eliciendum de peccatis in ultima confessione accusatis et ad ea in genere iterum accusanda: nam hac ratione etiam ab illis directe absolvitur.

b. Si eiusmodi infirmus non absolutus postea viaticum, praesertim vero si extremam unctionem recepisset, non deberet necessario de defectu moneri, quia grave damnum non pateretur, cum per extremam unctionem iam certo iustificatus supponi possit.

403. Si agitur de integritate sacramenti. 1. Defectus sive culpabilis sive inculpabilis circa integritatem *positive* commissus, si confessarius e. g. causa est, cur poenitens putet se accusare non debere numerum et speciem peccatorum, reparari debet, cum praevia poenitentis licentia, *etiam extra confessionem,* modo sine gravi damno aut scandalo fieri possit: ratio *primi* est, quia quilibet tenetur removere causam mali, quam ipse posuit; ratio *secundi* est, quia grave damnum poenitentem a servanda, ergo a fortiori etiam confessarium a procuranda integritate excusat.

2. Defectus sive culpabilis sive inculpabilis circa integritatem *negative* commissus, si e. g. non interrogavit de specie et numero, poenitentiam non imposuit, remedia

non praescripsit, reparari *non debet extra confessionem:* obligatio enim procurandi integritatem per se et directe afficit poenitentem, et confessarium solum indirecte, vel si per se confessarium afficit, eum afficit tamquam ministrum sacramenti in confessione; cum igitur in hoc casu ipse non sit causa damni efficax, sufficit, ut in alia confessione tamquam minister sacramenti defectum reparet, si sine gravi incommodo possit.

In praxi tamen, ubi defectus solum versatur circa integritatem confessionis absque damno tertii, confessarius ordinarie ad nihil aliud tenetur, nisi ut de culpa, si quam commisit, doleat: imprimis enim poenitens etiam citra monitionem in sequenti confessione ab alio confessario, qui de specie et numero peccatorum interrogabit, errorem dedocebitur; deinde vero vix unquam deerit grave incommodum tum ex parte poenitentis, cui monitio affert molestiam, tum ex parte confessarii, qui sine detrimento honoris et famae monere non poterit[1]).

404. Si agitur de obligatione poenitentis. 1. Defectus circa obligationes poenitentis, *qui cedit in dæmnum temporale* ipsius poenitentis vel tertii, reparari debet ex iustitia etiam cum gravi incommodo, si confessarius poenitentem *culpabiliter* et *positive* in errorem induxit, quia confessarius est damni causa iniusta et efficax. Et reparari quidem debet in confessione, si poenitens rediturus speratur, et (petita prius licentia) extra confessionem, si non speratur rediturus ad eundem confessarium.

2. Si autem confessarius poenitentem in errorem induxit *inculpabiliter,* tenetur quidem ex iustitia defectum reparare: quilibet enim ex iustitia tenetur impedire, ne ex sua actione alteri damnum sequatur, non tamen cum gravi incommodo, quia damnum intulit cum culpa levi aut materiali tantum.

3. Si tandem confessarius *negative* tantum se habuit, non tenetur ex iustitia, sed solum ex caritate reparare damnum ideoque non cum gravi sed cum maiore vel minore incommodo, quod gravitati damni et culpae proportionatum est.

---

[1]) *Suarez* disp. 32. s. 6. n. 8.

Si defectus a confessario commissus versatur circa obligationem a praecepto ecclesiastico vel naturali impositam, cuius tamen violatio in bonis temporalibus nemini nocet, ut si falso dixisset cras non esse ieiunium vel hunc librum non esse nocivum, ipse ut quilibet alius tenetur corrigere errorem, si commode potest, ne causa sit, ob quam lex a poenitente violetur, etsi materialiter tantum.

405. Obligatio restituendi ex parte confessarii. Ex his colligitur, quando confessarius *ad restitutionem* teneatur sive erga poenitentem sive erga alium loco poenitentis, si nimirum poenitens ipse restitutionem fecisset.

a. Si cum gravi culpa poenitentem positive a facienda restitutione deobligavit et postea errorem non retractavit.

Siquidem in hoc casu imprimis sub gravi et ex iustitia etiam cum gravi incommodo tenetur falsam resolutionem retractare, quia quilibet tenetur praecavere, ne ex sua actione aliis damnum sequatur; quod si facere non potuit aut omisit, damnum ipsum, quod ex suo errore secutum est, reparare tenetur: ipse enim est causa efficax, culpabilis et iniusta damni.

b. Si sine culpa poenitentem positive a facienda restitutione deobligavit et postea errorem cum gravi culpa non retractavit, licet eundem commode revocare potuisset.

Siquidem in hoc casu imprimis tenetur sub gravi et ex iustitia errorem retractare, si sine gravi incommodo potest; quem si retractare sine gravi incommodo non potest, ad restitutionem non tenetur: non ratione falsae resolutionis, quia non erat culpabilis; nec ratione omissae retractationis ex eadem ratione. Quodsi errorem non retractat, etsi commode potest, ad reparationem damni tenetur, non quidem ratione erroris, qui erat inculpabilis, sed ratione omissae retractationis, quae est graviter culpabilis contra iustitiam.

c. Si cum gravi culpa poenitentem ad restitutionem, ad quam non tenebatur, faciendam positive obligavit.

Pari modo in hoc casu imprimis errorem sub gravi et ex iustitia etiam cum gravi incommodo retractare tenetur; quod si efficere aut non potest aut non vult, tenetur reparare ipsum damnum, cuius ipse est causa efficax, iniusta et graviter culpabilis.

d. Si autem poenitentem, etsi cum gravi culpa, de restitutione facienda solum non monuit, non tenetur ipse restituere: nam, ut ad restitutionem obligari possit is, qui damnum alienum non impedivit, requiritur, ut damnum ex officio impedire teneatur; confessarius autem non tenetur

ex iustitia impedire damnum, quod alteri ex omissa poenitentis restitutione contingit[1]).

Articulus nonus.

De obligatione servandi sigilli sacramentalis[1]).

406. Definitio sigilli. *Sigillum sacramentale* seu confessionis definitur: obligatio confessarii servandi silentium de omnibus ex confessione sacramentali cognitis, quorum revelatio sacramentum redderet odiosum. Agendum est *a.* de obligatione; *b.* de subiecto; *c.* de materia; *d.* de laesione sigilli.

α. *Poenitens* non tenetur ad sigillum sacramentale circa ea, quae a confessario audivit, tenetur autem ad secretum naturale et commissum, si eorum manifestatio confessario damnum afferre potest. Hoc secretum poenitentem strictius obligat quam aliud quodcunque secretum, tum quia confessarius ex officio consilia dare tenetur, tum quia se defendere non potest, si secretum iniuste laesum fuerit. Quoniam vero experientia constat poenitentes libenter loqui de iis, quae in confessione acciderunt, cavere debet confessarius, ne quid dicat vel agat, quod nolit aliis manifestari.

β. Sigillum obligat confessarium erga alios tantum, non autem *erga semetipsum;* hinc reprehensione quidem dignus est, at non agit contra sigillum confessarius, qui absque ratione sufficienti res in confessione auditas apud semetipsum recogitet, — qui ad cognoscendos poenitentes oculos ex confessionali in eos coniiciat, — qui alios de nomine poenitentium suorum qua talium interroget, nisi alii ex hac sua agendi ratione rem gravem de poenitente suspicentur.

γ. Haec obligatio non inepte vocatur *sigillum:* sicut enim litterae, quarum obiectum occultum manere debet, sigillo clauduntur et obsignantur, ita dicta in confessione hac obligatione clausa et ceteris abscondita sunt.

§ 1. De obligatione sigilli.

407. Ipsa obligatio. Exsistit obligatio gravis in omni casu tacendi extra confessionem ea, quae sub sigillo sacra-

---

[1]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 497.

[2]) *Schuler,* Die Martyrer des Beichtsiegels[2]. (Würzburg. Bucher, 1892). *Kurtscheid,* Das Beichtsiegel in seiner geschichtlichen Entwicklung (Freiburg. Herder. 1912).

mentali continentur, nisi poenitens loquendi licentiam dederit.

1. *Obligatio* sigilli duplex est: ex *religione,* quia illam exigit reverentia sacramento debita, quod alias fidelibus odiosum fieret, et ex *iustitia,* tum vi pacti impliciti inter confessarium et poenitentem de secreto servando initi, tum ratione damni, quod poenitens pateretur in fama, si peccatum occultum manifestaretur.

a. Quare violatio sigilli *duplicem semper malitiam,* quandoque etiam triplicem habet: ea namque est contra religionem ob laesam reverentiam sacramento debitam, est contra iustitiam ob violatum contractum tacite initum et quandoque etiam ob laesionem famae, ubi nempe manifestatur delictum occultum.

b. Obligatio sigilli *ex triplici fonte* oritur: *ex iure naturali:* intercedit enim veluti pactum implicitum inter confessarium et poenitentem de secreto servando; insuper ius naturae exigit, ne alterius fama iniuste laedatur: ex iure tamen naturae probari non potest sigillum in omni casu servandum esse; *ex iure divino:* nam Christus Dominus, etsi non explicito praecepto, ipsa tamen huius sacramenti institutione prohibuit quamcunque revelationem eorum, quae ad confessionem sacramentalem pertinent; siquidem obligationem sigilli postulat ipsum praeceptum confessionis: qui enim praecipit finem, praecipit etiam media ad finem necessaria; atqui homines nunquam adigerentur ad confitenda peccata sua etiam gravissima et occulta, si scirent ea unquam aliis manifestari posse; *ex iure ecclesiastico*[1]*:* ecclesia nullo non tempore servare sigillum praecipit; eius tamen obligatio primario ex lege divina oritur; inde est, cur ecclesia in hac re nec dispensare nec quidquam immutare possit.

2. *Nullus omnino est casus,* ne ad vitam vel rempublicam quidem servandam, in quo ea, quae sub sigillo cadunt, revelari possint *sive ante sive post mortem poenitentis. a.* Si enim ulla admitteretur exceptio, bonum spirituale fidelium pateretur damnum, quia fideles semper timerent revelationem suorum peccatorum, quod eos a sacramento poeni-

[1]) C. Omnis utriusque 12. *De poenit. et remiss.* (V. 38), in quo haec habentur: „Caveat autem omnino (confessarius), ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem." Cn. 889, 1. Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violaverit, incurrit excommunicationem sedi apostolicae specialissime reservatam, cn. 2369, 1; qui illud indirecte violaverit, puniendus est poenis, quae cn. 2368, 1 indicantur.

tentiae retraheret; atqui nullum est bonum temporale sive privatum sive publicum, quod bono spirituali fidelium esset praeferendum. *b.* Cum etiam post mortem nolimus male audire, confessio fieret valde odiosa, si mortui poenitentis peccata manifestari possent.

α. Hinc si sacerdos ex confessione cognosceret malum, quod alteri imminet, solum sub poena negandae absolutionis poenitentem urgere posset, ut rem manifestaret, vel ut ipsi confessario potestatem loquendi faceret; quod si poenitens nollet, generalibus tantum verbis de periculo monere posset, modo absit omne periculum suspicionis contra poenitentem.

β. In hoc ergo *differt sigillum a secreto naturali:* α. quod laesio secreti non sit sacrilegium; β. quod obligatio secreti admittat parvitatem materiae; γ. quod obligatio secreti etiam commissi in quibusdam casibus cesset; δ. quod obligatio secreti non urgeat erga eum, qui secretum commisit.

3. Obligatio sigilli prohibet, ne confessarius *extra confessionem* loquatur de auditis ex confessione, *ne cum ipso quidem poenitente;* in aliis autem confessionibus potest confessarius absque expressa licentia mentionem facere eorum, quae a poenitente in prioribus confessionibus audiverat; similiter etiam loqui potest de auditis ex confessione immediate post absolutionem datam, sive poenitens nondum discessit, sive iam discessit et statim redit, quia hoc moraliter dicitur in confessione.

Si poenitens ipse de confessione loqui incipiat, confessario hoc ipso licentiam concedit loquendi, per se tamen solum de ea re, de qua ipse loqui incepit.

4. Obligatio sigilli oritur *ex omni et sola confessione sacramentali* seu facta in ordine ad absolutionem obtinendam (n. 267): de omni namque et sola confessione sacramentali valent rationes, ob quas servari debet sigillum.

Ideo non frangit sigillum, qui narrat, quae audierat extra confessionem, etsi sub secreto seu *sub sigillo confessionis,* ut dicunt, vel in confessione quidem, sed facta sine voluntate suscipiendi sacramentum, sive facta est ad eleemosynam petendam sive ad decipiendum confessarium. Sedulo tamen caveri debet scandalum fidelium, qui forte putabunt factam fuisse veram confessionem.

5. In hac materia sigilli sacramentalis *non licet uti opinione probabili,* quia hic non agitur de solo licito vel

illicito, sed de damno spirituali fidelium necessario cavendo, qui a sacramento poenitentiae retraherentur.

Quocirca tum in dubio *facti,* num aliquid dictum sit in ordine ad confessionem, tum in dubio *iuris,* num aliquod dictum vel factum laedat sigillum, confessarius ad sigillum tenetur, quamdiu opinio favens sigillo vere probabilis est.

408. De licentia loquendi. Si poenitens *licentiam dedit,* confessarius de auditis in confessione non solum cum ipso poenitente, sed etiam cum aliis loqui e. g. complicem monere potest: poenitens enim confessarium ab obligatione sigilli eximere potest. Cavere tamen debet, ne quis putet violari sigillum et sic scandalum patiatur.

Obligatio sigilli immediate quidem inducta est in favorem poenitentis, principaliter autem in bonum commune, ne sacramentum odiosum reddatur fidelibus. Sed, obiiciet nonnemo, non potest renuntiari privilegio, quod concessum est in favorem publicum. — Verum hoc solum valet, quando renuntiatio vergit in damnum publicum; atqui renuntiatio in nostro casu non cedit in damnum publicum seu in odium sacramenti. Si enim fideles sciant confessarium non posse loqui de auditis in confessione nisi in eo casu, quo poenitens, quia id sibi utile iudicat, licentiam dederit, sacramentum nullatenus eis redditur odiosum. — Neque dicatur poenitentem non posse auferre obligationem legis divinae, quae sigillum praecipit. Obligatio enim legis divinae non est absoluta, sed condicionata: nisi poenitens licentiam dederit; ideo poenitens dans licentiam ponit condicionem, qua posita obligatio legis divinae cessat.

a. Non sufficit licentia *praesumpta,* quia nimis facile et imprudenter praesumi posset, sed requiritur *expressa* vel verbo vel facto, quod expressae licentiae aequivalet, et prorsus *libera* neque ullo modo vi aut metu ne reverentiali quidem extorta. Quodsi poenitens licentiam dare tenetur, eam autem negat, ei absolutio negari potest et debet, obligatio sigilli autem manet.

b. Duplex est modus, quo poenitens hanc licentiam dare potest: vel enim licentiam ita concedit, ut is, quocum confessarius loquitur, et ipse ad sigillum teneatur, vel ita, ut is ad sigillum non teneatur. Quodsi poenitens illimitatam licentiam concedit, manet tamen semper obligatio secreti naturalis, quam rerum natura postulat.

Nota. Confessarii raro et solum in gravi necessitate et ordinarie ab iis tantum, quorum consensum certo sperare possunt, hanc licentiam petant: experientia enim constat plerosque poenitentes extra confessionem aegre loqui de rebus ad confessionem pertinentibus ipsamque petitionem eis iam molestam esse.

§ 2. De subiecto sigilli.

409. Ad sigillum obligatur *per se et primario* ipse confessarius, *per accidens et secundario* obligantur omnes, ad quos notitia sacramentalis confessionis quomodocunque pervenerit [1]).

1. *Confessarius* ad sigillum obligatur sive est verus sive fictus seu per errorem existimatus, ergo etiam laicus, qui se confessarium simulat vel pro confessario habetur, et cui poenitens bona fide confitetur.

a. Hinc si confessarius interrogatur de re, quam ex confessione novit, respondere potest et debet *se id nescire*, et si ulterius interrogatur, num id etiam ut confessarius nesciat, respondere adhuc potest *se id nescire*, et si urgetur, ut sine restrictione respondeat, etiam cum iuramento affirmare potest *se loqui sine restrictione*, nempe sine restrictione *non necessaria:* omnes enim norunt confessarium non posse aliter respondere, et tamquam *hominem privatum* ipsum vere id nescire et poenitentem nihil ipsi dixisse. Praestat autem interrogantem repellere hac vel simili formula: ad hanc interrogationem non est, quod respondeam.

b. Confessarius *in iudicio* interrogatus de re, quam solum ex confessione novit, uti potest privilegio, quod tum a iure ecclesiastico [2]) tum in plerisque Europae regionibus a iure civili quoque ipsi conceditur, nempe recusandi testimonium. Quia tamen negato testimonio quandoque indirecte laeditur sigillum sacramentale, tum nimirum, cum ex negato testimonio oriri potest suspicio reum confessum esse delictum, in hoc casu potius respondere debet *se nihil scire.* Immo quia raro determinari potest, utrum laedatur sigillum necne, et quia saltem reus, qui delictum confessus est, iudicare debet sacerdotem ob suam confessionem negare testimonium, praestabit, ut sacerdos in omni casu respondeat: *se nihil scire.*

c. Confessarius, qui suum peccatum confiteri non potest absque laesione sigilli, illud omittere debet: gravior est enim obligatio sigilli quam obligatio integre confitendi. Verum periculum violandi sigillum raro aderit, modo in confessione non dicatur, nisi quod ad declarandam speciem peccati necessarium est.

d. Confessarius, qui audita confessione in ecclesia interrogatur a sacellano vel in nosocomio a sorore infirmis ministrante, num parari

[1]) Cn. 889, 2.

[2]) Cn. 1757, 3. n. 2.

debeant, quae necessaria sint ad administrandam communionem, interrogantem remittat ad ipsum poenitentem, ut hunc interroget, num s. communionem suscipere velit: et ne unquam oriatur periculum violandi sigilli, id semper faciendum est, sive poenitens absolutus est, sive non est.

410. 2. Dupliciter accidit, ut ad sigillum teneantur, *qui confessionis notitiam acceperunt: a.* si immediate vel mediate ex ipsa confessione; *b.* si ex medio actualis confessionis rem perceperunt, sive hoc medium per se sive per accidens ad actualem confessionem ordinatum est.

a. Tenentur itaque *interpretes* sponte ad confessionem peragendam adhibiti. Nemo tenetur confiteri per interpretem nisi sponte velit; si quis tamen interpretem adhibeat, hic, utpote peccata in sacramentali confessione declarata audiens, ad sigillum tenetur[1]).

b. Adstantes, qui sive casu sive de industria rem in confessione declaratam *audiunt,* et illi, quibus ab his forte confessio audita sacrilege revelatur; immo qui data opera confitentem audire conatur, sacrilege secretum sacramentale iam violat.

Si poenitens tam clare loquatur, ut a circumstantibus audiatur, atque id advertens nihilominus pergat, ii, qui confessionem audiunt, secreto naturali teneri possunt, sigillo sacramentali autem non tenentur, quia poenitens iure suo in secretam confessionem sponte cedit[2]).

c. Ii omnes, quibus confessarius sive sacrilege sive imprudenter aliquid *de auditis in confessione revelavit;* hinc si confessarius in concione coram populo sigillum laederet, omnes ad sigillum tenerentur, adeo ut ne inter se quidem de re audita loqui possent.

d. Superiores, a quibus extra confessionem sive a poenitente sive a confessario petitur facultas absolvendi a reservatis, vel quibus se sistit absolutus a reservato, quia superior, ad quem vel pro absolutione vel pro poenitentia recurrendum est, cum confessario unum tribunal sacramentale constituit: in priore enim casu confessionis

[1]) Cn. 889, 2.

[2]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II. n. 563.

necessaria praeparatio, in posteriore eiusdem complementum habetur.

e. Theologus, quem confessarius de poenitentis licentia circa peccata vel statum eius *consulit,* nisi poenitens obligationem sigilli relaxaverit, quia sicut interpretis opera, ita doctoris consulti instructio ad confessionem ordinatur.

Si ipse poenitens theologum consulat, distinguendum est: si eum consulat circa confessionem alteri faciendam, theologus consultus ad sigillum non tenetur, quia consultatio ne inchoata quidem confessio est; sigillum autem oritur ex sola confessione sacramentali saltem inchoata; quodsi ipsum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, tenetur sigillo, quia consultatio est inchoata confessio.

f. Legens sive casu sive data opera *confessionem alterius scriptam* tenetur sigillo, si scriptura consideranda est ut actualis confessio vel ut medium ad actualem confessionem ordinatum; at non tenetur sigillo, si charta solum continet materiam ad confessionem praeparatam: nam eiusmodi charta non est confessio nec medium actualis confessionis, sed medium ad confessionem postea facilius instituendam electum et ordinatum; inducitur autem in hoc casu obligatio secreti naturalis, eaque gravis vel levis pro ratione materiae, quae in illa schedula continetur.

α. Tenetur sigillo, qui legit schedulam a muto vel ab alio, qui per scripturam confitetur, iam traditam confessario; pari modo qui eam legit post absolutionem in confessionali relictam vel a confessario amissam, quia est quasi perdurans confessio.

β. Qui legit litteras ad superiorem directas alicuius reservationis causa: eiusmodi enim litterae sunt medium ex institutione sacramenti necessario ordinatum ad confessionem ideoque sacramenti complementum.

γ. Si quis legit chartam, in qua poenitens ante confessionem instituens examen conscientiae ad iuvandam memoriam descripsit peccata sua, non magis tenetur sigillo, quam ille, qui audit altiore voce instituentem quotidianum examen conscientiae[1]). Item qui legit chartam, qua poenitens usus est ad confitendum, quamque post confessionem adhuc conservat, non laedit sigillum, quia haec charta non potest amplius considerari ut actualis confessio.

§ 3. De materia sigilli.

Materia sigilli distingui potest essentialis et accidentalis; essentialis altera est directa, altera indirecta.

[1]) Cf. *Lugo* disp. 23. n. 47.

411. Materia directa. *Directe* materiam sigilli constituunt *omnia peccata tum mortalia tum venialia etiam publica,* nisi aliunde nota sint confessario.

a. Peccata mortalia quidem sive in specie sive in genere tantum manifestantur e. g. *Titius gravia confessus est;* peccata *venialia* autem si in specie, non item si in genere tantum manifestantur, nisi dicatur quempiam *multa* vel *graviora* venialia confessum esse: eo ipso enim, quod quis confessus est, saltem venialia confessus supponitur; ideo nemini hoc potest esse molestum. Sicut ergo sine laesione sigilli dici potest: *Titius confessus est,* ita dici potest: *Titius confessus est venialia tantum vel confessus est sua venialia.* Ideo non est contra sigillum, si confessarius de suo poenitente dicat, ipsum adeo innocenter vivere, ut vix venialia committat.

b. Si peccata *publice nota* manifestare liceret, poenitentes semper timerent, ne confessarii ipsorum peccata publice nota existimarent et proinde revelarent. Qui ergo de notorio fure dicit eum cum magna contritione confessum esse *sua furta,* laedit sigillum; qui vero solum dicit eum confessum esse *peccata sua,* non laedit sigillum, quia non dicit eum mortaliter peccasse nec aliquod veniale in specie manifestat[1]).

c. Si confessarius de iis loquitur, quae sibi *aliunde nota sunt,* non manifestat ipsa in confessione audita; cavere autem debet, ne minus certa ex auditis in confessione confirmet vel minus accurata compleat.

412. Materia indirecta. *Indirecte* materiam sigilli constituunt omnia ea, quae ad declaranda peccata dicuntur, sive ad hunc finem necessaria sive tantum utilia sive etiam superflua sunt, nisi sint facta publice nota, etsi confessario vel aliis hucusque ignota; ergo peccatorum *circumstantiae, obiecta, complices.* Cum enim Christus ideo praeceperit sigillum, ne confessio fidelibus redderetur odiosa, horum autem revelatio ingrata sit fidelibus, ex voluntate Christi haec omnia sub sigillo claudenda sunt. Excipiuntur tamen facta publice nota, etsi confessario antea ignota, quia horum revelatio nemini potest esse onerosa.

a. Circumstantiae, cuiusmodi sunt occasiones, finis, aliaque adiuncta cum peccatis connexa. Sic si sponsus confitetur se nobilitatem iactasse, nobilitas materia sigilli est. Item *poenitentiae impositae,* nisi

[1]) *Reuter* n. 378, 16.

tales sint, quae pro levissimis tantum culpis imponi soleant, sub sigillo sunt, quia ex iis colligi potest poenitentem peccatum mortale aut plura venialia confessum esse.

Absolutio negata est materia sigilli; ideo non solum violat sigillum, qui dicit [redacted] negasse absolutionem propter indispositionem, sed etiam is, qui dicit tantummodo *se talem non absolvisse,* quia alii exinde recte suspicantur indispositionem. Si confessarius interrogatur de *negata absolutione,* respondeat: *functus sum officio meo,* vel: *ad hanc interrogationem non est, quod respondeam.* Nec licet confessario dicere se absolutionem non dedisse, etsi agatur de peccatore publico, immo etsi peccator ipse dicat sibi negatam fuisse absolutionem, nisi in illis adiunctis id dicat, in quibus eo ipso licentiam hoc dicendi concedit[1]).

Consilium, quod a confessario petitur, ad materiam sigilli pertinet, si petitio nexum habet cum confessione sacramentali, ut si quis media quaerit, quibus defectum in confessione declaratum corrigere possit.

b. Obiecta peccatorum etiam post absolutionem declarata, si e. g. aliquis dicat [redacted] despexisse patrem propter eius tenacitatem, [redacted] de adulterio Titii locutum esse, tenacitas et adulterium sub sigillo cadunt.

c. Peccata complicis, etsi sine necessitate essent revelata, ut si quis in confessione dicat: *feci furtum cum fratre.* Ergo non licet confessario monere vel corrigere complicem sine licentia poenitentis. Quam licentiam poenitens concedere quidem potest, quia solus poenitens, non etiam complex ius ad sigillum habet; raro tamen expedit, ut confessarius munus corrigendi complicem assumat, etsi a poenitente rogetur, quia raro sine periculo scandali correctio fieri potest[2]).

d. Si quis confitetur se omisisse sacrum, ut videret milites advenientes, hoc factum non cadit sub sigillo.

413. Materia accidentalis. *Per accidens* materiam sigilli constituunt omnia ea in confessione cognita, quorum revelatio in gravamen poenitentis et in odium sacramenti cederet: *defectus* sive corporis sive animi, *peccata in ipsa confessione commissa.*

a. Defectus naturales materia sigilli sunt, non solum ubi ad explicandum peccatum dicuntur, sed etiam si ex sola confessione cognoscuntur, alias autem ignoti sunt. Sic *scrupulositas* materia sigilli est, tum si ut defectus moralis vel ad declaranda peccata in confessione manifestatur, tum etiam si confessario ex modo confitendi innotescit, aliis autem ignota est. Sunt quidem, qui defectus naturales alias ignotos, si non manifestentur ad explicandum peccatum, solum materiam

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 1965.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 492.

secreti naturalis dicant; at assentiendum videtur auctoribus, qui eos materiae sigilli sacramentalis accensent. Et sane si confessarius ex modo confitendi deprehendit quosdam defectus, quos poenitens alias occultare potest et solet, confessio manifesto redderetur odiosa, si confessarius eos revelare posset. Defectus autem, qui passim iam noti sunt, non constituunt materiam sigilli, quia poenitens id aegre ferre non potest, si confessarius de iis loquatur. Ex his diiudicari potest, quatenus sub sigillo cadat poenitentem esse surdastrum, hebetis vel pertinacis ingenii, naturae irresolutae ac molestae et eiusmodi[1]).

b. Peccata in ipsa confessione commissa e. g. impatientia, contumeliae in ipsum confessarium non sunt materia sigilli, si non accusantur, per accidens autem plerumque sub sigillo cadunt, quia suspicari aliquis posset, confessarium vel noluisse absolvere poenitentem vel ob culpas graviores severius eum reprehendisse. Furtum a poenitente in damnum confessarii tempore confessionis commissum non cadit sub sigillo; et si constaret furem ad confessionem accessisse, solum ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non essent materia sigilli, quia confessio non esset sacramentalis.

414. Materia sigilli non sunt in confessione audita vel cum confessione connexa, quorum revelatio non cedit in gravamen poenitentis nec in odium sacramenti; pro ratione materiae tamen sub secreto naturali cadere possunt.

a. Dei dona et virtutes per se non sunt materia sigilli, etsi in confessione manifestentur ad statum animae confessario declarandum, quia eorum revelatio confessionem nequit reddere odiosam; ideo confessarii poenitentium suorum virtutes et dona post mortem eorum ad effectum beatificationis manifestare possunt et solent. Sed virtutes et dona possunt esse materia secreti naturalis, si constat poenitentes eorum manifestationem aegre laturos esse, et sub sigillo cadunt, si manifestentur ad explicandum aliquod peccatum e. g. ingratitudinem erga Deum vel inconstantiam in bono.

b. Absolutio collata non est materia sigilli, ideo non frangit sigillum, qui dicit *se talem absolvisse;* attamen ab hac manifestatione omnino abstinendum est, praesertim in illis adiunctis, in quibus haec manifestatio aliis onerosa evadit, quia idem de illis dici non potest. Si parentes, magistri, heri imprudenter interrogant confessarios de absolutione data filiis, discipulis vel subditis, remittendi sunt ad ipsos poenitentes.

c. Accessio ad confessionem non est materia sigilli, quia cognoscitur extra confessionem nec est per se aliquid odiosum; qui ergo

[1]) Cf. *Tamburini*, Methodus confessionis. Appendix de sigillo c. 2. n. 13. 17 ss.

dicit: *Titius mihi confessus est,* non violat sigillum; si quis autem clam ad confessionem accessisset, confessarius id secreto naturali celare tenetur.

d. Id, cuius cognitionem poenitens non aegre fert, ut *condicio, status,* e. g. poenitentem esse sacerdotem, parochum, militem, coniugatum, solutum, ad obiectum sigilli non pertinet, quia eius revelatio poenitenti non est onerosa, etsi ad declaranda peccata id fuerit manifestatum, cum agatur de statu publice noto, etsi confessario adhuc ignotus fuisset, modo non oriatur suspicio peccati. Licet vero confessarius libere de hac re loqui possit, semper tamen periculosum est dicere se id nosse ex confessione, quia fideles facile scandalum patiuntur et timent, ne confessarii de iis etiam loquantur, quae poenitentes in confessione manifestarunt.

Nota. Nihilominus etiam de his, quae sub sigillo proprie non cadunt, prudens confessarius, si ea in confessionali accepit, silentium servabit, ut scandala caveat, quae ex narratione eorum, quae in confessionali dicta sunt, vix evitari possunt.

§ 4. De laesione sigilli.

415. Modi violandi sigilli. 1. Sigillum violari potest duplici modo, directe et indirecte.

a. Directe violatur, si peccatum in confessione accusatum et persona poenitentis manifestantur.

Ad directam violationem sigilli requiritur, ut persona poenitentis vel expresse nominetur e. g. *Titius homicidium fecit; Petrus non est absolutus,* vel ex adiunctis ita perfecte designetur, ut certo cognosci possit, quamvis audientibus sit ignota nec unquam ab eis cognoscenda e. g. praefectus talis urbis adulterium commisit. Haec verba: *primus hodie adulterium confessus est* continent directam sigilli violationem, si audientes illum cognoscunt; alias autem violationem indirectam, eo magis culpabilem, quo maius est periculum cognoscendi personam poenitentis.

Ut sigillum directe violetur, non est necesse, ut audientes sciant confessarium loqui de rebus in confessione auditis, sed sufficit, ut id *faciat.*

b. Indirecte violatur, si ex iis, quae confessarius dicit vel facit, oritur periculum cognoscendi peccatum poenitentis vel reddendi sacramentum odiosum.

Ut sigillum indirecte violetur, non est necesse, ut persona poenitentis ex iis, quae confessarius dicit vel facit, reipsa cognoscatur vel reipsa circa eam suspicio ingeratur, sed sufficit, ut id prudenti suspicione fieri *possit.*

2. Directa sigilli violatio non admittit parvitatem materiae, indirecta autem eam admittit. Ratio *primi* est, quia etiam per laesionem sigilli in materia levi gravis iniuria fit sacramento: fideles enim magnopere ab eo retraherentur, si scirent confessarios absque gravi peccato revelare posse venialia, siquidem semper timerent, ne etiam gravia existiment venialia eaque manifestent. Ratio *secundi* est, quia indirecta sigilli violatio consistit in periculo ex dictis vel factis confessarii cognoscendi defectum poenitentis vel reddendi sacramentum odiosum; iam vero periculum istud valde exiguum esse potest; ergo etiam violatio sigilli levis esse potest.

Num aliquo dicto vel facto indirecte violetur sigillum, quandoque determinatu difficile est. Principium, quod prae oculis haberi debet, hoc est: qui refert peccata in confessione audita, quin nominet personam, non laedit sigillum, nisi subsit periculum deveniendi in cognitionem vel suspicionem personae, neque oriatur odium sacramenti. Tria sunt potissimum, quibus sacramentum redditur odiosum: si ex dictis vel factis (omissionibus) confessarii oritur suspicio peccati vel defectus poenitentis, diffamatio sive communitatis sive poenitentis, gravamen poenitentis.

a. Qui auditis paucis poenitentibus refert aliquod peccatum ab uno eorum in confessione declaratum, laedit sigillum, quia de singulis oritur aliqua suspicio, si poenitentes noti sunt iis, quibus narratur peccatum.

b. Qui dicit se audivisse in tali monasterio grave peccatum, laedit sigillum; item qui dicit se a religioso determinati ordinis audivisse grave peccatum, laedit sigillum, si ordo non est numerosus et est integrae famae, quia aliqua infamia redundat in totam communitatem vel in totum ordinem atque ideo in ipsum poenitentem, quatenus est communitatis vel ordinis membrum, at non laeditur sigillum, si ordo est valde numerosus, praesertim si est etiam relaxatae disciplinae, modo exclusum sit periculum suspicionis de aliquo monasterio in particulari, quia nemo patitur famae detrimentum, neque determinata persona neque ordo[1]).

c. Qui dicit in aliquo loco grassari tale crimen, quod ex confessione cognoscit, laedit sigillum, nisi crimen sit publicum vel locus valde amplus (saltem 3000 incolarum): ex eiusmodi enim revelatione redundat

---

[1]) *Lehmkuhl,* Theol. mor. II. n. 469 (n. 600). Casus consc. II. n. 551 ss.

infamia in singulos incolas, si locus parvus est, at non redundat, si magnus est.

d. Parochus, qui cum missionariis ex notitia confessionis communicat, quae vitia in communitate potissimum correctione indigeant, non laedit sigillum, si vitia sint communia vel locus satis amplus; si communitas parva est (e. g. parva communitas monialium) vel vitia paucorum sunt, laeditur sigillum, quia singuli exponuntur suspicioni, vel audientes suum defectum pudore afficiuntur.

416. De usu notitiae ex confessione acceptae.

Sapienter monet *s. Alphonsus*, ut confessarius caute procedat, cum difficile sit in his omne periculum aut revelationis aut gravaminis poenitentis vitare. Accedit, quod in hac re etiam scandalum fidelium sedulo praecavendum sit, qui laesionem sigilli facile suspicantur et timent. Quare ad tria attendi debet, ne usus notitiae confessionis sit illicitus: *a.* ne subsit periculum revelationis; *b.* ne oriatur gravamen poenitentis vel odium sacramenti; *c.* ne aliis ingeratur suspicio violati sigilli atque ideo scandalum.

1. Nunquam licet uti notitia ex confessione accepta, si subest periculum revelationis, vel si (etiam sine aliqua revelatione) confessio exinde redditur odiosa, quamvis ex non-usu longe maius malum poenitentis sequatur. Atque id quidem non licet, sive poenitens advertit sive non advertit id fieri propter peccatum a se accusatum: fideles enim retraherentur a sacramento poenitentiae, si scirent confessariis licitum esse uti scientia confessionis in gravamen poenitentis, quando nec poenitens nec alii id advertunt.

a. Superiores non possunt uti notitia confessionis *ad gubernationem externam*, etsi id exterius nullatenus appareat: si enim fideles scirent id superioribus licitum esse, confessio ipsis redderetur odiosa[1]). Quare

[1]) Cn. 890. Exstant de hac re duo decreta s. sedis, alterum *Clementis VIII.* (26. maii 1593), quod superioribus regularibus prohibet, ne notitia ex confessione accepta ad externam gubernationem utantur. Merito notat *Lugo* (disp. 23. n. 93) et post ipsum *s. Alphonsus* (n. 656) decretum extendendum [redacted] ad omnes confessarios, etsi superiores non sint, in ordine ad quoslibet poenitentes etiam saeculares, quia s. pontifex hoc decreto non condit legem particularem, sed legem divinam de secreto sacramentali declarat. Ideo corrigenda est antiquorum sententia, licitum esse usum scientiae ex confessione acceptae, si id fieri possit sine periculo manifestandi peccatum poenitentis, quin scilicet alii de poenitente quidquam suspicari possint. Alterum decretum a *s. Officio* iussu

non licet removere indignum ab officio, quod ei est ansa peccandi, negare suffragium electionis, negare sacramenta, nisi de publico peccatore agatur, mutare dispositionem, etsi sola mente conceptam et nulli adhuc communicatam.

b. Si confessarius ex confessione noverit aliquem esse malae conscientiae, molestum, indispositum, non potest *ideo* se excusare ab audienda eius confessione: si enim poenitentes advertant hanc agendi rationem confessariorum, manifesto a saramento retrahentur. Potest autem sine laesione sigilli alio vero praetextu se excusare[1]).

c. Ne confessarii exponantur periculo frangendi sigillum, non sunt interrogandi (e. g. a parentibus, magistris) de moribus suorum poenitentium, nec consulendi sunt, ubi agitur de aliquo promovendo ad ordines vel admittendo in religionem etc.; ipsi solam sacramentorum frequentationem testentur.

2. Licitum est uti scientia confessionis, si nullum subest revelationis periculum nec ullum poenitentis gravamen, quo confessio reddatur odiosa. Atque id quidem licet, sive poenitens advertit id fieri propter peccatum a se accusatum sive non advertit: etenim si poenitenti usus notitiae ex confessione acceptae non est gravis, ex eo confessio non potest fieri difficilior, sive poenitens usum advertit sive non advertit. Porro actiones, quibus eiusmodi usus continetur, vel circa ipsum confessarium versari vel ad poenitentem referri possunt.

a. Potest *confessarius* ex notitia confessionis α. proprios mores reformare, melius fungi officio suo, diligentius invigilare subditis, secluso tamen revelationis periculo; β. orare pro poenitente (utitur confessarius notitia confessionis *coram Deo*, id quod non est illicitum), benignius cum ipso agere, etsi poenitens advertat id fieri propter suam confessionem, quia id ei nequit esse ingratum; γ. consulere libros vel theologos secluso revelationis periculo; δ. se ipsum ex hac scientia

---

Innocentii XI. (18. nov. 1682) editum ad omnes confessarios pertinet et usum scientiae confessiones cum gravamine poenitentis etiam tum prohibet, cum poenitens illius usu a maiore gravamine seu malo (praesertim a peccato) liberetur. Quare corrigendum est hoc antiquorum principium: licet uti scientia confessionis, quando poenitens non potest esse *rationabiliter invitus* e. g. quando usus scientiae sacramentalis necessarius est ad poenitentem a peccato removendum. Ex hoc principio permittebant ipsi, ut confessarius clauderet fores, ne exire possit famulus quem ex confessione novit exire ad peccandum.

[1]) Cf. *Lugo* disp. 23. n. 117.

dirigere e. g. ad alios prudenter interrogandos vel instruendos, ad rigorem temperandum, ad se cavendum a periculis damni spiritualis vel temporalis, quod poenitentes novit subiisse; e. alios generatim monere, e. g. ut sibi caveant, ut invigilent, secluso tamen revelationis periculo.

b. Concionatores loqui possunt de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones excepissent, cavere autem debent, ne publice loquantur de peccatis particularibus unius vel alterius poenitentis, praesertim coram parva communitate, quia poenitenti id facile posset esse molestum. Sic potest e. g. confessarius monialium concionari de defectibus, qui communiter in monasterio committuntur, non autem de aliquo defectu particulari alicuius monialis.

c. Si sacerdos ex confessione sciret *parari sibi insidias* vel vinum, quo utitur ad missam, veneno esse infectum, ei non liceret fugere vel missam omittere, ubi ex fuga vel omissione alii coniicere possent poenitentem rei conscium confessum esse illud peccatum, vel poenitens damnum aut gravamen pateretur. Ceterum ad vitam servandam posset confessarius a poenitente licentiam petere permittendi indirectam manifestationem peccati, quae ex fuga vel omissione sequeretur, quam licentiam si poenitens, etsi iniuste, dare nollet, absolutione indignus esset, sacerdos autem non posset fugere vel sacrum omittere.

d. Non potest sacerdos absque licentia poenitentis dimittere famulum vel auferre claves a famulo, quem ex confessione novit esse infidelem: haec enim agendi ratio quandam exprobrationem poenitentis continet, ideoque gravamen ei affert. Num possit in ipsa confessione praecipere famulo, ut reddat clavem vel ut sponte discedat, disputant. Affirmat *Elbel* (n. 514), quia potest praecipere omne id, sine quo poenitens non est capax absolutionis; negat *Lugo* (disp. 23. n. 123), quia iussio non est actus spectans ad confessionem, cum non sit necessarium medium emendationis.

Nota. Potest confessarius omne id facere, quod facere debet et quod fecisset, etsi confessionem non audivisset (quod exigit officium, ordinaria diligentia, vigilantia), quamvis ex auditis in confessione ansam sumat id faciendi et nunc non fecisset, si confessionem non audivisset. Praestat autem poenitentem de hac re monere, ne scandalum sumat putans violari sigillum. At sine licentia poenitentis non licet confessario facere aliquid ob audita in confessione, quod alias non fecisset, si inde vel periculum manifestationis vel gravamen poenitentis oriri potest. Exspectari debet eventus, qui novum motivum suppeditet faciendi, quod hucusque fieri non solebat.

417. De schedula confessionis danda vel neganda.

a. Schedula confessionis nihil aliud exhibeat nisi testimonium confessionis tali die peractae, non autem testimonium

datae absolutionis, de qua nihil unquam in schedula addendum est. Si tamen schedula typis impressa imprudenter exhiberet testimonium absolutionis, et talis schedula propter sigillum etiam non absoluto tradi deberet, simpliciter tradenda (vel etiam signanda) esset, quin aliquid deleatur, etsi absolutio negata fuerit: nam iste actus tradendi (vel signandi) eiusmodi schedulam non videtur esse mendacium.

b. Si poenitenti indisposito, qui confessionem sacramentalem peregit, negata fuit absolutio: α. danda est schedula confessionis, si extra confessionem petit: etenim si in hoc casu negaretur, confessarius extra confessionem uteretur notitia confessionis cum gravamine poenitentis; β. danda est schedula, si in confessione petit et negatio aequivalet indirectae violationi sigilli, quod accidit, quando alii ex ipsâ negatione schedae in cognitionem negatae absolutionis veniunt atque ideo vel indispositionis vel casus reservati in poenitente, ut si confitentibus in loco publico schedula aliis datur, uni negatur; γ. negari potest schedula confessionis, si in ipsa confessione petit et negatio non aequivalet indirectae laesioni sigilli, quia alii non ex ipsa negatione schedae, sed postea in cognitionem negatae absolutionis veniunt: sicut enim sigillum propter negatam absolutionem non frangitur, etsi alii in eius cognitionem veniant e. g. ex eo, quod a s. communione abstinet, ita etiam propter negatam schedam sigillum non frangitur, etsi alii ex eo, quod schedam non affert, in cognitionem negatae absolutionis veniant; exsistente autem rationabili et iusta causa scheda in hoc casu etiam dari potest, quia facta est sacramentalis confessio.

c. Si poenitens confessionem sacramentalem non peregit, sed confessionem solum simulat, vel si schedulam petit, ut magistro vel parocho e. g. ante matrimonium eam exhibere possit, quin confiteatur, omnino neganda est: nam hinc quidem nullum est periculum laedendi sigillum, quod non oritur nisi ex sacramentali confessione,

inde vero confessarius, eo quod schedam tradit, mentitur et facile cooperatur indignae susceptioni sacramenti eucharistiae vel matrimonii.

Nota. De confessario indigente consilio. Si confessarius in casu difficili indigeat consilio: *a.* recurrat ad theologum, cui poenitens omnino ignotus est; *b.* si id fieri non possit et adsit periculum revelationis, petat a poenitente licentiam cum alio loquendi de re ad confessionem pertinente; vel *c.* casum ita proponat, ut periculum revelationis evitet i. e. tamquam fictum, omittendo omnia adiuncta non necessaria et admiscendo alia falsa, quae rei substantiam non mutant; *d.* si licentiam non habet nec ullo modo declinare potest periculum revelationis, studio et oratione diligenter adhibitis, proprio marte nodum dissolvat.

Appendix I.

De occasionibus particularibus[1]).

Articulus primus.

De visitationibus adamantium.

In visitationibus, quae inter adamantes intuitu futuri matrimonii fieri solent, duplex veluti stadium distingui debet: visitationes, quae ante, et visitationes, quae post sponsalia locum habent. De prioribus sub titulo: familiaritates, de posterioribus sub titulo: visitationes sponsorum distincte agendum est.

418. De familiaritatibus. 1. Familiaritates, quae etiam procationes dicuntur, per se continent occasionem

[1]) *Aem. Berardi*, De recidivis et occasionariis[5] (Faventiae. Novelli. 1897).

peccandi: indoles enim naturae humanae praesertim in personis iunioribus eiusmodi est, ut frequentiores conversationes inter personas diversi sexus turpem amorem excitent. Quare familiaritates per se licitae non sunt, nisi accedat iusta causa, quae eas licitas reddat.

Quando in casu particulari adsit occasio proxima, aut ex vehementia tentationum aut ex nota poenitentis fragilitate aut ex frequentia peccatorum, quae in visitationibus iam acciderunt, diiudicari debet (n. 413).

2. Familiaritates, quae fiunt intuitu futuri matrimonii, licitae sunt: visitationes enim, quae ex se licitae non essent, ex hoc fine licitae fieri possunt: nemo enim tenetur sponsalia inire cum persona ignota, sed experiri potest indolem et mores futurae uxoris; quam ob rem eiusmodi visitationes usu populorum fere ubique iam introductae sunt.

Ergo interdicendae et, si occasio peccandi proxima est, etiam sub poena denegendae absolutionis interdicendae sunt familiaritates propter periculum peccandi illicitae, in quibus aut nulla est spes futuri matrimonii aut matrimonii solum post diuturnum tempus contrahendi: spes enim futuri matrimonii est unica causa, ob quam visitationes istae licitae evadunt. Mensura temporis, intra quod eae permitti possunt, non tam certa regula quam prudentum iudicio definiri debet. Generatim dici potest familiaritates, quae diu ultra annum protrahuntur, permittendas non esse; in tali ergo casu aut omnino abrumpendae aut saltem interrumpendae sunt, si matrimonium ipsum citius contrahi non possit.

3. Caveri autem debet, ne familiaritates licitae evadant occasio proxima peccatorum; sine opportunis cautelis enim facile degenerant in occasionem proximam. Eiusmodi cautelae sunt:

a. Ut quamprimum consensus parentum obtineatur, sine quo futurum matrimonium aut nimis diu protrahetur aut omnino locum non habebit.

b. Ne versentur solus cum sola, quod quidem tam magni momenti est, ut confessarii obligationem parentum, qua visitationibus filiorum invigilare debent, nunquam satis urgere possint.

c. Ne visitationes sint nimis frequentes nec nimis protractae; porro etiam numerus visitationum earumque licita duratio aestimatione prudentum determinari debet; „generatim, putat *Aertnys*, semel in hebdomoda per unam alteramve horam immodicum non est.“

d. Ut omnia vitent, quae periculum augere possunt, nimiam scilicet in conservando libertatem, praesertim tactus, oscula, amplexus.

e. Ut exercitiis pietatis, praesertim vero frequentatione sacramentorum contra peccatum se munire studeant.

419. De visitationibus sponsorum. 1. Certum est, sponsos post inita sponsalia nullum ius mutuum habere in corpora; quae ideo in solutis peccata sunt: aspectus, tactus, oscula, amplexus impudici, ea pari modo etiam in sponsis gravia peccata sunt.

2. Ius habent sibi exhibendi illa signa *honesta* amoris et benevolentiae, quae sponsi iuxta morem patriae sibi exhibere solent, ut sunt oscula, amplexus, tactus, colloquia honesta. Ipsa relatio sponsorum huius iuris fundamentum est. Motus ergo carnales quin et pollutiones, quae forte hac occasione oriuntur, non sunt peccata, quia relatio sponsorum est iusta causa illos effectus permittendi, modo caveatur consensus.

Controvertunt auctores, num sponsis liceat capere atque ideo intendere *delectationem sensualem*, quae ex osculis, amplexibus vel tactibus *pudicis* oritur. — Iam vero si nomine delectationis sensualis intelligitur delectatio venerea, haec licite intendi non potest, sive magna sive exigua est: condicio enim sponsorum nullum ius tribuit voluntarie quaerendi eiusmodi delectationem, ne exiguam quidem. Quodsi nomine delectationis sensualis intelligitur delectatio, quae non sit venerea, illicitum non est voluntarie eam capere atque intendere. Eiusmodi enim delectatio est honesta: siquidem honestus est amor sponsorum et aeque honesta sunt signa, quibus ille amor ostenditur et fovetur, ergo honesta est etiam delectatio, quae ex illa ostensione amoris connaturaliter sequitur; insuper adest ratio sufficiens eam capiendi, relatio nempe sponsorum; tandem delectatio venerea forte oritura ex hac eadem ratione licite permitti potest, modo exclusus sit consensus.

Controversia inter auctores inde orta videtur, quod non satis distinguant inter delectationem veneream, sensibilem et sensualem, quae tum a venerea tum a sensibili omnino distingui debet et per se indifferens est[1]).

3. Post inita sponsalia periculum peccandi in visitationibus maius est: sponsi enim maiore libertate inter se

[1]) Cf. *Noldin*, De sexto praecepto[14] n 7. *Ballerini-Palmieri* II. n. 998.

conversantur, cum quaedam signa mutui amoris secundum patriae consuetudinem ipsis prohiberi non possint; haec autem maior familiaritas valde auget periculum peccandi. Quare speciales cautelae ipsis proponendae et inculcandae sunt:

a. Ut nunquam sint soli praesertim in secreto loco; parentibus autem, praesertim matribus iniungendum est, ut vigilent.

b. Ut ab iis benevolentiae signis abstineant, quibus magis excitetur libido; in aliis autem nil aliud sibi indulgeant, quam quod fieri coram aliis sine offensione potest.

c. Ut diligentius usurpent exercitia pietatis et sacramenta ecclesiae.

4. Si in his visitationibus, sive ante sive post inita sponsalia fiunt, peccata committuntur, ex eorum frequentia diiudicandum est, num adsit proximum periculum peccandi. Quod si ex peccatorum frequentia apparet visitationes sponsis esse occasionem proximam, habendi et tractandi sunt ut constituti *in occasione proxima necessaria:* moraliter enim sponsis impossibile est a visitationibus et alloquio abstinere.

a. Si igitur peccata externa (tactus turpes, fornicationes) committuntur, eis iniungendum est, ne unquam soli maneant; si peccata eo committuntur, quod in motus turpes, qui occasione visitationis oriuntur, consentiunt, curandum est, ut visitationes, quantum fieri potest, minuantur et cautelae diligentius adhibeantur.

b. Ceterum etiam recidivos conetur confessarius actu disponere et, si dispositos iudicare potest, eos absolvat: si enim sine absolutione dimittantur, id eveniet, ut toto tempore procationis a sacramentis abstineant et in peccatis marcescant.

Nota pro confessariis. Quando iuvenes vel puellae se accusant de peccatis contra castitatem commissis cum persona alterius sexus, interrogari debent, num foveant aliquam familiaritatem. Quod si affirmaverint, ulterius inquirendum est, num adsit spes futuri matrimonii. Si nulla exsistit spes matrimonii, omnino exigendum est, ut familiaritatem abrumpant, cum sine iusta causa reperiantur in proxima occasione graviter peccandi. Ordinarie idem exigendum est, si spes ineundi matrimonii post diuturnum idque indeterminatum tempus demum affulgat (post mortem patris; si nactus fuero officium; postquam legibus militiae satisfecerim etc.). Quodsi consideratis omnibus adiunctis rationabilis exsistit spes futuri matrimonii, familiaritas permitti debet. suggerendae sunt autem cautelae, de quibus supra sermo erat.

Articulus secundus.

De choreis.

420. Num licitae sint. Choreae distingui debent graviter inhonestae et honestae aut leviter tantum inhonestae. *Graviter inhonestae* illae sunt, quae a personis diversi aut etiam eiusdem sexus suscipiuntur cum nudationibus graviter obscoenis aut gestibus vel tactibus graviter impudicis; *honestae* aut *leviter inhonestae* illae dicuntur, in quibus nudationes, gestus, tactus non occurrunt nisi honesti aut parum tantummodo inhonesti.

Quodsi ss. ecclesiae patres uno ore omnes choreas graviter reprehendunt ac reprobant, advertendum est ludos choreales illius temporis longe alios fuisse ac nostri temporis, quamvis etiam nostro tempore instituantur choreae prorsus reprobandae. Ad iudicium ferendum de earum liceitate in praxi tum ad genus chorearum tum ad indolem saltantium attendendum est.

1. Choreae *graviter inhonestae* sunt occasio proxima peccandi moraliter universalis: rarissimus enim erit, qui eiusmodi rebus turpiter non moveatur; quare dicendae sunt graviter illicitae, nisi eas adeundi vera necessitas cogat.

2. Choreae *non graviter inhonestae* communiter non continent nisi occasionem peccandi remotam; quare sine causa illas frequentare non licet, exsistente autem iusta causa eas adire licet, quae autem eo gravior esse debet, quo maius est periculum peccandi.

a. Causae iustae, ex quibus eiusmodi choreas frequentare licet sunt: consuetudo, una alterave vice in anno ad animum relaxandum; ad facilius inveniendam occasionem matrimonii; ad non displicendum adamanti; ad satisfaciendum invitantibus ad choreas etc. *Gravior causa* est iussio parentum, timor gravis offendendi maritum, parentes etc.

b. Ut periculum peccandi, quod ipsae choreae frequentantibus praebent, diiudicari possit, notandum est: α. Generalis regula, quae ubique applicetur, statui non potest, sed tum ad locorum consuetudinem tum ad personarum diversam indolem attendi debet. β. Generatim choreae *publicae,* praesertim illae, quae inter personas solutas diversi sexus in cauponis instituuntur, multo maius periculum continent, quam quae in privatis domibus habentur. γ. Choreae nonnullae, quae nostro

tempore valde in usu sunt, maius quidem periculum continent propter pressiorem amplexum, quo peraguntur, attamen generatim non possunt dici graviter inhonestae nec proinde per se propter occasionem proximam illicitae. δ. Magnum periculum peccandi exsistit etiam praesertim ruri in accessu ad choreas et maxime in regressu ab iisdem.

3. Choreae *honestae* etiam inter personas diversi sexus per se indifferentes et proinde per se licitae sunt.

Choreae per se quidem indifferentes sunt, sed prout nunc instituuntur, nunquam a periculo peccandi prorsus immunes sunt; liberior conversatio inter personas diversi sexus, manuum contrectatio, concentus musici commoventes, nervorum excitatio ex usu potus alcoolici, nocturnum tempus etc. aliquod, saltem leve periculum semper continent, ideo choreae per se nemini suadendae, immo potius omnibus dissuadendae sunt.

4. Choreae *hominum personatorum* vix non semper tamquam illicitae reprobandae sunt: ideo enim personam induunt, ut liberius id facere possint, quod frenum pudoris impedivisset.

Nota. 1. Quamvis affirmari non possit eos, qui ad choreas accedunt, ordinarie pravo fine moveri: saepius enim mere laetitiae et recreationis causa interveniunt; qui tamen eas adeunt prava libidinis intentione, manifesto hac ipsa intentione graviter peccant.

2. In casu particulari imprimis considerandum est, num choreae poenitenti sint occasio proxima peccandi. Si cui non sunt occasio proxima, quantum fieri potest monendus est, ne eas adeat, at confessarius iure suo exigere non potest, ut poenitens sub poena denegandae absolutionis promittat, se ad eas non accessurum esse; si cui sunt occasio proxima, hanc promissionem pariter exigere non potest exsistente duplici hac condicione: si nempe poenitens ex gravi causa eas adire cogatur, et si aptis cautelis occasionem proximam possit et velit reddere remotam; quod si nulla esset eas adeundi necessitas, non posset absolvi poenitens, qui eas evitare nollet.

Articulus tertius.

De spectaculis.

421. 1. Spectacula per se quidem sunt res indifferens; siquidem natura sua ludus sunt, qui, si honeste et moderate instituatur, nihil mali in se continet. Quare si hae erentur

spectacula omnino innocua, mere solatii et recreationis causa adiri licite et libere possent. Verum prout nunc spectacula sunt, maiorem minoremve occasionem peccandi fere semper continent.

Peccata, ad quae committenda occasionem praebent, sunt: α. *peccata luxuriae* sive propter res turpes aut saltem amatorias, quae repraesentantur, sive ob varia eorum adiuncta, praesertim ob vestitum inverecundum, qui tum in actoribus tum in spectatoribus cernitur, sive ob choreas inhonestas, quae scenis interponuntur; β. *peccata contra fidem*, cum veritates revelatae et institutiones christianae ludibrio habeantur, vitia et delicta laudibus efferantur, virtutes autem ut viles et ridiculae contemnantur.

2. Spectacula, quae *occasionem* tantum *remotam* continent, non sunt graviter illicita, ideo ex iusta causa adiri possunt. Spectacula, in quibus notabiliter turpia aut religioni notabiliter contraria non occurrunt, ordinarie proximam occasionem non praebent, sed occasionem plus minusve remotam; hinc pro gravitate periculi etiam gravior causa, quae ingressum excuset, requiritur, et congruae cautelae, quae periculum peccandi removeant, maiore sollertia adhiberi debent.

Eiusmodi causa excusans non est solatium et recreatio, sed gravior requiritur e. g. voluntas mariti, praeceptum parentum, ratio famulatus in iis, qui herum vel dominam comitari debent, ratio utilitatis una alterave vice in iis, qui harum rerum notitiam ex honesto fine sibi comparare debent.

3. Spectacula, quae *proximam* peccandi *occasionem* continent, per se graviter illicita sunt; ideo adiri absque gravi peccato solum possunt ex gravi causa et adhibitis congruis cautelis. Proximam occasionem ordinarie praebent spectacula, in quibus notabiliter turpia aut religioni notabiliter contraria occurrunt, praesertim vero illa, quorum actibus choreae scenicae interponuntur; at ratione fragilitatis etiam spectacula, quae minus inhonesta et minus irreligiosa continent, occasio proxima esse possunt.

Causa sufficiens, ex qua eiusmodi spectacula adiri possent, est indignatio mariti vel parentum, quae alio modo evitari non potest; non vero merum praeceptum nec, ut merito notat *Berardi*, iactura pretii pro ingressu iam soluti, quod per non interventum non recuperatur.

nec (ordinarie saltem) finis philanthropicus, ad quem destinatur lucrum percipiendum, quia pretium etiam sine interventu solvi potest.

4. Actores, maxime vero directores peccato scandali graviter delinquunt, si comoedias repraesentant, quae vel graviter obscoenae sunt, vel notabiliter ad libidinem excitant, vel religionem graviter offendunt.

Nota. 1. Quantum fieri potest omnes, praesertim vero iuvenes utriusque sexus, ab adeundis theatris enixe avertendi sunt: quippe theatra hodierna periculis plena sunt, levitatem et sensualitatem fovent, virtutes impediunt animique vigorem enervant. Quomodo tractandi sint, qui a spectaculis graviter periculosis abstinere aut non possunt aut nolunt, supra de choreis dictum est.

2. Quandoquidem hodie ea, quae in theatris exhibentur, ordinarie mala et periculis plena sunt, non licet theatrum adire, quin prius cognitio habeatur rei exhibendae; praesertim vero de hac re certiores se reddere debent parentes, antequam filiis licentiam concedere possunt adeundi theatrum.

Appendix II.

De confessione generali.

422. Eius necessitas. Confessio generalis est omnium aut multarum confessionum repetitio. Consideratis ordinariis poenitentium adiunctis confessio generalis duobus hominum generibus dicenda est necessaria:

a. Iis, qui cum gravi culpa peccatum mortale in confessione celarunt, sive id factum est ex negligentia graviter culpabili in examine conscientiae sive ex defectu sinceritatis in ipsa confessione.

b. Iis, qui scienter absque dolore et serio emendationis proposito confessi sunt.

Ii, qui diutius in pravo peccandi habitu vixerunt et, quamvis saepius ad sacramenta accesserint, semper tamen in eadem peccata sine efficaci emendationis conatu relapsi sunt, ad confessionem generalem

instituendam stricte obligari nequeunt, quia certo non constat praeteritas confessiones fuisse invalidas; cum tamen non imprudenter de earum valore dubitari possit, enixe ad confessionem generalem hortandi sunt.

423. Eius utilitas. In praedicanda confessionis generalis utilitate theologi omnes conveniunt: ex ea enim poenitens intimius cognito conscientiae suae statu timorem et humilitatem, horrorem peccati, animi pacem et tranquilitatem atque in Deum spem ac fiduciam concipit. Unica confessio generalis saepius plus prodest quam multae confessiones ordinariae. Ideo *Benedictus XIV.* ait: „Conscientiarum moderatores uno ore conveniunt multam ex generalium confessionum usu percipi utilitatem“ [1]).

Quinque potissimum generibus hominum utilis est confessio generalis:

a. Adultioribus, qui confessionem generalem nondum peregerunt, praesertim si opportuna ad eam se offerat occasio ut tempore missionis, exercitiorum, iubilaei etc.

b. Iis, qui vitae statum vel novam vivendi rationem suscipiunt, ut sunt nupturientes, vidui et viduae, milites, qui contubernia ingrediuntur vel ex iis redeunt, studiosi, qui altiora studia incipiunt etc.

c. Iis, qui serio ad Deum converti et meliorem vitae rationem instituere intendunt: vix enim contingit vitam vere christianam instaurare, nisi peccata anteactae vitae seria poenitentia expiata fuerint.

d. Infirmis, qui in periculo mortis versantur: etenim si confessionem generalem sive a pueritia sive a longo tempore non peregerint et vires suppetant, enixe ad eam peragendam hortandi sunt, ut quiete et confidenter mortem opperiri possint.

e. Scrupulosis quoque confessio generalis ordinarie permitti potest: non enim ipsa confessio generalis, sed eius iteratio illis nocet et proinde interdicenda est.

Nota. Excessus autem in hac re cavendus est. Caveat ergo confessarius, ne poenitentes importune ad confessionem generalem institu-

[1]) Constitutio *Apostolica* (26. iun. 1749) n. 17.

endam adigat: nisi enim libenter eam peragant, vix ullius utilitatis erit. Caveat etiam, ne a quovis novo, quem nanciscitur, poenitente sub praetextu melius cognoscendi statum animae confessionem generalem exigat: ad conscientiam enim apte dirigendam abunde sufficit cognitio, quae ex ordinariis confessionibus hauriri potest.

424. Monitiones. 1. Propter magnam confessionum generalium utilitatem confessarius libenter eas excipiat, nec unquam poenitentem, qui confessionem generalem instituere intendit, sub praetextu reiiciat, eam non esse necessariam; econtra, nisi ex adiunctis eam nocituram iudicaverit, se poenitentem adiuturum esse promittat, ut eo fidentius ad confessionem peragendam accedat.

2. Confessio generalis non obiter et perfunctorie per summa tantum capita, sed ordinarie, praesertim si occasione exercitiorum vel missionis publicae fiat, accurate et diligenter instituenda est, etsi non agatur de confessione necessaria: alias enim poenitens non consequetur animi pacem et conscientiae tranquillitatem, quae est suavissimus confessionis generalis effectus[1]).

3. Non expedit, ut confessiones generales veluti de repente et ex improviso instituantur, sed ad obtinendos fructus, qui ex iis per Dei gratiam sperari possunt, praemittenda est diligens praeparatio. Illi ergo, qui confessionem generalem peracturi sunt, instrui debent, ut per aliquot dies, in quantum negotia diurna id permiserint, in examinanda conscientia, in recogitandis et detestandis peccatis, praesertim vero in crebris orationibus, quibus veram conversionem implorent, occupentur.

4. Si poenitens sufficienter instructus et paratus est, praestat, ut ipse confessario iuvante, quando opus fuerit, peccata dicat, quae novit. Quodsi sufficienter instructus vel ad confessionem instituendam paratus non est, vel si sponte petit, ut interrogetur, praestat, ut confessarius interrogando totam confessionem perficiat.

---

[1]) Cf. Directorium in exercit. spirit. (Brugis. Desclée 1897) c. 16. n. 3.

425. Interrogationes praeviae. Ad confessionem generalem faciliorem reddendam, iuvat poenitentem in antecessum sive cum petit, ut eius confessio generalis excipiatur, sive immediate ante confessionem de sequentibus interrogare.

1. Cur confessionem generalem instituere velit. Ex datis responsis patebit, utrum confessio generalis necessaria an tantum utilis sit.

2. Quodsi constat eam esse necessariam ob confessiones praeteritas male peractas, statim explorandum est, quando facta fuerit ultima confessio valida, quoties per annum confiteri et communicare poenitens consueverit, num hoc tempore aliud sacramentum (confirmationem, matrimonium, extremam unctionem) susceperit.

3. Poenitens ignotus de vitae statu (soluto vel matrimoniali) deque professione, quam exercet, interrogandus est.

4. Quando fuerit ultima confessio. Ordinarie confessioni generali praemittenda est confessio peccatorum ab ultima confessione commissorum, ut confessarius sic melius cognoscat statum poenitentis.

426. Catalogus peccatorum. *a.* Interrogandus est de peccatis, quae a poenitente considerato eius statu et condicione probabiliter commissa sunt; ideo ex sequenti catalogo quandoque nonnullae interrogationes omittendae, quandoque aliae addendae sunt: exhibet enim peccata, de quibus ordinarie interrogandum est.

b. Expedit, ut ordo praeceptorum decalogi servetur; de sexto autem praecepto vel statim initio vel demum in fine interrogationes faciendae sunt. Praecepta ecclesiae ad tertium, et officia status ad quartum praeceptum revocari possunt.

c. Si poenitens pravum habitum contraxisse deprehenditur, explorandum est, quando inceperit et quanto tempore duraverit.

d. Si peccatum grave fatetur, statim de specie infima et de numero interrogandus est, si absque gravi incommodo fieri possit.

I. *a.* Num de aliqua veritate fidei serio dubitavit. Num veritatem fidei negavit.

b. Num de salute sua desperaverit.

c. Num contra Deum eiusque dispositiones murmuravit. Si affirmat: num de Deo blasphemas cogitationes habuit.

d. Num impia colloquia contra religionem, ecclesiam, sacerdotes instituit. Num pravos libros, prava folia (liberalia, socialistica) legit, aliis legenda tradidit. Num ideo se excommunicationem incurrere putavit. Si affirmat, de ipsis libris, quos legit, interrogandus est. Num res superstitiosas peregit (spiritismum, hypnotismum). Num sacramentum indigne suscepit.

II. Num graviter blasphemavit, num coram filiis. Num falsum iuravit — in iudicio — cum damno proximi. Num votum fecit, quod postea non implevit.

III. *a.* Num die festo missam culpabiliter non audivit. Num die festo sine necessitate laboravit — aliis laborem imposuit.

b. Num die veneris carnem manducavit. Num ieiunium violavit. Num praecepto paschali satisfecit.

IV. *a. Filius familias:* Num in re gravi inoboediens fuit e. g. commorando extra domum tempore nocturno, frequentando personas vel domos contra parentum prohibitionem. Num graviter eos contristavit. Num eos aspere tractavit — verbis — factis. Num eis mortem desideravit.

b. Famulus: Num debitum servitium praestitit. Num domino damnum intulit — eum defraudavit.

c. Pater et mater familias: Num filiis scandalum dedit. Num filiis et famulis invigilavit, ne malos socios, periculosas domos frequentarent, ne officia christiana negligerent.

d. Maritus: Num cum uxore pacifice vivit. Num rixis, conviciis etc. eam graviter offendit. Num bona familiae dilapidat.

e. Uxor: Num marito oboediens sit in re domestica, in debito coniugali. Num marito vitam molestam reddat.

V. Num inimicitiam habuit (odium fovit — grande malum optavit — de malo gavisus est — quanto tempore duravit). Num aliquem graviter offendit — percussit — vulneravit — num duellum habuit. Num sibi ipsi graviter nocuit. Num sibi mortem optavit — de morte sibi inferenda cogitavit. Num se inebriavit.

VI. et IX. De peccatis contra castitatem examen cum poenitente adulto, qui eiusmodi peccata commisisse supponi potest, aptius instituitur incipiendo a peccatis gravioribus ferme in hunc modum: Num opere contra castitatem peccavit. Si affirmat, num cum alia persona peccavit. Si affirmat, num cum persona alterius sexus. Si affirmat, de peccatis, quae cum persona alterius sexus, si negat, de peccatis, quae cum persona eiusdem sexus, et si cum alia persona non peccavit, de peccatis, quae solitarie committi possunt, examinandus est.

a. Cum persona alterius sexus: Num sicut in matrimonio fecit. Si affirmat, num proles secuta sit. Si negat, num sequi potuisset. Si negat, conceptui impedimentum apposuerunt. Num persona consanguinea, coniugata, sacra fuit. Quoties id factum sit. Num praeter haec personas alterius sexus turpiter tetigit, aspexit; num turpes tactus admisit. Num turpia colloquia habuit, libenter audivit. Num insuper cum persona eiusdem sexus peccavit; si affirmat, examinandus est, ut infra indicatur. Num etiam solitarie peccavit; si affirmat, examinandus est ut infra indicatur.

b. Cum persona eiusdem sexus: Num turpes tactus peregit, num usque ad pollutionem. Num aliquid peius commisit (sodomia). Num turpes aspectus, turpia colloquia habuit. Num insuper solitarie peccavit.

c. Solitarie: α. Num turpes motus voluntarie habuit; num turpes tactus. Num se polluit (num habitum se polluendi habuit; quando incepit; quanto tempore duravit; num quotidie factum sit). Num simul (se polluendo) pravas cogitationes (desideria) habuit; qualia fuerint.

β. Num turpes aspectus cum affectu libidinoso habuit. Num turpia desideria habuit; qualia fuerint.

γ. Num pravos libros legit. Num inhonestis choreis interfuit atque in iis cogitationibus, sermonibus, tactibus turpiter peccavit. Num theatra graviter turpia adiit atque in iis voluntarie delectatus est.

δ. Num animalia occasio peccandi fuerunt. Num turpes tactus, num peiora peregit.

Poenitens *coniugatus* de peccatus coniugum examinandus est: Num conscientia circa debitum coniugale vel circa usum matrimonii ipsum remordet. Num fidem coniugalem servavit. Num actum coniugalem debite peregit.

VII. et X. Num aliquid furto abstulit. Num ablatum restituit. Num vendendo, emendo aut aliis contractibus grave damnum intulit. Num bonis proximi grave damnum intulit. Num damnum illatum reparavit. (Quantum fieri potest poenitentes a restitutione facienda liberandi sunt; quod si fieri non possit, accurate indicandus est modus restitutionis).

VIII. Num delictum proximi occultum revelavit. Num de proximo aliquid falsum dixit. Num secretum in re gravi violavit.

Nota. Cum in catalogo peccatorum omittantur peccata levia, ad tranquillum reddendum poenitentem iuvabit in fine includere omnia peccata etiam ignota, praesertim vero negligentias in orationibus, iram et impatientiam, invidiam et superbiam, mendacia et laesiones caritatis proximi.

427. Post confessionem. Confessione peracta: *a.* Poenitentem interroget, num aliquid sit, quod conscientiam remordeat et de quo interrogatus non fuerit.

b. Eum ad plenam fiduciam erigat monendo nunc omnia peccata per absolutionem remitti, nec opus esse, ut de illis unquam angatur aut in confessione quidquam amplius accuset, nisi certo recordetur peccati gravis in confessione hucusque nunquam declarati.

c. Suggerat media, quibus possit cavere relapsum et certam reddere salutem suam: α frequentiam sacramentorum; β. devotionem erga b. v. Mariam; γ. fugam occasionum et pugnam contra tentationes, et si quid insuper ex cognito statu poenitentis necessarium vel opportunum videatur.

d. Propositis motivis poenitentiae brevi sed paterna exhortatione, cum eo contritionem eliciat et imposita poenitentia absolutum in Domino dimittat.

Liber sextus.

De extrema unctione[1]).

Quaestio prima.

De natura extremae unctionis.

428. Definitio. *Extrema unctio* est sacramentum, quo per unctionem olei olivae et orationem sacerdotis graviter aegroto confertur sanitas animae et quandoque etiam corporis[2]).

a. Communis fons, ex quo [illegible] desumuntur, quae de hoc sacramento docent theologi, sunt verba *Iacobi* apostoli: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*[3]).

b. Dicitur *extrema* unctio, quia omnium unctionum, quas Christus instituit aut ecclesiae instituendas commisit, ultima est, quae administratur. Hoc sacramentum est *complementum poenitentiae* eodem fere modo, quo confirmatio est complementum baptismi.

c. Extrema unctio *per se sacramentum vivorum* est, quia primario non ad delenda peccata mortalia, sed ad auferendas reliquias peccatorum instituta est; quia tamen vi institutionis etiam peccata mortalia delet, per accidens sacramentum mortuorum dici potest.

---

[1]) *S. Thomas,* Suppl. q. 29—32. *S. Alphonsus* l. 6. n. 706—733. *Coninck,* De sacramentis II. disp. 19. *Sporer-Kazenberger,* Supplementum theol. sacram. c. 2. sect. 3—4. *Suarez,* De poenitentia disp. 39—44. *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor. V. n. 840—881. *Ign. Schmitz,* De effectibus sacramenti extremae unctionis (Friburgi. Herder. 1893). *I. Kern,* De sacramento extremae unctionis (Ratisbonae. Pustet. 1907). *Heimbucher,* Die hl. Ölung (Regensburg. Manz. 1888).

[2]) Sacramenti descriptionem exhibet cn. 937.

[3]) Iac. 5, 14. 15. Cf. *Concilium trid.* sess. 14. De extr. unct. can. 1.

429. Effectus in genere. Quadruplex est effectus proprius huius sacramenti: *a.* robur animae; *b.* abstersio peccati venialis et poenarum; *c.* remissio peccati mortalis; *d.* sanitas corporis. Desumuntur ex verbis Iacobi supra citatis.

a. Hoc sacramentum institutum est ad animam proxime disponendam ac praeparandam, ut sine mora regnum coelorum introire possit; iam vero ad obtinendum hunc finem extrema unctio duo potissimum operatur; α. animam gratiis actualibus roborat, ut in bono usque ad mortem perseveret; β. animam purgat a peccatis et poenis, quae introitum in gloriam aeternam morantur.

b. Horum effectuum alii *primario* et principaliter, alii per se quidem, sed solum *secundario* intenduntur. Primus ex supra nominatis (confortatio animae) ad effectus primarios pertinet, de secundo (abstersione peccati et poenarum) idem dicendum videtur; tertius et quartus (remissio peccati mortalis et sanatio corporis) omnibus consentientibus effectus secundarios extremae unctionis constituunt.

c. Extremam unctionem *reliquias peccati* tum originalis tum actualis auferre omnes theologi docent, at non omnes eodem modo explicant, quaenam illae sint. Infirmitates animae inferius enumerandae primario ad has reliquias pertinent[1]).

d. Hoc sacramentum *complet et perficit* sacramentum poenitentiae. Poenitentia enim instituta est ad delenda peccata tum mortalia tum venialia; extrema unctio instituta est ad delendas reliquias peccati tum originalis tum actualis. Ideo sicut poenitentia ita pariter extrema unctio dicenda est sacramentum divinae misericordiae, quae homini suppeditat medium disponendi et praeparandi animam, ut separata a corpore statim ingredi possit in regnum coelorum.

430. Effectus in specie. 1. *Robur animae:* infirmo enim cum augmento gratiae sanctificantis confertur ius ad gratias actuales, quibus roboratur et confortatur ad superandas illas difficultates, quae imminent tempore mortis: *Alleviabit eum Dominus.*

Difficultates hae oriuntur ex infirmitatibus spiritualibus, cuius modi sunt: *a.* debilitas animae ex peccatis praeteritis relicta, qua fit, ut facilius in peccata relabatur; *b.* debilitas, ex eo orta, quod Deus animam ob praeterita peccata abundantioribus gratiae auxiliis privat; *c.* timor, tristitia et diffidentia, eo quod infirmus sciat quidem se peccasse, at non sciat Deum peccata commissa iam condonasse; *d.* tenta-

[1]) Cf. *Suarez* disp. 40. sect. 1. n. 8 ss.

tiones daemonis, quibus animam in perpetuam servitutem suam redigere conatur; *e.* debilitas animae ex ipsa infirmitate corporali orta: homo enim morbi gravitate et doloribus pressus impeditur, quominus rebus spiritualibus intendat.

2. *Abstersio peccatorum venialium et poenarum*, quae impediunt immediatum transitum ad gloriam aeternam. *a.* Sacramentum hunc effectum producere, eo quod gratia per sacramentum infusa ex divina ordinatione vim habet delendi peccata eaque omnia, nisi adsit obex in anima infirmi, et remittendi poenam ex se quidem omnem, nisi obsit defectus dispositionis in suscipiente, ex verbis Iacobi patet: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Deinde per formam significatur effectus proprius sacramenti; significatur autem remissio peccatorum; ergo saltem venialia remittuntur. *b.* Cum sacramentum institutum sit ad removenda ea, quae impediunt immediatum transitum ad gloriam coelestem, dicendum est ipsum, quantum ex se est, tum peccata venialia tum poenas peccatorum delere.

Omnes quidem docent hocce sacramentum conferre remissionem poenarum temporalium, cum institutum sit ad abstergendas reliquias peccatorum, inter quas numerantur etiam poenae temporales; at quoad modum et mensuram remissionis non omnes eodem modo loquuntur. Ex sensu ecclesiae omnino dicendum videtur hoc sacramentum ex opere operato immediate quidem non omnes poenas remittere, sed secundum mensuram, quam determinavit Christus instituens sacramentum, dummodo adsit necessaria dispositio suscipientis; dein vero hoc sacramentum ex opere operato conferre gratias actuales, quibus infirmus sibi comparare possit remissionem omnium poenarum temporalium, quae retardant introitum in gloriam aeternam (eliciendo actus salutares, acquirendo indulgentias).

3. *Remissio peccati mortalis*, quod alio medio deleri non potest, dummodo de eo attritio habeatur. Nam tum verba Iacobi apostoli tum verba formae sacramentalis omnino universalia sunt, quapropter sine manifesta ratione non sunt restringenda ad sola peccata venialia. Quoniam vero hoc sacramentum non per se primo, sed solum per se secundario institutum est ad delenda peccata mortalia, haec solum remittit, si nec per confessionem nec per contritionem remitti possunt.

a. Hunc effectum secundarium esse ex eo patet, quod sacramentum poenitentiae ad delenda mortalia quaecunque primario institutum sit. Quare non ad peccata mortalia simpliciter, sed ad ea solum delenda institutum est hoc sacramentum, quae per poenitentiam ex qualicunque causa deleri amplius non possunt, manente semper obligatione ea confitendi, si fieri possit.

b. Qui igitur peccatorum mortalium reus est et confiteri quidem nequit, sed contritionem elicere potest, ante extremam unctionem ad hoc tenetur, tum quia suppetit hoc medium delendi mortalia, tum quia extrema unctio sacramentum vivorum est; unde non licet scienter in statu peccati mortalis eam suscipere.

c. Qui igitur peccatorum mortalium reus est, sed actuali usu rationis caret, item qui actualem usum rationis habet, sed invincibiliter ignorat [redacted] in mortalibus constitutum esse, vel invincibiliter putat [redacted] esse contritum, cum non sit, per extremam unctionem remissionem peccatorum mortalium consequitur, dummodo attritus sit. Quoniam vero haec doctrina moraliter certa est, facile patet, moribundo *sensibus destituto* extremam unctionem [redacted] medium salutis longe securius ipsa sacramentali absolutione[1]).

4. *Sanitas corporis* pariter non per accidens, sed vi institutionis, non tamen semper, sed tum tantum ex susceptione huius sacramenti sequitur, si animae saluti expediat ideoque *condicionate.* Hoc sacramentum etiam ad sanitatem corporis reparandam institutum esse, tum ex verbis s. Iacobi: *oratio fidei salvabit infirmum,* tum ex concilio trid. colligitur, quod inter effectus extremae unctionis etiam hunc recenset: „et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, (infirmus) consequitur"[2]).

a. Ex restrictione addita *(si animae saluti expediat)* intelligitur, cur iste effectus, licet ex opere operato producatur, tamen non semper et infallibiliter sequatur. Effectus enim secundarius a primario, qui est salus animae, dependet, adeo ut secundarius non sequatur, si impediat primarium.

b. Sacramentum hunc effectum non operatur subito per modum miraculi, sed eo, quod vi sua supernaturali causas naturales et liberas adiuvat et dirigit, ita ut sanitatem efficiant. Alii hunc effectum derivant ex redundantia confortationis spiritualis in corpus; censent enim supernaturalem animi confortationem influere in sanitatem corporis producendam[3]). Quare sacramentum hunc effectum producere nequit, si tunc

[1]) Cf. *Suarez* disp. 41. sect. 1. n. 19.

[2]) L. c. c. 2.

[3]) Cf. *Kern* l. c. p. 205 ss.

tandem suscipitur, quando sanitas non amplius per media naturalia, sed solum per miraculum restitui potest. Expedit ergo, ut hoc sacramentum suscipiatur, cum primum periculum mortis incipit, quo maior sit spes vi sacramenti sanitatem recuperandi.

431. Quando effectum suum producat. Communius theologi docuerant, hoc sacramentum effectum suum in ultima demum unctione producere. Putabant enim singulas unctiones per se solas non habere rationem sacramenti, sed omnes sensuum unctiones partiales cum suis formis ad perfectam rationem sacramenti necessarias esse. Post recentem vero declarationem ecclesiae (n. 434), ex qua discimus unicam unctionem in aliquo sensu ad producendum essentialem sacramenti effectum sufficere, de hac quaestione iam ita statui posse videtur. Quaelibet unctio cum sua forma complete et perfecte sacramenti effectum significat, proindeque illum etiam producit. Prima ergo unctione sacramentum cum essentiali suo effectu iam collatum est; sequentes deinde unctiones gratiam sacramenti augent atque perficiunt, praesertim si infirmus interim maiorem et perfectiorem dispositionem sibi comparaverit, ad eum fere modum, quo (iuxta nonnullos theologos) in ss. altaris sacramento sumptio unius speciei ad percipiendum essentialem sacramenti effectum iam sufficit; sumptio deinde alterius speciei hunc effectum auget et perficit, praesertim si communicans interim se melius disposuerit.

Nota. Reviviscentiam extremae unctionis supra (n. 8) probabilem diximus. Sunt, qui huius sacramenti reviviscentiam plane certam dicant[1]). Eorum affirmatio tantam vim habet, quantam habet hocce argumentum: Omne sacramentum valide, etsi sine effectu gratiae, collatum aliquid in suscipiente producit; hoc autem est ius seu titulus ad effectum gratiae remoto obice consequendum, si suscipiens adhuc eiusdem capax sit.

---

[1]) *Gihr* p. 94 ss.; *Kern* l. c. p. 372 ss.

Quaestio secunda.

De materia extremae unctionis.

432. Materia remota valida extremae unctionis est oleum ab episcopo speciali benedictione consecratum.

1. *Oleum* de necessitate sacramenti debet esse *ex olivis:* nam tum usu communi tum sensu ecclesiae nomine olei non intelligitur aliud nisi oleum olivarum; insuper in decreto *Eugenii IV.* pro armenis expresse dicitur materiam huius sacramenti esse *oleum olivae*[1]).

2. Oleum necessario debet esse *ab episcopo benedictum.* Unctio ergo collata cum oleo a simplici sacerdote absque speciali licentia s. sedis benedicto, et magis cum oleo omnino non benedicto, nullius valoris est.

a. Tum verba *Eugenii IV.* tum verba concilii tridentini, quibus expresse affirmatur *materiam esse oleum ab episcopo benedictum,* omne dubium in hac quaestione excludunt. Concilium trid. insuper addit ecclesiam *ex apostolica traditione* didicisse materiam huius sacramenti, scilicet oleum ab episcopo benedictum[2]), quibus verbis significat ab ipso Christo hanc materiam determinatam fuisse. Ideo ecclesia contrariam sententiam *temerariam et errori proximam* declaravit[3]) nec unquam permisit, ne quidem in casu extremae necessitatis, ut deficiente oleo ab episcopo benedicto sacramentum extremae unctionis administraretur cum oleo a simplici sacerdote benedicto, qui non fuerit ad id delegatus.

b. Potest tamen adhiberi oleum a simplici sacerdote *ex speciali delegatione* summi pontificis benedictum, sicut in ecclesia graeca passim ibetur oleum (de licentia romani pontificis) a presbytero benedictum; episcopi benedictio est *ordinaria,* sacerdotis delegati *extraordinaria*[4]).

---

[1]) *Denzinger-Bannwart* n. 700.

[2]) Sess. 14. c. 1. De extr. unct.

[3]) *S. Officium* 13. ian. 1611 sub *Paulo V.* et 14. sept. 1842 sub *Gregorio XVI.*

[4]) Haec omnia confirmantur cn. 945: „Oleum olivarum in sacramento extremae unctionis adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab episcopo vel a presbytero, qui facultatem illud benedicendi a sede apostolica obtinuerit".

3. Ut oleum sit materia huius sacramenti certo valida, debet esse *benedictum speciali benedictione* i. e. in ordine ad extremam unctionem: hac enim speciali benedictione constituitur materia huius sacramenti. Aliud autem oleum ab episcopo benedictum probabiliter tantum materiam validam constituit.

Quod vi praecepti debeat esse speciali benedictione benedictum, patet ex novo Codice, qui cn. 945 supra citato dicit, oleum debere esse *ad hoc* i. e. in ordine ad hoc sacramentum ab episcopo benedictum. Quaestio autem, num hoc ad valorem sacramenti requiratur, hisce non solvitur; manet ergo sententia probabilis tantum, oleum ad valorem sacramenti debere esse speciali benedictione benedictum.

Hinc in casu necessitatis deficiente oleo infirmorum sacramentum sub condicione conferendum est cum alio oleo ab episcopo benedicto; at postea, si oleum infirmorum haberi possit, sacramentum sub condicione iterandum est; quod fieri etiam debet, si sacerdos per errorem aliud oleum adhibuit.

433. Materia remota licita huius sacramenti est oleum eodem anno ab episcopo dioecesis benedictum.

1. *Eodem anno benedictum:* nam ex rituali romano singulis annis vetere combusto (in lampade coram ss. sacramento ardente) oleum renovandum est; quod quidem praeceptum videtur esse grave. Sed si novum oleum benedictum haberi nequeat, licitum est uti vetere[1]).

Si oleum infra annum sufficere non posse videatur neque aliud benedictum haberi queat, ex rituali potest ei aliud non benedictum admisceri, sed in minore quantitate; immo admixtionem saepius renovare licet, modo olei admixsti pars semper sit minor ea parte, cui infunditur[2]).

2. *Ab episcopo dioecesis* et sede vacante ab alio episcopo vicino et quidem feria V. in coena Domini. Quare absque necessitate uti oleo, quod non a proprio ordinario benedictum fuit, est contra praeceptum ecclesiae, quod nonnullis videtur esse grave[3]).

434. Materia proxima est unctio infirmi cum oleo ab episcopo benedicto, ut habet apostolus: *ungentes [illegible] oleo.*

[1]) Cn. 734.

[2]) *Rituale rom.* tit. 5. c. 1. n. 3. — S. C. C. 25. sept. 1862. Cn. 734, 2.

[3]) *S. Officium* 14. sept. 1842; 10. ian. 1850. Cn. 734, 1.

Apostolus quidem non determinat partes corporis, quae ungendae sint, nec ecclesia de hac re hucusque quidquam definierat; recenter autem tum ex declaratione s. sedis[1]) tum praesertim ex novo *Codice* constat, quotuplex unctio ad valorem sacramenti requiratur[2]).

1. Ad valorem sacramenti unica unctio in fronte infirmi certo sufficit.

Iuverit cognoscere argumenta theologorum, qui demonstrare conati sunt unicam unctionem sufficere, quia integrae quaestioni multum lucis affundunt: a. ad essentiam huius sacramenti requiritur unctio infirmi, sicut ad essentiam baptismi ablutio corporis requiritur: atqui ad valorem baptismi una ablutio sufficit; ergo pari ratione ad valorem extremae unctionis una unctio sufficit. *b.* Plures partes corporis ungendas esse ex praecepto ecclesiae non ex institutione sacramenti inde colligitur, quod modo plures modo pauciores nec semper eaedem partes inungendae praescribuntur[3]). Ad argumentum *negantium:* unctio significat perfectam hominis sanationem spiritualem; atqui hanc non significat, nisi omnes quinque sensus ungantur, quippe qui totidem sint origines et radices peccatorum. Ad hoc argumentum respondent: Cum caput sit sedes omnium facultatum et ex capite omnes sensus (etiam interni) dimanent, per unctionem capitis seu frontis perfecta sanatio spiritualis apte (ne dicam aptius) significatur.

2. Ex praecepto ecclesiae quinque corporis partes inungi debent: oculi, aures, nares, os et manus.

De unctione *renum,* quamvis *Ritualis* editio recentissima dicat: unctio renum in mulieribus honestatis gratia semper omittatur[4]), novus *Codex* tamen simpliciter decernit: unctio renum semper omittatur[5]). — Unctio *pedum* ex qualibet rationabili causa omitti potest[6]).

Ut ergo sacramentum *licite* administretur, necessario requiritur unctio saltem quinque sensuum; scilicet ungendi sunt *oculi, aures, nares, os* et *manus.* Attamen in casu necessitatis sacramentum administrari potest et debet cum unica unctione in aliquo sensu vel melius in ca-

---

[1]) *S. Officium* 26. aprl. 1906; 9. mart. 1917.

[2]) Cn. 947, 1: In casu necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte.

[3]) In ecclesia graeca antiquitus tres partes corporis ungebantur: frons, mentum et ambae genae; nunc ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus et pedes.

[4]) Tit. V. c. 1. n. 15.

[5]) Cn. 947, 1.

[6]) Cn. 947, 3.

pite, ex quo omnium sensuum nervi descendunt, et quidem absolute, quia de valore iam constat.

435. Quomodo unctiones faciendae. Unctiones fieri debent: *a.* pollice dextero; *b.* per modum crucis; *c.* in utroque organo, incipiendo a dextero; *d.* servato ordine sensuum in rituali praescripto.

a. Extra casum gravis necessitatis unctiones non sunt faciendae nec alio digito nec penicillo, et contraria consuetudo, sicubi vigeret, tollenda esset[1]).

Nihil tamen prohibet, quominus in casu necessitatis e. g. tempore pestis unctiones fiant mediante penicillo vel virgula (postea comburenda), quia in hoc sacramento non requiritur, sicut in confirmatione, impositio manus, ideoque unctio immediata per manum ministri; unctiones tamen ex iudicio, qui nunc sunt, medicorum sine periculo contagionis semper fieri possunt ipso digito.

b. Unctionem fieri debere *in modum crucis* non essentia sacramenti, sed praeceptum ecclesiae exigit: nullibi enim nec in concilio florentino nec tridentino illud indicatur; quare in casu necessitatis unctio etiam simplici tactu fieri potest; sine necessitate autem praescriptus modus omittendus non est[2]).

c. Non requiritur de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate praecepti, utique graviter obligantis, ut unctio fiat *in utroque organo* sensus, quia in unico organo totus sensus habetur.

d. Pariter solum de necessitate praecepti nec graviter obligantis requiritur, ut inter diversos sensus *ordo* servetur in rituali praescriptus et ut ab organo dextero potius quam a sinistro unctio incipiat. Tandem qui aliquo *sensu carent*, ut caeci a nativitate, tamen in eius organis ungendi sunt, et qui organo sensus carent, in parte viciniore eadem verborum forma ungendi sunt.

---

[1]) S. C. R. 9. maii 1857. n. 3051. Cn. 947, 4.

[2]) Cn. 947, 1: Unctiones verbis, ordine et modo in libris rituali praescripto accurate peragantur. Cf. *Rituale rom.* tit. V. c. 2. n. 8.

Quaestio tertia.

De forma extremae unctionis.

436. Forma extremae unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum) *deliquisti.* Est deprecatio significans effectum sacramenti.

In hac forma *essentialia* sunt: *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti:* his enim omnia habentur, quae per formam huius sacramenti exprimi debent: *a.* actio sacramentalis: *unctionem; b.* effectus proprius huius sacramenti: *indulgeat etc.; c.* forma *deprecatoria:* ad essentiam enim huius sacramenti requiritur, ut forma aliquo modo, saltem formaliter, sit deprecatoria: *oratio* salvabit infirmum.

Ad essentiam non pertinent verbum *sanctam* nec illa alia: *per suam piissimam misericordiam;* immo necessarium non est, ut *sensus* sive speciatim sive in genere nominentur, cum eorum expressa mentio in multis formis, praesertim vero in forma graeca et in forma nuper a s. sede approbata desit[1]).

437. De forma in casu necessitatis adhibenda. 1. In casu necessitatis, ubi propter morae periculum extrema unctio quam citissime administrari debet, moribundus ungendus est in fronte adhibita hac forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen.*

Hanc formam s. sedes ut sufficientem in casu necessitatis approbavit (n. 434), qua declaratione patet: *a.* ad valorem extremae unctionis non requiri, ut sensus sive in genere sive singuli nominentur; *b.* unam unctionem in fronte (vel in aliquo sensu) infirmi ad valorem extremae unctionis sufficere, neque necessarium esse, ut singuli sensus sive explicite sive implicite nominentur, aut singuli ungantur: una enim unctione infirmus censetur unctus.

---

[1]) Cf. *Chr. Pesch* VII. n. 531 ss.

2. Si sacramentum in periculo mortis unica unctione collatum fuerit, postea cessante periculo singulae unctiones *absolute supplendae* sunt, non quia valor sacramenti dubius sit, sed ad maiorem infirmi utilitatem spiritualem[1]).

a. Singulae unctiones *supplendae* sunt, non ex necessitate sacramenti, sed ex praecepto ecclesiae: cum enim citata decreta et Codex iur. can. dicant, unicam unctionem in fronte infirmi *sufficere*, utique ad essentialem sacramenti effectum producendum, de eiusdem validitate dubitari nequit.

b. Unctiones non condicionate sed *absolute* supplendae sunt, quia vim suam exercere debent, non in casu, quo prima unctio forte invalida fuisset, sed in omni casu, etsi prima unctio valida et efficax extitit. Effectus autem, quem singulae unctiones producunt, colligitur ex iis, quae supra (n. 431) dicta sunt.

438. Ad ritum extremae unctionis. *a.* Si extrema unctio pluribus simul administranda est, preces, quae cum actionibus non coniunguntur, semel tantum in plurali (si mutatio commode fieri possit) dicantur; actiones vero cum precibus adiunctis super singulos repetantur. Si igitur extrema unctio pluribus conferatur, impositio manus cum oratione: *Extinguatur* et deinde unctiones cum suis formis super singulos repetendae sunt; aliae vero orationes semel tantum super omnes in plurali dici possunt.

b. Si sacerdos inter unctiones deficiat, alius unctiones iam factas non debet iterare, nisi notabile tempus i. e. quarta horae pars iam effluxisset, sed sufficit, ut addat eas, quae adhuc desunt. Immo non esset invalida, sed extra casum necessitatis in ecclesia latina graviter illicita, administratio huius sacramenti, quae a pluribus simul sacerdotibus ita fiat, ut unus unam, alius aliam corporis partem inungat pronuntiando formam illi unctioni convenientem.

---

[1]) *S. Officium* 9. mart. 1917. Cn. 947, 1.

Quaestio quarta.

De ministro extremae unctionis.

439. Minister extremae unctionis est *omnis* et *solus sacerdos,* id quod a concilio trident. expresse definitum est[1]): dixerat enim s. Iacobus, ut inducantur *presbyteri ecclesiae,* qui orent super infirmum.

1. *Valide* sacramentum extremae unctionis conferre potest *omnis sacerdos:* nam ad valide ministrandum hoc sacramentum non requiritur iurisdictio, sed sola potestas ordinis, quae competit omni sacerdoti, etiam excommunicato aut suspenso aut degradato.

2. Minister *ordinarius* est *parochus loci,* in quo degit infirmus; in casu necessitatis autem et ex licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel ordinarii quilibet sacerdos hoc sacramentum administrare potest[2]).

a. Excommunicatio simpliciter reservata, quam hucusque incurrebat regularis, qui extra casum necessitatis sine licentia parochi vel ordinarii hoc sacramentum administrabat, per novum *Codicem* ablata est.

b. In casu necessitatis, scilicet si parochus absens sit vel iniuste sacramentum ministrare nolit vel excommunicatione aut suspensione ligatus sit, quilibet sacerdos ex praesumpta licentia episcopi potest, et ex caritate etiam debet, hoc sacramentum administrare.

3. Regularibus et iis, qui de eorum familia sunt, extremam unctionem confert *superior regularis,* vel is, quem ipse deputaverit. Hoc sacramentum regulares administrare possunt etiam iis, qui hospitii vel infirmae valetudinis causa diu noctuque in eorum domo morantur[3]).

440. De modo administrandi. Hoc sacramentum administrari debet *iuxta modum in rituali romano descriptum;* qua de re haec notanda sunt:

---

[1]) Sess. 14. c. 3 et can. 4 De extr. unct. Cn. 938, 1.
[2]) Cn. 938, 2.
[3]) Cn. 514, 1.

1. *Sine ulla veste sacra* i. e. sine superpelliceo et stola illud administrare grave peccatum est, excepto casu necessitatis, quo alias infirmus sine hoc sacramento decederet.

2. *Preces* in rituali *praescriptas* vel omnes vel notabilem earum partem omittere grave peccatum est, excepto iterum casu necessitatis.

3. *Sine lumine* hoc sacramentum administrare leve peccatum est; sunt tamen, qui opinentur id nullum peccatum esse[1]).

4. *Signum crucis* in singulis unctionibus faciendum omittere veniale est.

5. *Sine ministro* sacramentum administrare, etiam ubi minister haberi posset, probabiliter peccatum non est.

441. Obligatio ministrandi extremam unctionem[2]). 1. Qui pastor est, *ex officio* seu *ex iustitia* et quidem sub gravi tenetur hoc sacramentum per se vel per alium ministrare subditis suis, qui illud petunt, nisi iusta causa excuset; et ad id tenetur etiam cum gravi incommodo, immo cum periculo vitae, si hoc sacramentum est unicum medium salutis aeternae, id quod accidit, quando infirmus iudicatur esse in statu peccati mortalis, si e. g. iam a longo tempore non sit confessus, aut solum sub condicione absolvi potuerit, utpote sensibus destitutus.

Ergo tempore morbi contagiosi non tenetur parochus ungere infirmos, qui confiteri potuerunt, si id sine periculo vitae fieri non possit; et quia probabile periculum vitae a contagione in hoc casu semper adest, absolute dici potest parochum non teneri hoc sacramentum administrare. Iis autem, qui certo validam absolutionem accipere non potuerunt et ipsi sibi consulere non possunt, tenetur etiam cum periculo contagionis hoc sacramentum administrare.

Immo ex catechismo romano (q. 9) graviter peccat parochus, qui administrationem huius sacramenti differt usque ad ultimum vitae tempus, ubi infirmus iam incipit usu sensuum et rationis privari. Censet enim catechismus grave damnum inferri aegroto, si usque ad illud tempus,

[1]) Cf. *Gury-Ballerini* II. n. 498 nota.

[2]) Cn. 939.

quo mors iam proxime instat, huius sacramenti administratio differatur: nam praeterquam quod infirmus periculo exponitur moriendi sine hoc sacramento, pluribus effectibus illius privatur, scilicet speciali auxilio in ultimo agone et fortasse etiam sanatione corporis. Ideo „Omni studio et diligentia curandum est, ut infirmi illud recipiant, dum sui plene compotes sunt“[1]).

2. Qui non est pastor, *ex caritate* ideoque in necessitate communi sub levi, in necessitate autem extrema, si nempe infirmus, qui est in mortali, alias sine ullo sacramento decederet, sub gravi tenetur hoc sacramentum ministrare: cum enim extrema unctio in hoc casu sit unicum medium salutis, caritas sub gravi exigit, ut hoc proximo exhibeatur.

Quaestio quinta.

De subiecto extremae unctionis.

442. *Subiectum* extremae unctionis est omnis homo baptizatus, qui usum rationis adeptus est et ex morbo vel senio in mortis periculo versatur[2]).

Ad validam huius sacramenti receptionem in subiecto tres condiciones requiruntur:

1. Ut ungendus sit *baptizatus:* potest autem hoc sacramentum conferri etiam adulto statim post baptismum absolute et rite susceptum, quia effectus huius sacramenti est tum roborare infirmos contra tentationes daemonis tum abstergere reliquias peccatorum; atqui adultus recenter baptizatus potest utrumque hunc effectum percipere[3]).

[1]) Cn. 914.
[2]) Cn. 940, 1.
[3]) *S. C. de prop. fide* 26. sept. 1821.

2. Ut *adeptus sit usum rationis* seu ut sit capax peccati: nam ante usum rationis homo nondum est capax effectuum huius sacramenti, quod institutum est ut complementum poenitentiae ad abstergendas reliquias peccatorum. Insuper ei, qui usum rationis nondum adeptus est, non convenit forma sacramenti, cum per sensus nondum peccare potuerit; cumprimum autem homo capax est peccati, est etiam capax huius sacramenti.

a. Huius ergo sacramenti capaces non sunt *pueri* ante usum rationis; cumprimum tamen peccati capaces sunt, omnino ungendi sunt, licet nec ad primam communionem nec ad confessionem accesserint, nec septennium expleverint: et in dubio de usu rationis sub condicione (si capax es) inungantur[1]).

b. Huius sacramenti capaces non sunt *perpetuo amentes;* qui tamen lucida intervalla habuerunt, absolute, et qui probabiliter ea habuerunt, sub condicione ungendi sunt.

443. 3. Ut *ex morbo de vita periclitetur:* verbum enim apostoli: *infirmatur quis* (ἀσθενεῖ), et illud alterum: *salvabit infirmum* (τὸν κάμνοντα), sin minus ex se, certe ex interpretatione ecclesiae, infirmum periculose decumbentem significat.

a. Gravis morbus censetur, qui ex se et natura sua lethalem exitum habere potest et ad illum terminum processit, in quo probabiliter iudicari possit mortem allaturus. Cum primum hoc probabile periculum mortis adesse iudicatur, conferri *potest* extrema unctio, quia subiectum illius capax est, at nondum statim etiam dari debet. Dari autem *debet* saltem quando mors morali certitudine iam imminet[2]). Attamen ad omnes effectus certius percipiendos expedit, ut sacramentum percipiatur, cum primum periculum mortis adesse iudicatur.

b. Si ergo extrema unctio confertur infirmo, qui putatur esse in periculo mortis, reipsa autem non est, invalidum est sacramentum: nam subiectum capax ex institutione Christi est infirmus, qui reipsa in periculo mortis versatur, sicut subiectum capax absolutionis est poenitens, qui reipsa est dispositus[3]).

Si inungitur sanus aut pressus levi tantum infirmitate, quae scilicet cum probabili periculo mortis coniuncta non est, sacramentum est invalidum, utpote subiecto incapaci collatum.

---

[1]) *Benedictus XIV.* De synodo l. 8. c. 6. n. 2. Cn. 941.

[2]) *S. Alphonsus* n. 714.

[3]) Cf. *Reuter* n. 438.

Item qui non ex morbo, sed ex alia causa in periculo mortis constituti sunt, nec licite nec valide hoc sacramentum suscipere possunt. Ungendi ergo non sunt, qui mox capite plectendi sunt; milites, qui proelium inituri sunt; qui navigationem etsi periculosissimam aggressuri sunt; mulieres, quae, etsi prima vice, pariturae sunt.

Qui difficilem *operationem chirurgicam* subeunt, ante operationem inungi possunt, si periculoso morbo iam laborant, non item si operatio demum mortis periculum adducit.

c. Sufficit autem, ut infirmitas probabiliter lethalem exitum sit habitura, etsi periculum sit adhuc remotum; quare valide et licite inungi potest infirmus, qui hectica febri vel simili morbo diuturno laborat, etsi complures adhuc menses aut etiam annum integrum victurus praevideatur.

d. Inungi possunt ii, quibus periculum mortis imminet ex vulnere accepto, ex hausto veneno vel ex *senio* sine alia infirmitate; ipsa quippe senectus morbus est. Quando igitur viaticum ministrari potest infirmo non ieiuno, ei etiam dari potest extrema unctio.

e. In dubio (positivo), num infirmitas sit periculosa, dari potest extrema unctio, sed sub condicione *(si capax es)*, ne frustretur sacramentum eiusque effectus.

444. Ut licite et cum fructu recipi possit extrema unctio, requiritur status gratiae. Ideo haec servanda sunt:

a. Praemittenda est confessio, si aegrotus sit in statu peccati mortalis; et si aegrotus confiteri non possit, praemittendus est dolor cum absolutione saltem condicionata.

Si infirmus confiteri nequeat, ad effectum sacramenti percipiendum conari debet elicere contritionem saltem putativam, cum extrema unctio sit sacramentum vivorum. Quodsi solum attritionem elicere contingat, sacramentum non caret suo effectu, quia in hoc casu etiam gratiam primam confert (n. 430).

α. Quamvis status gratiae ante susceptionem extremae unctionis per contritionem procuratus, si solius sacramenti ratio habeatur, sufficiat (n. 42), praemitti tamen debet, si fieri potest *confessio*, quia exsistenti in peccato mortali confessio in periculo mortis iure divino necessaria est (221). Insuper *Rituale rom.* haec habet: „Ex generali ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus et infirmi condicio permittat, ante extremam unctionem poenitentiae et eucharistiae sacramentum praebeantur[1]".

β. Etsi moribundus ante administrationem extremae unctionis absolvendus sit, quia extrema unctio est sacramentum vivorum et com-

[1]) *Rituale rom.* tit. 5. c. 1. n. 2.

plementum sacramenti poenitentiae et quia ecclesia ita praecipit, id tamen non tanta necessitate requiritur, ut non liceat moribundum ante absolutionem inungere, ubi merito timetur, [redacted] tempus ad utrumque sacramentum administrandum deficiat.

b. Ex hodierna praxi ecclesiae viaticum administrandum est ante extremam unctionem; quod praeceptum tamen non obligat sub gravi, ideo ex iusta causa ordo licite inverti potest. Alia praxis antiquitus in ecclesia viguit, siquidem extrema unctio infirmis administrabatur statim post peractam sacramentalem confessionem. Hodiernam praxim *Rituale romanum* (l. c.) servandam esse decrevit.

c. Hoc sacramentum illis non est conferendum, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant[1]).

Ille ergo, qui sui compos sacramenta ecclesiae contumaciter reiecit, non est inungendus, quando usum sensuum vel rationis amisit: nullo enim [redacted] probabili quidem fundamento huius sacramenti intentio supponi potest.

445. Quando sub condicione danda sit. Quoties *de exsistentia condicionis* dubitatur, quae *ad validam administrationem* necessario requiritur, extrema unctio, non secus atque alia sacramenta, sub condicione, quod illa res adsit (si vivis; si baptizatus es; si usum rationis habes vel aliquando habuisti; si graviter aegrotas; si haec materia valet; si nondum unctus es; si sufficientem intentionem habes), administrari potest et debet. Quoties autem *de exsistentia dispositionis* dubitatur, a qua fructuosa administratio dependet, extrema unctio non condicionate sed absolute danda est: nam ablato obice malae dispositionis extrema unctio probabiliter (alii dicunt certe) reviviscit; atqui si sub condicione: *si dignus es* confertur indigno, ipsa, utpote nulla, reviviscere nequit.

a. Neque illicitum putetur, extremam unctionem absolute conferre ubi dispositio suscipientis est dubia et ideo sacramentum frustratur effectu, si infirmus reipsa sit indispositus. Etenim quia sacramenta sunt propter homines, licet sacramentum conferre cum periculo frustrandi effectum, non solum quando sacramentum est unicum medium procu-

[1]) Cn. 942.

randi certam animae salutem, sed etiam quando illud infirmo magnam affert utilitatem.

b. Infirmis, qui sui compotes huius sacramenti implicitam vel interpretativam intentionem habuerunt, illud *absolute* praebendum est, etiamsi deinde usum sensuum vel rationis amisissent[1]).

c. Canonem 942, qui nonnullis contra doctrinam et praxim hucusque ab omnibus admissam offendere videtur, recte interpretatur *Alb. Schmitt* affirmans, ibi non de dispositione, sed de *intentione* sermonem esse, proindeque in dubio sacramentum sub condicione conferri debere. Ratio enim, propter quam contumaciter impoenitentibus sacramentum conferendum non est, in defectu intentionis consistit[2]).

446. Obligatio suscipiendi sacramentum extremae unctionis non potest dici gravis: nullum enim exsistit praeceptum sacramenti huius suscipiendi[3]). Negligentia autem, qua quis data occasione ex mera socordia hoc sacramentum non recipit, certe veniale peccatum est.

a. Et sane praeceptum suscipiendi extremam unctionem non potest colligi α. ex *rei natura*, cum ad salutem per se non sit necessaria; neque β. *ex verbis s. Iacobi: inducat presbyteros;* quae verba ex se non magis ut praeceptiva accipi debent, quam verba immediate praecedentia; ecclesia autem nunquam declaravit ea praeceptiva esse; neque γ. *ex voluntate ecclesiae,* quae tale praeceptum nunquam dedit; verba enim cn. 944: *nemini licet illud negligere* praeceptum sub gravi obligans non continent. Cf. De confirmatione n. 92. Neque tandem δ. ex *institutione huius sacramenti:* etenim affirmari nequit illud pro moribundis esse *unicum* medium ordinarium procurandae salutis Deumque ei, qui hoc sacramentum suscipere negligit, necessarias gratias negare, quibus in ultima lucta iuvetur. Haec confirmantur ex iis, quae habet catechismus romanus[4]).

De obligatione suscipiendi extremam unctionem hucusque eadem agitabatur quaestio de confirmatione. Novus Codex consulto abstinuit ab ea dirimenda atque de utraque solum dicit: *nemini licet eam negligere.* Cum ergo status quaestionis hisce non sit mutatus, utraque sententia auctorum retinet suam probabilitatem.

Obligatio levis suscipiendi hoc sacramentum ex *praecepto caritatis* pesumenda est, quo unusquisque sibi procurare tenetur tam utile prae-

[1]) Cn. 943.

[2]) Linz.-Quartalschr. 1918 S. 419.

[3]) *S. Thomas,* Suppl. q. 29. a. 3. ad 1. *Suarez* q. 44. sect. 1. *S. Alphonsus* n. 733., qui sententiam negantem satis probabilem dicit.

[4]) Pars II. c. 6. q. 14.

sidium in extremo periculo. Qui tamen data occasione hoc sacramentum suscipere renuit, graviter peccare potest aut ratione scandali aut ratione contemptus.

b. Etsi infirmus non tenetur sub gravi suscipere extremam unctionem, *parochus* tamen α. eam sive expresse sive interpretative petenti sub gravi *administrare* tenetur, maxime ubi esset unicum medium salutis, quia parochus vi officii sui pastoralis subditis suis sub gravi procurare tenetur media non solum necessaria, sed etiam valde utilia ad salutem; β. vel per se vel per alium graviter aegrotum de periculo *monere* atque ad suscipiendum sacramentum inducere tenetur.

c. Ad quaestionem, quae sit obligatio curandi, ut extrema unctio infirmo administretur, distinguendum est: α. qui ex speciali aliquo titulo (officii vel pietatis) spiritualem aegroti curam habent ut superiores, parentes, coniuges, etiam sub gravi teneri possunt, ut infirmum de periculo *moneant* eiusque administrationem, si eam *petit*, procurent; β. qui vero aegroti spiritualem curam non habent, ut medici, infirmarii aliique domestici, sub gravi non tenentur, excepto casu, quo infirmo hoc sacramentum ad salutem necessarium sit: hi enim solum ex caritate hoc sacramentum infirmo procurare tenentur; horum autem obligatio caritatis erga infirmum nequit esse maior, quam obligatio caritatis infirmi erga se ipsum, qui sibi sub gravi procurare non tenetur.

447. De iteratione extremae unctionis. Hoc sacramentum in eadem infirmitate et in eodem mortis periculo semel tantum administrari potest, quia efficacia sacramenti tamdiu durat, quamdiu durat idem mortis periculum, in quo illud collatum est. *Iterari* autem potest (vel etiam debet), quoties infirmus in novum mortis periculum incidit[1]).

a. Sunt qui dicant hoc sacramentum in eadem infirmitate atque in eodem mortis periculo *valide* iterari posse, idque antiquitus reipsa factum esse; ex praesenti tamen ecclesiae disciplina in eodem mortis periculo *licite* iterari non posse. Quidquid de hac re dicatur, hoc certum est, sacramentum extremae unctionis dari periculose decumbentibus, ut eis auxilia praebeat, quibus in eo statu indigent; ergo eius effectus perdurat, donec aut mortem obierint aut e periculo ex eo morbo decedendi liberati fuerint.

b. Si infirmus valide quidem sed sacrilege et proinde sine effectu sacramentum extremae unctionis recepit, haec remoto obice probabiliter reviviscit (alii affirmant eam certe reviviscere), non tamen in eodem mortis periculo iterari potest. Ait enim *Rituale* l. c. n. 14. „In eadem

[1]) Cf. *Rituale rom.* tit. 5. c. 1. n. 14. *Concilium trid.* sess. 14. c. 3 De extr. unct. Cn. 940, 2.

infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit", et cn. 940, 2 haec habet: „In eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit". Cum obex in hoc [redacted] culpabiliter positus sit, ad eum removendum sacramentalis confessio, et si haec institui nequeat, contritio perfecta requiritur (n. 8).

1. In nova periculosa infirmitate, si scilicet infirmus ex morbo periculoso convaluit et in alium item periculosum incidit; et in hoc quidem casu sacramentum iterari *debet.*

2. In eadem infirmitate, si aegrotus aut certe aut saltem probabiliter e mortis periculo convaluit et in aliud mortis periculum incidit, ut in phthisi vel hydropisi quandoque accidit; et in hoc quidem casu sacramentum iterari *potest.*

3. In eadem autem infirmitate sacramentum iterandum non est, quamdiu certo idem mortis periculum perdurat. Quodsi mortis periculum accedente novo morbo augetur, idem, non novum periculum censetur.

Idem periculum perdurare censetur, si infirmus per breve solum tempus, per aliquot scilicet dies, se melius habuit, nisi ex natura morbi aliud constet; periculum econtra cessasse iudicatur, si infirmus per notabile tempus, per mensem scilicet, in diuturna infirmitate [redacted] melius habuit. In dubio, utrum idem an aliud sit mortis periculum, potius pro iteratione standum est, „eo quod iteratio conformior sit veteri consuetudini ecclesiae et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniet"[1]).

Si igitur certo constat infirmum post unctionem e periculo convaluisse, ut contingere potest in asthmaticis et phthisicis, iam post breve intervallum (unius hebdomadae) redeunte novo periculo denuo inungi potest.

Quodsi certum non est periculum post unctionem cessasse, redeunte novo periculo inungi non potest, nisi effluxerit notabile tempus, unius scilicet mensis post primam unctionem.

---

[1]) *Benedictus XIV.*, De synodo l. 8. c. 8. n. 4.

Liber septimus.

De ordine[1]).

Quaestio prima.

De natura ordinis.

Articulus primus.

De ipsa natura ordinis.

448. Definitio. *Ordo* est sacramentum, quo per impositionem manus et verba episcopi spiritualis potestas confertur et simul gratia ad sacra munia rite obeunda.

a. Nomen *ordinis* duplici sensu accipitur, active et passive. *Active* significat illam actionem sacram, per quam spiritualis potestas confertur, et hoc sensu acceptum dicitur etiam *ordinatio*. *Passive* duo significare potest, imprimis effectum per ordinationem productum, scilicet sacram potestatem, deinde etiam coetum eorum, qui in ecclesia hac sacra potestate instructi sunt et hierarchiam seu ordinem hierarchicum constituunt.

---

[1]) *S. Thomas*, Supplem. q. 34—40. *S. Alphonsus* l. 6. n. 734—830. *Sporer-Bierbaum*, Theologia sacram. III. tract. 7. n. 197—337. *Coninck*, De sacramentis II. disp. 20. *Gasparri*, De sacra ordinatione (Parisiis. Delhome. 1893). *Ballerini-Palmieri*, Opus theolog. moral.[3] V. n. 882 ss. *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae VII. De sacramento ordinis n. 583—678. *Fr. Wieland*, Die genetische Entwicklung der sog. Ordines minores in den ersten drei Jahrhunderten. 7. Supplement-Heft der röm. Quartalschrift (Freiburg, Herder 1897). *Gutberlet*, Der sakramentale Ritus der Priesterweihe. Zeitschrift für k. Theologie 1901 S. 621 ff. *Rett*, Fragen über Materie, Form und Spender der Sakramente. Weidenauer Studien Bd. 4 S. 273. *Van Rossum*, De essentia sacramenti ordinis. (Friburgi. Herder 1914).

b. Definitio proposita solum ordinem exhibet, qui est sacramentum; sed ex usu ab omnibus recepto nomine ordinis comprehenduntur etiam ordines, qui non sunt sacramenta. Definitionem, quae exhibeat omnes ordines tum sacramentales tum non sacramentales, proponit *s. Thomas: Signaculum quoddam ecclesiae* (ritus ecclesiasticus), quo spiritualis potestas traditur ordinato"[1]).

c. Spiritualis potestas, quae in ordinatione confertur, multiplex quidem est, praecipua tamen est potestas conficiendi et administrandi sacramenta, inter quae eminet eucharistia. Ad hanc potestatem complures aliae accedunt ut potestas consecrandi, benedicendi etc. Omnes ordines eorumque multiplex potestas aliquo modo *ad eucharistiam* referuntur, aut ut ipsa confici et distribui possit, aut ut fideles ad eam rite suscipiendam praeparentur[2]).

449. Numerus ordinum. In ecclesia latina *septem ordines* numerantur: ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus et sacerdotium, quod duplex est, sacerdotium minus, quod presbyteratus, et sacerdotium maius, quod episcopatus vocatur. Quatuor priores dicuntur *ordines minores,* alii vocantur *maiores* et *sacri.* Ordinibus praemittitur *tonsura.*

a. In *ecclesia graeca* nunc ante presbyteratum non conferuntur, nisi diaconatus, subdiaconatus et lectoratus, quorum duo postremi ordines minores censentur. Si clericus, qui ordines minores ritu orientali recepit, ordines sacros ritu latino recepturus est, prius ordines omissos recipere debet, cn. 1004.

b. Ordines maiores *sacri* dicuntur, tum quia eorum actus circa materiam consecratam versantur (presbyteratus et diaconatus circa corpus et sanguinem Christi, subdiaconatus circa vasa consecrata); tum quia eis annexa est obligatio servandi coelibatum et recitandi officium divinum.

c. Omnes ordines *ex unitate finis,* ad quem referuntur, unum tantummodo sacramentum constituunt, cum omnes ordinentur ad unum eucharistiae sacramentum et sacrificium.

Articulus secundus.

De effectibus ordinis.

450. De effectibus in genere. 1. Distinguuntur ordines, qui *sacramenta* sunt: diaconatus, presbyteratus et episcopatus. Horum effectus sunt:

[1]) *Supplem.* q. 34. a. 2.

[2]) *S. Thomas,* q. 37. a. 2.

a. Augmentum gratiae sanctificantis, virtutum et donorum, cum ordo sit sacramentum vivorum;

b. Gratia sacramentalis seu ius ad gratias actuales, quibus munus susceptum eiusque obligationes rite impleri possint[1]);

c. Character indelebilis, quo anima assimilatur Christo, summo sacerdoti et pastori animarum[2]);

d. Potestas spiritualis indelebilis, qua ordinatus functiones ordinis suscepti exercere possit.

α. Effectus, qui in collatione gratiae sanctificantis consistunt, non obtinent, nisi qui *digne* ad ordinationem accedunt: effectus autem, qui in impressione characteris et in collatione peculiaris potestatis consistunt, obtinent omnes, qui ordinem *valide* suscipiunt.

β. Sacramentum ordinis generatim imprimit *characterem.* Quodsi de singulis ordinibus quaeritur, num imprimant characterem, ex communiore theologorum sententia in quolibet sacramento novus imprimitur character ab aliis distinctus. Ordines non sacramentales non imprimere characterem, manifestum est.

2. Alii sunt ordines, qui *sacramenta non sunt:* subdiaconatus, et ordines minores. Horum effectus sunt:

a. Potestas spiritualis ad peragendas quasdam functiones ecclesiasticas.

b. Gratiae actuales vi orationis ecclesiae collatae ad digne exercendam potestatem traditam.

Inter ordines, qui sunt sacramenta, et ordines, qui sacramenta non sunt, hoc intercedit discrimen, quod illi effectum gratiae producunt ex opere operato, hi vero ex precibus ecclesiae et ex piis actibus ipsius ordinandi.

451. Effectus primae tonsurae. Prima tonsura, quae ante ordines tamquam dispositio ad ordines confertur, inter ordines non numeratur, quia per eam non confertur potestas spiritualis, quod de ratione ordinis est; ideo concilium trident. ait, eos, qui tonsura insigniti sunt, ad ordines ascendere posse[3]).

---

[1]) 2 Tim. 1, 6. 7.

[2]) *Conc. trid.* sess. 23. can. 4.

[3]) Sess. 23. c. 2. Cf. tamen cn. 950.

Ex institutione ecclesiastica prima tonsura complures effectus producit et clerico magna privilegia communicat:

a. Tonsuratum transfert e statu laicali in statum clericalem.

b. Confert privilegium *fori,* quo eximitur a iurisdictione fori saecularis.

c. Confert privilegium *canonis,* quo fit, ut omnes eum iniuriose percutientes incurrant excommunicationem.

d. Efficit capacem beneficii ecclesiastici.

e. Efficit capacem iurisdictionis ecclesiasticae.

f. Efficit aptum ad recipiendos ordines.

452. Effectus ordinum minorum. 1. Quatuor *ordines,* qui dicuntur *minores,* non sunt sacramenta, sed sacramentalia, cum sint institutionis ecclesiasticae: nam ante saeculum tertium non erant instituti; insuper alios ecclesia graeca, alios latina instituit.

Ordines minores sacramenta esse plerique scholastici cum *s. Thoma* docuerant[1]): hodie vero inter theologos fere communis evasit sententia, quae rationem sacramenti minoribus negat[2]). Cum constet ordines minores ante saeculum tertium in ecclesia non occurrere et postea non ubique eodem modo et numero collatos fuisse, nonnulli theologi, ut eis rationem sacramenti tribuere possint, affirmant ordines minores ex institutione Christi in diaconatu contineri, factam tamen a Christo esse ecclesiae potestatem eos a diaconatu separandi et distinctim conferendi, id quod ecclesia lapsu temporis reipsa effecit.

2. *Potestas,* quam singuli conferunt:

a. Ostiariatus tradit ordinando potestatem custodiendi ecclesiam eiusque fores aperiendi et claudendi, convocandi fideles ad functiones sacras et arcendi indignos, scilicet infideles, haereticos et excommunicatos.

b. Lectoratus tradit potestatem legendi publice in ecclesia scripturas sacras, cantandi lectiones, docendi rudes elementa fidei christianae et benedicendi panem et novos fructus.

c. Exorcistatus tradit potestatem imponendi manus super obsessos et legendi exorcismos ab ecclesia approbatos ad fugandos daemones.

---

[1]) *S. Thomas* 4. dist. 24. q. 1. a. 2. qc. 2. *Suppl.* q. 35. n. 2.

[2]) Cf. *Pesch* VII. n. 577 ■

d. Acolythatus tradit potestatem ad missae sacrificium luminaria deferendi atque vinum et aquam in missa sollemni ministrandi. Ideo acolythatus ceteris ordinibus minoribus praefertur: his enim insigniti directe solum circa populum ministrant, etsi in ordine ad eucharistiam, acolythus autem, cum diacono et subdiacono in sacrificio missae inserviat, directe ad sacrificium eucharisticum ministrat.

Functiones horum ordinum hodie mutata disciplina ecclesiastica partim abolitae sunt, partim, paucis exceptis ut exorcismi, etiam a laicis exercentur.

453. Effectus ordinum maiorum. 1. *Ratio sacramenti. Subdiaconatum* rationem sacramenti habere certum non est: cum enim antea plerumque ad minores ordines censeretur, demum inde a saeculo undecimo communiter ad maiores et sacros numerari coepit.

Diaconatum, presbyteratum et *episcopatum* rationem sacramenti habere certum est[1]).

Utrum episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an extensio quaedam et complementum ipsius sacerdotii, disputatur. Illud tamen communius affirmatur episcopatum, nondum collato sacerdotio, valide conferri non posse; alii autem ordines certo valide conferri possunt, nondum collatis praecedentibus.

2. *Eorum potestas. a. Subdiaconatus* tradit potestatem in missa sollemni ministrandi ad altare, sollemniter cantandi epistolam et lavandi pallas et corporalia.

b. Diaconatus tradit potestatem in missa sollemni et in aliis sacris functionibus sacerdoti immediate ministrandi et sollemniter cantandi evangelium. Potestas autem haec ministrandi se extendit etiam ad administrationem baptismi sollemnis et sacrae communionis, ex licentia tamen ordinarii vel parochi ex iusta causa concedenda, et potestas publice cantandi evangelium se extendit etiam ad potestatem praedicandi ex commissione episcopi.

c. Presbyteratus tradit potestatem in corpus Christi reale seu potestatem consecrandi, et in corpus Christi

[1]) *Concilium trid.* sess. 23. can. 3.

mysticum seu remittendi retinendique peccata, populum fidelem pascendi i. e. reliqua sacramenta administrandi, quae ordinem episcopalem non requirunt, doctrinam christianam tradendi et populo benedicendi.

d. Episcopatus potestatem sacerdotalem perficit et complet, eo quod tradit potestatem confirmandi, ordinandi, regendi, legitima iurisdictione accepta, populum fidelem et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

Quaestio secunda.

De materia et forma ordinis.

454. De materia et forma ordinum minorum. 1. Ordines minores sola traditione instrumentorum conferuntur. Hinc ut ordines minores valide conferantur, episcopus ordinando instrumenta tradere et ordinandus ea accipere et tangere debet. *Materia* igitur *remota* sunt instrumenta singulorum ordinum propria, materia *proxima* est eorum traditio.

2. Notandum est magnum discrimen, quod inter ordines intercedit, qui sunt sacramenta, et eos, qui sacramenta non sunt. Hi enim sunt institutionis ecclesiasticae, ideoque summi pontificis est, formam et modum determinare, quo hi ordines conferri debeant. Potest igitur ipse ritum, si voluerit, immutare et potest defectus, si qui in ordinatione acciderint, sua voluntate supplere et sanare; quocirca necesse non est, ut in ipsa ordinatione tutiora eligantur, sed satis est, ut probabilia sequamur: etenim si reipsa aliquis defectus occurrit, ecclesia illum supplet, adeo ut ordinatio certo valida sit. In collatione autem illorum ordinum, qui sunt sacramenta, tutiora sequi omnino debemus: defectus enim, qui eiusmodi ordinem reddat invalidum, ab ecclesia suppleri aut post factum sanari non potest.

3. Licet ordines minores et probabiliter etiam subdiaconatus non sint sacramenta, tamen ipsi quoque suam materiam et formam habent, a quarum recto usu valida eorum collatio dependet. Eorum autem materia et forma certo consistit in iis rebus et verbis, quae a summo pontifice pro collatione illorum ordinum in pontificali praescribuntur: cum enim summi pontificis sit ea determinare, et cum certum sit ipsum pro singulis ordinibus materiam et formam determinasse, quae in pontificali praescribuntur, de hac re non potest esse dubium[1]).

455. Materia et forma ordinum minorum in specie. 1. In *Ostiariatu* materia proxima est traditio clavium ecclesiae, quas singuli tangere debent manu dextera, dum pontifex dicit: *Sic agite* etc.

Quamvis ex praescripto pontificalis saltem duae claves tradendae sint, ad valorem tamen sufficit una, qualiscunque ea sit, sive ecclesiae aut oratorii sive domus profanae, sive metallica sive lignea[2]),

2. In *Lectoratu* materia proxima est traditio libri lectionum, quem singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite et estote* etc.

Liber tradendus potest esse missale, breviarium, volumen s. scripturae[3]); si tradatur rituale, non videtur invalida ordinatio[4]).

3. In *Exorcistatu* materia proxima est traditio libri exorcismorum (rituale), quem singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite et commendate* etc. Loco libri exorcismorum adhiberi potest pontificale vel missale.

4. In *Acolythatu* materia proxima est: *a.* traditio candelabri cum candela exstincta, quam materiam singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite ceroferarium* etc. *b.* traditio urceoli vacui, quem singuli eodem modo tangunt, dum pontifex dicit: *Accipite urceolum* etc. Ad verba episcopi respondent: *Amen.*

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl* II. 586 (n. 733), cuius animadversiones omnino dignae sunt, quae attente legantur.

[2]) S. C. R. 11. maii 1820; *S. C. de prop. fide* 27. sept. 1843.

[3]) S. C. R. 27. sept. 1783.

[4]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II. n. 686.

Ex consuetudine tangi debet candelabrum et candela atque immediate ipse urceolus; attamen non esset invalida ordinatio, si tangeretur vel sola candela vel solum candelabrum (et sic mediate candela) et urceolus mediate tantum per pelvim.

456. De materia et forma ordinum maiorum. 1. Quaenam sit singulorum ordinum materia et forma, non potest certo determinari; controversia autem, quae de hac re a dogmaticis agitur, pro praxi minoris est momenti, cum in id intendere debeamus, ut ordines certo valide conferantur et suscipiantur. Ideo in his ordinibus conferendis et suscipiendis ubique probabiliora et tutiora sequi oportet, tum ne sacramentum exponatur periculo nullitatis, tum ut servetur praeceptum ecclesiae, quae omnes hos ritus sub gravi adhibendos praescribit.

2. *Subdiaconatus* sola instrumentorum traditione et *episcopatus* sola manuum impositione confertur; in diaconatu et presbyteratu utrumque occurrit: traditio instrumentorum et impositio manuum. Num utraque materia de essentia sacramenti requiratur, controversum est. Solam manuum impositionem materiam essentialem esse, his rationibus suadetur: *a.* quia episcopatus ea sola confertur; *b.* quia ecclesia graeca in his ordinibus sola manuum impositione utitur; *c.* quia ipsa ecclesia romana per plura saecula hanc solam adhibuit. Ut tamen certo valida sit ordinatio, utraque adhiberi debet.

Quod *traditio instrumentorum* nihilominus tamquam ritus essentialis consideretur, ratio est, quia nonnulli autumant Christum Dominum materiam et formam in sacramento ordinis in specie non determinasse, sed ecclesiae determinandam reliquisse, ecclesiam autem hanc materiam et formam ut essentialem determinasse.

3. *Forma subdiaconatus* certo sunt verba, quae ab episcopo in traditione instrumentorum, et *forma episcopatus* verba, quae in manuum impositione proferuntur; in diaconatu autem et presbyteratu sunt verba, quae in manuum impositione, et, si instrumenta ad materiam essentialem pertinent, etiam verba, quae in eorum traditione recitantur.

457. Materia et forma ordinum maiorum in specie.

1. *Subdiaconatus* materia proxima duplex est: *a.* traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem singuli manu dextera tangunt, dum pontifex dicit: *Videte* etc.; *b.* traditio libri epistolarum (missalis, bibliorum), quem singuli eodem modo tangunt pontifice dicente: *Accipite librum* etc.

2. *Diaconatus* materia proxima duplex est: *a.* impositio manus dexterae episcopi super caput cuiuslibet ordinandi cum hac forma: *Accipite Spiritum s.* etc; *b.* traditio libri evangeliorum (missalis, bibliorum), quem singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite potestatem* etc.

3. *Presbyteratus* materia proxima duplex est: *a. impositio manus* episcopi recitantis ut formam orationem: *Exaudi nos* cum praefatione, quae immediate sequitur; *b. traditio calicis* cum vino et aqua et *patenae* superpositae cum hostia, dum pontifex dicit: *Accipe potestatem offerendi* etc.

Tres in ordinatione presbyteri occurrunt manuum impositiones *a.* prima est, qua episcopus utramque manum extendit super cuiuslibet ordinandi caput nihil dicens; *b.* secunda est, qua episcopus (una cum presbyteris) tenet dexteram super ordinandos extensam dicens: *Oremus fratres carissimi* etc. *Exaudi nos* etc. cum praefatione *Domine sancte* etc. *c.* tertia est, qua post communionem utramque manum singulorum capiti imponit dicens: *Accipe Spiritum S.* etc. Harum impositionum utrum una solum vel duae et quaenam, an vero omnes ad essentiam sacramenti necessariae sint, disputant. Hanc ultimam tamen ad essentiam sacramenti non requiri, colligi videtur tum ex eo, quod peragatur, postquam neosacerdotes cum episcopo iam consecrarunt, tum ex eo, quod antiquitus haec impositio non fieret, postea autem addita videtur, ut signo visibili demonstretur in potestate sacerdotali ordinatis collata contineri potestatem remittendi retinendique peccata[1]).

4. *Episcopatus* materia proxima est impositio manuum consecrantis, et forma videtur esse oratio, quae hanc impositionem comitatur. Etsi alia, ut impositio libri evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi et verba: *Accipe Spiritum sanctum* essentialia non videantur, practice tamen servari debent, ac si essentialia essent.

[1]) Cf. *Gasparri* II. n. 1069 et n. 1074.

a. Si in calice, qui in ordinatione ad presbyteratum tangendus traditur, aut non continetur vinum, aut vinum, quod ibi continetur, materia invalida est, ordinatio dubia est et proinde sub condicione iterari debet. Idem dicendum est, si patenae ab ordinando tangendae aut nulla aut invalida superponitur hostia. Quodsi panis et vinum materia sunt solum illicita, ordinatio certo valida est[1]).

b. In ordinatione subdiaconi et presbyteri non ad valorem, sed solum ad liceitatem ordinationis requiritur, ut *instrumenta*, scilicet calix et patena, sint *consecrata*. Censet *s. Alphonsus* (n. 747) *in praxi* sequendam esse sententiam, quae vasa consecrata requirit. Attamen *theoretice* opposita doctrina vera videtur, quia nullo iure ad validam ordinationem requiruntur instrumenta consecrata, ad symbolicam autem repraesentationem, quam ecclesia in tradendis instrumentis intendit, etiam instrumenta non consecrata sufficiunt[2]).

458. De supplendis defectibus in ordinatione commissis. Defectus in ordinatione committi potest, eo quod aliquid, quod ad ritum ordinationis pertinet, aut plane omittitur aut male administratur.

1. Si defectus *certo* commissus est, et quidem circa ritum *certo essentialem* e. g. circa materiam aut formam, tota ordinatio absolute repetenda est.

2. Si defectus *probabiliter* tantum commissus est, aut si commissus est circa ritum *probabiliter* tantum *essentialem* e. g. circa traditionem vel tactum instrumentorum, tota ordinatio sub condicione repetenda est. Quodsi defectus iste inter ipsam ordinationem (e. g. ante canonem) deprehenditur, sufficit, ut solus ritus omissus vel ante peractus in eadem ordinatione suppleatur.

Nisi adsit *dubium positivum* de defectu commisso, ordinatus acquiescere et celebrationem continuare debet. Quare sapienter monet *Busenbaum:* „etiamsi quis timeat, [redacted] invalide ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse ordinem, cum sola oblivio vel timor non sufficiat

---

[1]) *S. Officium* 6. iul. 1898 et 17. ian. 1900 decrevit ordinationem sub condicione iterandam esse, quia in ordinatione *defuit hostia* super patenam; et 11. ian. 1899 idem decrevit, quia presbyteris ordinandis traditus est *calix absque vino.*

[2]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 905.

ad prudens et rationabile dubium vel probabilitatem[1]). " Et haec est ratio, quam s. sedes ad *scrupulum* Fr. Ephrem, se nempe non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad presbyteratum, respondit eum „posse continuare celebrationem"[2]).

3. Si defectus commissus est in ritu, qui *supponit potestatem essentialem* iam collatum, ut est tertia impositio manuum, qua iuxta aliquos confertur potestas in corpus Christi mysticum supponens potestatem in corpus Christi reale, haec sola pars suppleri debet.

4. Si defectus commissus *certo accidentalis* est, sed *gravis*, quamprimum suppleri debet; quodsi defectus commissus *levis* est, nihil suppleri debet.

a. Res *gravis* censetur: α. unctio manuum, et quidem ex omnium sententia; ex quorundam sententia etiam β. traditio vestimentorum.

b. Ad unctionem manuum ex praescripto pontificalis romani adhiberi debet oleum catechumenorum; quodsi per errorem adhibeatur s. chrisma, non est repetenda unctio, sed sacerdos sine unctionis iteratione tutus in conscientia et absque animi anxietate esse potest[3]).

c. Res *levis*, quae proinde, etsi omissa fuerit, suppleri non debet, est: α. impositio manuum, quae a presbyteris fit; β. recitatio canonis cum episcopo.

459. De impositione manuum. 1. Manus impositio super caput ordinandi *tactu physico* seu corporali fieri debet, sed sufficit tactus *mediatus*, ut si ordinandi caput pileolo tegatur[4]).

Si manus episcopi caput ordinandi physice non tetigit, et defectus in ipsa ordinatione, sed ante tertiam manus impositionem deprehenditur, impositio cum tactu physico suppleri debet, id quod fieri potest in ipsa ordinatione; quodsi defectus post tertiam impositionem aut post ordinationem demum deprehenditur, integra ordinatio sub condicione iteranda est[5]). Si in ordinatione diaconatus tactus physicus non adfuisset, eius iteratio facienda esset etiam post susceptum presbyteratum.

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 757.
[2]) S. C. R. 3. dec. 1661 n. 1221.
[3]) *S. Officium* 22. iul. 1874.
[4]) *S. Officium* 22. iun. 1892.
[5]) *S. Officium* 19. aug. 1851; 4. iul. 1900.

2. Ordinatio sub condicione iteranda est, si prima manuum impositio ab episcopo omissa fuit[1]), item si omissa fuit secunda, etsi facta fuerit prima et omnes orationes rite prolatae sint[2]). Sed valida est ordinatio, si episcopus saltem immediate ante[3]) vel immediate post[4]) orationem: *Oremus fratres* manum extensam habuit vel eadem durante manum extendit.

Si in ordinatione omissa fuit manuum impositio ad orationem: *Oremus fratres,* valet ordinatio, dummodo repetitio formae et manuum impositio facta fuerit ante instrumentorum traditionem[5]).

3. Si facta prima manuum impositione dextera nec ab episcopo nec a sacerdotibus extenditur, dum alii sacerdotes manus imponunt, ordinatio valida est et nihil suppleri debet, modo extensio dexterae facta sit, dum episcopus orationem: *Oremus fratres* pronuntiavit[6]).

Secundum usum romanum, quem servandum S. R. C. decrevit, manus dexterae extensio facienda est statim ac singuli primam impositionem peregerunt, non ab omnibus simul, quando omnes primam impositionem compleverunt; et haec manuum extensio desinit desinente oratione: *Oremus fratres*[7]).

4. Ordinatio valida est, etsi presbyteri assistentes secundam manus impositionem, dum legitur oratio seu exhortatio: *Oremus fratres,* omittant[8]).

5. Si episcopus in pronuntiandis verbis, quae tertiam manuum impositionem comitantur, erravit e. g. dicendo: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata retinentur eis et quorum retinueris remissa sunt,* secreto supplenda

---

[1]) *S. Officium* 4. iul. 1900.

[2]) *S. Poenitent.* 31. mart. 1888.

[3]) *S. Officium* 30. nov. 1898.

[4]) *S. Officium* 14. dec. 1898.

[5]) *S. Officium* 3. mart. 1899.

[6]) *S. Officium* 12. sept. 1877; 17. mart. 1897. *S. Poenitent.* 31. mart. 1888. *S. Officium* 6. iul. 1898 decrevit ordinationem iterandam esse, in qua episcopus ordinans, dum recitaret orationem: *Oremus fratres,* manus initio ante pectus iunctas, deinde vero disiunctas habuit, sed dexteram super ordinandos non extendit.

[7]) S. C. R. 31. aug. 1872 n. 3274.

[8]) *S. Officium* 6. iul. 1898.

est eadem impositio cum sua forma sive ab eodem sive ab alio episcopo[1]).

460. De tactu instrumentorum. 1. Ut certo valida sit ordinatio, tangi debet utrumque, tum calix cum vino et aqua, tum patena cum hostia, sed sufficit, ut *mediate* tantum tangantur.

Sicut enim episcopus utramque materiam tradere, ita ordinandus utramque acceptare debet, id quod exigit conceptus traditionis. Insuper sicut ad offerendum missae sacrificium utraque materia consecrari, ita in ordinatione utraque tangi debet. *S. C. C.* 28. maii 1796 s. ordinationem ex integro iterandam decrevit, in qua ordinatus tetigerat patenam, non autem calicem. Recenter tamen duo edita sunt decreta *s. Officii*, alterum 8. maii 1895, quo declaratur valida ordinatio presbyteri, qui dubitabat, an calicem tetigerit; alterum 17. mart. 1897, quo valida declaratur ordinatio presbyteri, qui tetigerat hostiam cum patena, non item calicem, quamvis hunc digito tangere conaretur. Ex his declarationibus *Lehmkuhl* certum esse putat, utriusque instrumenti tactum ad validam ordinationem non amplius esse necessarium[2]); *Gennari* tamen censet, per haec decreta statum quaestionis non immutari, attamen saltem dubiam esse ordinationem[3]). Et recte quidem, quia s. congregatio hisce decretis non determinat, quid de iure necessarium sit, sed solum in casu dubii acquiescendum esse dicit.

2. Qui tangit hostiam, non autem patenam, valide ordinatus est: nam per hostiam mediate tangit etiam patenam, et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam, item valide ordinatus est, quia tactus hostiae non requiritur, ut patet ex pontificali romano[4]).

3. Sufficit unitas seu *simultaneitas moralis* inter tactum instrumentorum et pronuntiationem formae; ideo valide ordinatus censetur tum ille, qui prius calicem tetigit et deinde, quando episcopus formam protulit, solum patenam cum hostia[5]), tum ille, qui instrumenta prius tetigit, ea autem tangere non potuit, quando forma proferebatur[6]).

---

[1]) *S. Officium* 9. dec. 1897.
[2]) *Lehmkuhl*, Casus consc. II. n. 692.
[3]) *Gennari*, Consultazioni morali canon. liturg. I. cons. 102.
[4]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 904.
[5]) *S. Officium* 17. mart. 1897; 17. ian. 1900.
[6]) *S. Officium* 17. mart. 1897.

4. Tactus instrumentorum probabiliter debet esse *physicus,* sed sufficit, ut una manu fiat vel medio aliquo velo aut chirotheca: vere enim tangere dicitur, qui sic mediate rem tangit.

5. Si in sacra ordinatione non traditur aut non tangitur *liber,* non est iteranda ordinatio, sed defectus per episcopum suppleri debet.

Quaestio tertia.

De ministro ordinis.

461. De ministro validae ordinationis. 1. Minister *ordinarius* validae ordinationis est quivis et solus episcopus consecratus, quod constat ex definitione ecclesiae[1]).

a. Episcopus *electus* et *confirmatus* potest quidem licentiam facere subditis suis, ut ab alio episcopo ordinentur, at ipse eos ordinare non potest, nisi *consecratus* sit. Episcopus consecratus autem semper valide ordinare potest, etiamsi degradatus sit aut episcopatum abdicaverit.

b. Episcopus est minister ordinarius etiam *ordinis episcopalis,* etsi ad hunc conferendum indigeat *assistentia* aliorum saltem duorum episcoporum. Haec tamen assistentia solum ad licite conferendum ordinem requiritur, ut ex eo constat, quod per dispensationem summi pontificis aut episcopus solus aut assistentibus tantum presbyteris eum conferre potest[2]).

2. *Minister extraordinarius* validae ordinationis est sacerdos, qui a iure vel a s. sede potestatem accepit aliquos ordines conferendi[3]). Hac potestate instructi sunt:

a. Cardinales, qui primam tonsuram et ordines minores conferre possunt, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii ordinarii[4]). (Ex novo iure cardinales presbyteratum habere debent).

[1]) *Concilium trid.* sess. 23. can. 7. Cn. 951.
[2]) Cn. 954.
[3]) Cn. 951.
[4]) Cn. 239, 1. n. 22.

b. Vicarius et Praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius,* si episcopi sunt, quoad ordinationem aequiparantur episcopo dioecesano. Si episcopi non sunt, conferre possunt primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus tum aliis, qui litteras dimissorias exhibent. Alias ordinatio ab eis peracta invalida est[1]).

c. Abbates regulares, qui episcopi non sunt nec territorium habent, possunt suis subditis vi professionis saltem simplicis primam tonsuram et ordines minores conferre. Alias ordinatio ab eis collata, revocato quolibet contrario privilegio, invalida est[2]).

Episcopus quidem vi ordinationis potestatem habet conferendi omnes ordines etiam non subditis; abbas autem vi benedictionis nullam potestatem habet conferendi ordines, ne primam tonsuram quidem, sed potestatem accipere debet ab ecclesia. Iam vero ecclesia potestatem conferendi tonsuram et minores propriis subditis regularibus omnibus abbatibus, ulteriorem potestatem per speciale privilegium nonnullis tribuerat, quod quidem nunc revocatum est.

462. De ministro licitae ordinationis. 1. Nulli episcopo licet quemquam consecrare in episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato: consecratio enim episcopi reservatur r. pontifici[3]).

2. Licite ordines conferre non potest nisi *episcopus proprius* vel alienus cum proprii episcopi licentia[4]).

Episcopus proprius iusta causa non impeditus per se ipse suos subditos ordinare debet[5]).

3. Ut *episcopus alienus* aliquem ordinare possit, hic afferre debet proprii episcopi *litteras dimissorias*[6]).

4. Nemini licet ordinatum a r. pontifice ad altiorem ordinem promovere sine apost. sedis facultate[7]).

---

[1]) Cn. 957.
[2]) Cn. 964.
[3]) Cn. 953.
[4]) Cn. 955.
[5]) Cn. 955, 2.
[6]) Cn. 955, 1.
[7]) Cn. 952.

463. Quis sit episcopus proprius. 1. Quoad *ordinationem saecularium* ex triplici titulo episcopus potest esse proprius ordinandi episcopus:

a. Si ordinandus in dioecesi habet *domicilium una cum origine.*

a. Qui fortuito in aliqua dioecesi natus est occasione itineris vel alterius temporariae morae, etsi diuturnae, patris in illo loco, ordinari debet ab episcopo loci, ubi tunc pater domicilium habebat, et si nullum domicilium tunc temporis habebat, ubi pater natus est. Episcopus igitur domicilii vel (hoc deficiente) originis patris est episcupus originis filii, qui casu in aliqua dioecesi natus est, nisi postea pater ibi, ubi fortuito natus est filius, domicilium acquisierit: in hoc enim casu istius episcopus est episcopus proprius filii ratione originis.

b. Si ordinandus est *illegitimus,* eius domicilium est domicilium matris; si est *expositus,* eius domicilium est locus, ubi repertus est; si est *infidelis baptizatus,* (neophytus), eius locus originis (domicilium) non est ut hucusque locus baptismi, sed locus, in quo tempore baptismi domicilium aut quasidomicilium habebat pater, cn. 90, 1.

b. Si ordinandus in dioecesi habet *domicilium* (sine origine) et *iuramento* confirmat, se habere animum perpetuo in dioecesi manendi.

Nihil impedit, quominus aliquis duo domicilia in diversis dioecesibus habeat atque ideo ab alterutro episcopo ordinari possit, sed suscepta semel ordinatione non potest amplius ad utramque dioecesim pertinere: per ordinationem enim a proprio episcopo susceptam eiusdem dioecesi incardinatur; repugnat autem, ut quis duabus dioecesibus incardinatus sit[1]).

c. Si in dioecesi *incardinatus*[2]) est aut α. per primam tonsuram[3]), aut β. per beneficium residentiale, quod in dioecesi obtinuit[4]).

Nota a. Si ordinandus non habet, nisi dioecesim originis, incardinari debet, ut ab episcopo originis ordinari possit. *b.* Non prohibetur episcopus ordinare alumnum, suum subditum (ratione domicilii), quamvis pro futuro alterius dioecesis servitio destinatus sit.

---

[1]) Cf. *Gasparri* II. n. 857.

[2]) De natura incardinationis et modum eandem exsequendi vide canonistas.

[3]) Cn. 111, 2.

[4]) Cn. 114.

2. *Religiosi* a superioribus suis legitime ad episcopum dimissi ab hoc licite ordinari possunt[1]).

Nota. *De dimissis e seminario vel ex instituto religioso.*

a. Episcopus nequit admittere in suum seminarium alienum subditum, nisi prius secretis litteris ab episcopo oratoris cognoverit, num fuerit e proprio ipsius seminario dimissus. Dimissum admittere prohibetur, nisi certo compererit, nihil in eo esse, quod sacerdotali statui minus conveniat[2]). Quodsi bona fide eum admittat et cognita eius condicione eum retinere velit, censetur huic dioecesi adscriptus servatis tamen canonicis regulis pro eius incardinatione et ordinatione.

b. Nec admittere potest dimissum ex aliquo instituto religioso, nisi prius secretis litteris a superioribus instituti exquisierit et constiterit, nihil in dimisso esse, quod sacerdotali statui non conveniat.

c. Dimissi e seminario, si postea in alia dioecesi sacris ordinibus donentur, in dioecesim, a cuius seminario dimissi fuerant, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur. Idem tenendum est, si huiusmodi dimissi in instituto religioso ordinentur et postea inde exeant[3]).

Quaestio quarta.

De subiecto ordinis.

Articulus primus.

De ipso subiecto.

464. Subiectum validae ordinationis. Subiectum *validae* ordinationis est omnis et solus mas baptizatus, etiamsi ad usum rationis nondum pervenerit. Constat ex institutione Christi, qui solus viris ordines conferri voluit[4]).

Ad *valide* igitur suscipiendos ordines requiritur et sufficit: α. ut ordinandus sit mas; β. ut sit baptizatus; γ. ut habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi ordinem, si sit adultus.

---

[1]) Cn. 965 966.
[2]) Cn. 1363, 3.
[3]) S. C. C. 22. dec. 1905.
[4]) Cn. 968, 1.

a. Puer ante usum rationis valide ordinatur: infans enim capax est illorum sacramentorum, quae non exigunt condicionem, quam ipse praestare nequeat, ut poenitentia et matrimonium; atqui ordo nullum actum a suscipiente ponendum exigit. Eiusmodi autem puero ordinato post sufficientem usum rationis optio datur vel ministrandi in ordine suscepto vel transeundi ad vota saecularia; electione facta demum tenetur obligationes ordinis suscepti implere atque in [redacted] perseverare[1]).

b. Ergo incapax ordinis, et quidem iure divino, si ordo est institutionis divinae, et iure ecclesiastico, si ordo est institutionis ecclesiasticae, est femina et non baptizatus.

c. Ratio, ob quam mulier sacros ordines suscipere nequit, haec est, quod clerico, utpote ad regimen fidelium deputato[2]), quaedam superioritas conveniat, mulier autem natura sua viro inferior et subiecta sit, quamvis quoad personam donis naturae et gratiae prae viro praecellere possit[3]).

465. Subiectum licitae ordinationis. 1. Ad *licite* suscipiendos ordines requiritur, ut ordinandus iudicio proprii ordinarii debitis qualitatibus instructus nec ulla irregularitate vel alio impedimento irretitus sit[4]).

2. Ordinandus *saecularis* iudicio proprii episcopi debet esse necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis. Potest tamen ordinari etiam proprius subditus, qui pro futuro ad servitium alterius dioecesis destinatus sit[5]).

3. Ad sacros ordines promovendi *canonica idoneitate* idonei sint oportet, de qua idoneitate episcopus positivis argumentis moraliter certus esse debet[6]).

4. Nefas est quemquam ad statum clericalem suscipiendum aliquo qualicunque modo cogere[7]).

Clericus, qui metu gravi coactus ordinem sacrum suscepit nec postea ordinationem ratam habuit, per sententiam iudicis ad statum laicalem redigi potest sine ulla coelibatus et horarum canonicarum obligatione[8]).

---

[1]) *Benedictus XIV.* const. *Eo quamvis* 4. maii 1745.
[2]) Cn. 948.
[3]) Cf. Gen. 3, 16. 1 Cor. 11, 3. 14, 34.
[4]) Cn. 968, 1.
[5]) Cn. 969.
[6]) Cn. 973, 3.
[7]) Cn. 971.
[8]) Cn. 214, 1.

5. Episcopus curare debet, ut ii, qui ad sacros ordines aspirant, iam a teneris annis in seminario puerorum instituantur atque educentur; omnes autem per integrum s. theologiae curriculum in seminario clericorum commorari debent, nisi ordinarius in casu particulari ex gravi causa dispensaverit. Qui legitime extra seminarium morantur, commendentur idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet[1]).

Articulus secundus.

De requisitis in subiecto.

Ad ordines licite suscipiendos in ordinando sive ex rei natura sive ex praescripto canonum complures qualitates requiruntur.

1. *Ut sit in statu gratiae:* cum enim ordo sit sacramentum vivorum, supponit gratiam primam. Ad ordines igitur, qui non sunt sacramenta, sed solum sacramentalia, licite suscipiendos status gratiae per se non requiritur, adeo ut (saltem graviter) non peccet, qui in statu peccati ad eiusmodi ordinationem accedat; ratione eucharistiae vero, quae in ordinatione suscipi solet, status gratiae requiritur.

2. *Ut sit confirmatus;* concilium trident. ait: „prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint“ quod etiam novus Codex exigit[2]).

Ratio est, tum quia non censentur satis firmi in fide, qui nondum confirmati sunt, tum quia non decet, ut aliorum duces constituantur, qui nondum facti sunt milites Christi.

3. *Ut sit immunis a censura et irregularitate*[3]) de quibus alibi dicitur[4]).

---

[1]) Cn. 972.
[2]) *Concil. trid.* sess. 23. c. 4. De reform. Cn. 974, 1.
[3]) Cn. 968, 1.
[4]) Cf. *De poenis eccl.*

4. *Ut habeat animum clericandi.* Iam ad primam tonsuram requiritur *propositum* ascendendi ad presbyteratum et talis vitae habitus, ut exspectari possit, ordinatum futurum esse dignum sacerdotem. Si tamen ordinatus ad superiorem ordinem ascendere recusat, episcopus eum nec ad illum recipiendum cogere, nec a receptorum ordinum exercitio prohibere potest, nisi obsit gravis causa vel impedimentum[1]).

466. 5. *Ut sit exercitiis spiritualibus excultus.* 1. Exercitia spiritualia peragere debent:

a. Promovendi ad primam tonsuram et ordines minores saltem per tres integros dies;

b. Promovendi ad ordines sacros saltem per sex integros dies.

Si qui intra semestre ad plures ordines maiores promovendi sint, potest ordinarius tempus exercitiorum ad diaconatum reducere, sed non infra tres integros dies.

2. Si expletis exercitiis ordinatio ex qualibet causa *ultra semestre* differatur, exercitia iteranda sunt, secus iudicet ordinarius, num iteranda sint.

3. Exercitia haec peragant *saeculares* in seminario aut in alia pia vel religiosa domo ab episcopo designata; *religiosi* in propria vel in alia domo pro arbitrio superioris.

4. De peractis exercitiis episcopus certior reddendus est testimonio superioris domus, in qua peracta fuerant; quoad religiosos testimonio proprii superioris maioris[2]).

467. 6. *Ut sit moribus ordini suscipiendo congruentibus praeditus.* Ut episcopo de vita et de moribus ordinandi et de eius immunitate a quovis impedimento canonico constare possit, praecipiuntur *denuntiationes publicae*[3]).

1. Ante singulos ordines sacros nomina promovendorum (exceptis religiosis, qui vota perpetua emittunt) publice denuntiandi sunt in cuiusque ecclesia parochiali.

---

[1]) Cn. 973, 1. 2.
[2]) Cn. 1001.
[3]) Cn. 998.

Ordinarius autem potest *a.* ab ipsa publicatione ex iusta causa dispensare; *b.* praecipere, ut etiam in aliis ecclesiis peragatur; *c.* publicationi substituere affixionem ad valvas ecclesiae per aliquot dies, inter quos unus saltem dies festus esse debet; *d.* alias investigationes etiam privatas facere, si id necessarium vel opportunum iudicaverit.

2. Publicatio fieri debet in ecclesia die festo de praecepto inter missarum sollemnia aut alia die et hora, quibus maior populi frequentia habetur.

3. Si candidatus intra sex menses non fuerit ordinatus, publicatio repetenda est, nisi ordinario aliud videatur.

Fideles impedimenta, quae norint, ordinario vel parocho ante ordinationem revelare tenentur[1]).

4. Parocho, tum ei, qui publicationem peregit tum etiam alteri, ordinarius committere potest, ut de ordinandorum vita et moribus exquirat et litteras testimoniales de hac re ad curiam transmittat[2]).

468. 7. *Ut sit in aetate canonica constitutus.*

a. Pro prima tonsura et ordinibus minoribus determinata aetas non praescribitur, sed cum nemo sive saecularis sive regularis ad primam tonsuram promovendus sit ante inceptum cursum theologicum, affirmari potest, eam ante 18. vel 19. aetatis annum ordinarie recipi non posse[3]).

b. Pro *subdiaconatu* aetas canonica est annus 21. completus;

c. Pro *diaconatu* annus 22. completus;

d. Pro *presbyteratu* annus 24. completus;

e. Pro *episcopatu* annus 30. completus[4]).

α. Episcopis s. sede solet communicari facultas dispensandi in defectu aetatis unius anni, sed tantum ad sacerdotium suscipiendum. Ipsa s. sedes rarissime dispensat in aetate ad subdiaconatum, raro ad diaconatum suscipiendum; pro sacerdotio autem suscipiendo saepe dispensat, etiam in defectu unius anni cum dimidio.

---

[1]) Cn. 999.
[2]) Cn. 1000, 1.
[3]) Cn. 976, 1.
[4]) *Concilium trid.* sess. 23. c. 12. De reform. Cn. 975.

β. Qui malitiose (sciens et volens) ante canonicam aetatem s. ordinem suscepit, ipso facto a suscepto ordine suspensus est[1]).

469. 8. *Ut sit debita scientia instructus.* 1. Praescriptiones a concilio trid. hac de re latae recentibus ecclesiae legibus immutatae atque praesentis temporis indigentiis accommodatae sunt. Itaque

a. Nemo sive saecularis sive regularis ad *primam tonsuram* promoveatur, ante inceptum cursum theologicum, nisi ergo regulare humaniorum studiorum curriculum expleverit.

b. Subdiaconatus conferendus non est, nisi exeunte tertio cursus theologici anno.

c. Diaconatus, nisi incepto quarto anno.

d. Presbyteratus, nisi post medietatem anni quarti[2]).

Cursus theologicus peractus [redacted] debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum normam Codicis iuris canonici[3]).

Insuper requiritur, ut [redacted] scholasticus expleat spatium novem mensium cum examine finali feliciter peracto[4]).

2. *De praevio examine. a.* Omnes ordinandi (sive saeculares sive religiosi) praevium *examen* subire debent circa ordinem suscipiendum, et ordinandi ad *sacros ordines* etiam ex aliis s. theologiae tractatibus. Ipsos tractatus sicut etiam examinatores et methodum examinis episcopus determinat.

b. Omnium ordinandorum examen recipit loci ordinarius, qui iure proprio ordinat aut litteras dimissorias concedit. Potest tamen ex iusta causa illud etiam episcopo ordinaturo committere, si hoc onus suscipere velit.

c. Episcopus alienum subditum (sive saecularem sive religiosum) cum legitimis dimissoriis ordinans, quibus asseritur candidatum examinatum atque idoneum repertum fuisse, attestationi acquiescere potest, sed non tenetur. Et

---

[1]) Cn. 2324.
[2]) Cn. 976.
[3]) Cn. 976, 3.
[4]) *S. C. Consist.* 24. mart. 1911.

si pro sua conscientia censet, candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat[1]).

470. 9. Ut professionem fidei emiserit. Ex praescripto novi Codicis omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus professionem fidei (et, donec aliter statutum fuerit, iuramentum antimodernisticum) emittere tenentur. Insuper ordinario competit ius eam ante collationem singulorum ordinum denuo exigendi, si id necessarium vel utile duxerit[2]).

Articulus tertius.

De requisitis ante ordinationem.

471. *Documenta,* quae ordinandus, sive saecularis sive religiosus est, sibi comparare et episcopo exhibere debet, haec sunt.

Quae hic dicuntur; de omnibus ordinandis tum saecularibus tum religiosis valent: quoad ordinationes enim religiosi saecularium iure reguntur[3]).

1. **Litterae testimoniales** ordinarii illius loci, in quo promovendus tamdiu moratus est, ut impedimentum canonicum ibi contrahere potuerit. Tempus, quo promovendus impedimentum canonicum contrahere potuit, est *semestre post pubertatem,* pro *militibus trimestre,* quia tempore servitii militaris multo facilius impedimentum contrahitur.

Testimoniales de vita et moribus nec non de absentia cuiusvis impedimenti canonici testari et exhiberi debent, etsi moraliter certum sit, candidatum nullum contraxisse impedimentum canonicum.

2. Concedi debent ab *ipso ordinario* (Vicario generali), nec sufficit, si a parocho vel a rectore seminarii concedantur. Insuper concedi debent in ordine ad suscipiendos ordines sive minores sive maiores, non sufficit testimonium de eadem quidem re, sed in alium finem datum.

---

[1]) Cn. 996. 997.

[2]) Cn. 1406, 1. n. 7. *S. C. Consist.* 24. mart. 1911; *S. Officium* 22. mart. 1918.

[3]) Cn. 993.

3. Episcopus ordinans pro sua prudentia litteras testimoniales exigere potest etiam ob brevius commorationis tempus, et etiam ob tempus, quod pubertatem antecessit.

4. Si loci ordinarius neque per se neque per alios promovendum satis noverit, ut de eo testari possit, vel si promovendus per tot dioeceses vagatus sit, ut impossibile vel nimis difficile evadat, omnes litteras testimoniales conquirere, provideat ordinarius saltem per *iuramentum suppletorium* a promovendo praestandum.

5. Si post obtentas litteras testimoniales et ante ordinationem promovendus praedicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales ordinarii loci necessariae sunt.

6. Si quis acceptis dimissoriis proprii episcopi ab alieno episcopo ordinatur, etiam proprii episcopi litterae testimoniales addendae sunt[1]).

7. *Religiosi* exhibere debent litteras testimoniales superioris maioris.

472. 2. Litterae dimissoriae[2]). Qui a proprio episcopo exsistente iusta causa non ordinantur, acceptis legitimis eiusdem dimissoriis litteris ab alio quocunque communionem cum ap. sede habente, ad quem mittuntur, ordinari possunt, dummodo non sit diversi ritus.

1. Litteras dimissorias *dare possunt saecularibus: a. Episcopus proprius* postquam dioecesis possessionem cepit, etsi nondum consecratus sit;

b. Vicarius generalis, si episcopus specialem facultatem ad id concesserit;

c. Vicarius capitularis de consensu capituli post annum a sede vacante. Intra annum iis, qui actu habent vel recipient beneficium, ad quod intra annum certus ordo requiritur; et iis, quibus commissum vel committendum est officium, cui propter necessitatem dioecesis sine mora pro-

[1]) Cf. Cn. 993, 4. Cn. 994.

[2]) Cn. 958 ss.

videndum est. Iis tamen, qui ab episcopo reiecti fuerint, litteras dimissorias concedere nequit.

d. Vicarius et Praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, etiam ad ordines maiores, licet charactere episcopali careant.

2. Litterae dimissoriae concedendae non sunt, antequam exhibita sint omnia, quae iure exiguntur.

3. Si promovendus tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum in dioecesi episcopi ordinantis moratus sit, hic testimonia directe colligat.

4. Litterae dimissoriae ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari possunt, sed semel concessae non exstinguuntur morte concedentis vel eius ab officio amotione, quia sunt gratia facta.

5. Quoad *religiosos* haec statuta sunt[1]):

a. Religiosi exempti litteras dimissorias accipere debent a proprio superiore maiore;

b. Religiosi, qui vota simplicia tantum sed perpetua emittunt, a superioribus suis litteras dimissorias ad ordines minores tantum accipere possunt.

c. Ceteri religiosi omnes iure saecularium reguntur, revocato quolibet privilegio dandi dimissorias pro ordinibus maioribus[2]).

473. 3. **Titulus canonicus** pro ordinibus maioribus. Tituli nomine significatur provisio de sustentatione honesta ordinati in sacris[3]).

a. Cum non deceat, ut ii, qui divino ministerio addicti sunt, ad se sustentandos aut mendicare aut sordidum quaestum exercere debeant, ecclesia ab antiquissimis temporibus hanc regulam servavit, ut nullus ad ordines promoveretur, de cuius honesta sustentatione non esset provisum[4]).

---

[1]) Cn. 964 ss.
[2]) Cn. 964.
[3]) Cn. 979 – 982.
[4]) *Concilium trid.* sess. 21. c. 2. De reform.

b. Ideo titulus debet esse vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem secundum normas ab ordinariis dandas[1]).

1. Titulus pro *clericis saecularibus* est titulus beneficii, eo deficiente titulus patrimonii aut pensionis. Si horum nullus praesto sit, suppleri potest titulo servitii dioecesis et in locis *S. C. de Propag. fide* titulo missionis.

2. Episcopus, qui absque apostolico indulto suum subditum sine titulo scienter ordinaverit aut ordinari permiserit, debet ipse eiusque successores eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec aliter provisum fuerit.

3. Ordinatus in sacris, qui titulum amittit, alium sibi providere debet, nisi iudicio episcopi de congrua eius sustentatione aliter cautum sit. Si cui post susceptum subdiaconatum titulus pereat, non potest altiorem ordinem suscipere, antequam novum acquisierit.

4. Pro *religiosis: a.* Pro regularibus titulus canonicus est sollemnis professio seu titulus paupertatis; *b.* Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensae communis, congregationis vel alius similis; *c.* ceteri religiosi etiam quoad titulum iure saecularium reguntur.

a. Duobus titulis pro saecularibus hucusque vigentibus, beneficii et patrimonii, Codex addit titulum *pensionis*, qui aequivalet patrimonio, si nempe clericus ius habet percipiendi pensionem securam et sufficientem, sive ab ecclesia sive a gubernio sive ab hominibus privatis ea praebeatur. His accedunt duo tituli, qui illos supplere possunt, servitii dioecesis et missionis. Alios titulos novus Codex non commemorat.

b. Clericus, qui ad titulum servitii dioecesis aut missionis ordinatur, iureiurando se perpetuo devovere debet servitio dioecesis aut missionis.

Quibus documentis accedunt **testimonia:**

4. Testimonium de *examine ordinationis;*

5. Testimonium *ultimae ordinationis,* et si de prima tonsura agitur, baptismi et confirmationis;

6. Testimonium *de peractis studiis* pro singulis ordinibus requisitis;

---

[1]) Cn. 979, 2.

7. Testimonium rectoris seminarii aut sacerdotis, cui candidatus extra seminarium commendatus fuerat, *de bonis moribus;*

8. Testimonium *ordinarii loci,* in quo ordinandus per semestre (trimestre) moratus est, vel superioris maioris, si de religioso agitur.

Articulus quartus.

De requisitis in ordinatione.

474. Ut debito tempore fiat[1]). 1. *Episcopatus* conferri debet die dominico vel in natalitiis apostolorum intra missarum sollemnia.

2. *Ordinationes in sacris* celebrentur sabbatis quatuor temporum, sabbato ante dominicam passionis (Sitientes) et sabbato sancto intra missarum sollemnia. Gravi interveniente causa fieri etiam possunt quolibet die dominico aut festo de praecepto.

In compluribus Germaniae locis consuetudine introductum est, ut ordines sacri etiam aliis festis duplicibus conferrentur, quae non sunt de praecepto. In novo iure expresse reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora eodem iure praescripta.

3. *Ordines minores* conferri possunt singulis diebus dominicis et festis duplicibus, sed mane tantum.

4. *Prima tonsura* quolibet die et hora (etiam vespere) conferri potest.

a. Facultas ordinandi *extra tempora,* quae episcopis quandoque conceditur, intelligenda est de diebus festis non continuis, sed interpolatis. Facultas ordinandi *extra tempora et non servatis interstitiis* ita intelligenda videtur, ut ordines sacri conferri possint tribus diebus festivis continuis, nisi ex verbis indulti aliud constet[2]).

b. Facultas ordinandi extra tempora ita personalis est, ut episcopus: α. omnes aliunde ad ipsum dimissos (etiam ab episcopis hac facultate carentibus) extra tempora ordinare possit, modo necessariis

---

[1]) Cf. Pontificale rom. De ordinibus conferendis. Cn. 1006. 1007.
[2]) *Gasparri* I. n. 509.

dotibus instructi sint; et β. suos subditos ad alios episcopos hac facultate carentes dimittere possit ad ordines extra tempora recipiendos.

5. Si ordinatio *iteranda* vel si aliquis ritus *supplendus* sit, sive absolute sive sub condicione, id fieri potest etiam extra tempora et secreto.

475. Ut debito loco fiat. 1. *Consecratio episcopi,* si extra curiam romanam fiat, habenda est in ecclesia, ad quam episcopus (residentialis) promotus fuerit. Attamen in bulla promotionis concedi solet facultas recipiendi consecrationem ab episcopo, quem elegerit promotus.

2. *Ordines sacri* in ordinationibus *generalibus* in cathedrali ecclesia praesentibus canonicis conferendi sunt. Si ordinationes in alio dioecesis loco habentur, quantum fieri potest, ecclesia dignior praesente clero loci adeunda est. Ordinationes *particulares* ex iusta causa etiam in aliis ecclesiis vel etiam in oratorio domus episcopalis aut seminarii aut religiosae domus haberi possunt.

3. *Prima tonsura et ordines minores* conferri possunt etiam in oratoriis privatis[1]).

4. Extra proprium territorium ordines, in quorum collatione pontificalia exercentur, conferri nequeunt sine licentia ordinarii loci[2]).

a. Non licet episcopis pontificalia exercere in aliena dioecesi sine expresso consensu ordinarii loci. Ergo tonsuram episcopus suis subditis extra dioecesim conferre potest, quia privatim sine pontificalibus conferri potest.

b. Cardinalis hac licentia non indiget, si tamen in ecclesia cathedrali ordinationem peragit, ordinarius de hac re praemonendus est[3]).

476. Ut serventur interstitia, quibus promoti in receptis ordinibus se exercere possint[4]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 23. c. 8. De reform. *Pontificale rom.* De ordinibus conferendis. Cn. 1009.

[2]) Cn. 1008.

[3]) Cn. 239, 1 n. 15.

[4]) Cn 978, qui dispositiones tridentinas (sess. 23. c. 13. De reform.) nostri temporis adiunctis adcommodat.

a. Non licet, nisi de peculiari r. pontificis facultate, minores ordines cum subdiaconatu nec duos sacros ordines *eodem die* conferre, reprobata quavis contraria consuetudine.

b. Non licet primam tonsuram una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores (sed duos vel tres tantum) una simul conferre.

c. Interstitia servanda inter primam tonsuram et ostiariatum et pariter inter singulos ordines minores prudenti iudicio episcopi committuntur.

d. Inter ordines minores et subdiaconatum servanda sunt interstitia unius anni; inter subdiaconatum et diaconatum, pariter inter diaconatum et presbyteratum servanda sunt interstitia trium mensium, nisi necessitas aut utilitas ecclesiae iudicio episcopi aliud exposcat.

Episcopis ergo simul conceditur facultas dispensandi ab interstitiis, qui nunquam quidem sine causa in lege superioris dispensare possunt, ex iuris statuto autem patet minorem causam sufficere, ut ab interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum dispensari possit, maiorem vero requiri pro dispensatione inter acolythatum et subdiaconatum vel inter diaconatum et presbyteratum.

477. Ne fiat per saltum i. e. ne ordo superior conferatur nondum collato inferiore: ordines enim gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur[1]).

a. Ordines praetermissis inferioribus collati validi sunt excepto episcopatu, quia singuli in ■ completi sunt et effectum independenter ab aliis producunt; immo in ordine superiore e. g. in presbyteratu ordo inferior, diaconatus, eminenter continetur et cum eo confertur. Ecclesia tamen non permittit, ad ordinem superiorem ascendere nec ordinem receptum exercere, nisi prius ordo praetermissus receptus fuerit.

b. Plerique theologi docent episcopatum ante sacerdotium collatum nullum esse, quia complementum sacerdotii sine sacerdotio conferri nequeat. Nonnulli tamen ex antiquis potissimum documentis demonstrare conantur, in episcopatu eminenter contineri ordinem sacerdotalem et cum eo conferri, sicut in aliis ordinibus ordines inferiores continentur et conferuntur[2]).

---

[1]) Cn. 977.

[2]) Cf. *Gasparri* I. n. 23 ss.

Nota. Ad sumendam s. communionem ii, qui minores accipiunt, non tenentur; qui ad ordinem sacrum promoventur, sub levi, sacerdotes vero, qui cum episcopo concelebrant, sub gravi obligantur.

478. De obligationibus ab episcopo iniunctis. 1. Non recitare *preces, quae post ordinationem ab episcopo iniunguntur,* non videtur esse peccatum, cum de stricta obligatione sub peccato [illegible] implendi non constet: alii enim docent, obligationem illas preces recitandi esse gravem, quia gravis est materia; alii eam esse levem; alii tandem nullam, quia episcopus non intendit praeceptum imponere.

2. Pro *nocturno talis diei,* quem subdiaconis et diaconis ex pontificali romano episcopus ordinans imponere solet, intelligendus est primus nocturnus feriae vel festi vel dominicae prout ordinatio feria, festo vel dominica habita sit, nisi episcopus, qui ad hoc ius habet, alium expresse designaverit[1]).

Nomine nocturni intelliguntur tres psalmi cum suis antiphonis: haec enim nocturnum constituunt; ad substantiam autem nocturni non pertinent, quae officio divino alias praemittuntur; Pater, Ave, Credo, ds. Venite, hymnus nec lectiones[2]).

3. *Non dicere tres missas* ab episcopo neosacerdotibus impositas: de Spiritu Sancto, de Beata et pro defunctis pari ratione non videtur esse peccatum. Certum est neosacerdotes non teneri eas applicare ad intentionem episcopi neque ad intentionem ecclesiae, proindeque stipendium pro illis accipere posse, cum episcopus solam missae qualitatem, non autem applicationem iniungat. Neque prius dicendae sunt, quam adveniat dies, quo per rubricas missam votivam celebrare licet, et ex rationabili causa ulterius adhuc differri possunt. Si tamen interim occurrat festum, quo dicitur missa de Spiritu S. (e. g. pentecostes) aut de Beata, per missam festi officio conformem satisfit oneri ab episcopo iniuncto celebrandi missam de Spiritu S. vel de Beata.

---

[1]) S. C. R. 27. iun. 1899. 4012.
[2]) S. C. R. 10. iul. 1903.

a. Contrariam sententiam, scilicet episcopum illarum missarum applicationem iniungere, tuentur nonnulli (Comsée, Bouvry, Hartmann, Schüch) insignes rubricistae, quorum tamen argumenta nequeunt dici probabilia.

b. Valde tamen suadendum est, ut neosacerdotes tres missas istas applicent pro ecclesia et pro fidelibus defunctis: mens enim ecclesiae has missas iniungentis sine dubio haec est, ut ordinati per eas colant Spiritum S. et b. Virginem, eis gratias agant pro beneficiis acceptis, auxilium divinum implorent tum universae ecclesiae tum pontifici ordinanti tum sibimet ipsis, ac tandem ut misericordiam exhibeant ecclesiae patienti, fidelibus scl. defunctis.

Quaestio quinta.

De impedimentis ordinationis[1]).

Ex novo Codice duo genera sunt impedimentorum ordinationis recipiendae: *irregularitates* et impedimenta, quae ipse vocat *simplicia.* Irregularitates sunt impedimenta *perpetua,* quae semper durant, nisi dispensatione auferantur; impedimenta simplicia sunt *temporanea,* quae cessantibus certis adiunctis per se cessant. Irregularitates aliae sunt *ex defectu,* aliae *ex delicto.* Ex ordine igitur agendum est: *a.* de irregularitatibus in genere; *b.* de irregularitatibus ex defectu; *c.* de irregularitatibus ex delicto; *d.* de impedimentis simplicibus.

Articulus primus.

De irregularitatibus in genere.

479. Notio. Divisio. 1. Irregularitas est impedimentum perpetuum lege ecclesiastica statutum, quod susceptionem et exercitium ordinum reddit illicita[2]).

a. Irregularitas per se et directe statuitur ob dignitatem et reverentiam ministerii divini, ad evitandam scilicet in eodem ministerio divino indecentiam. Dignitas enim et excellentia religionis christianae

[1]) *Leitner,* Handbuch des kath. Kirchenrechtes. Irregularitäten und Weihehindernisse S. 146 ff. *Haring,* Das Ordinationsrecht nach dem neuen kirchlichen Gesetzbuch. Linz. Quartalsch. 1918. [2]) Cn. 983.

exigit, ut eius ministeria magna decentia peragantur, ne fideles offendantur eorumque reverentia erga functiones sacras minuatur. Hunc in finem opus erat, ut a ministerio sacro arcerentur omnes, qui iuxta ecclesiae iudicium illud debita decentia ac dignitate exercere non possent.

b. Ideo per se irregularitas non habet rationem poenae, nec vindicativae nec medicinalis, sed tantum *inhabilitatis* (*maculam* vocat eam catechismus romanus)[1]), quae hominem ineptum facit, qui in statum clericalem suscipiatur. Unde fit, ut irregularitas frequenter absque omni culpa contrahatur.

c. *Nomine ordinis*, a quo arcet irregularitas, intelligitur etiam *prima tonsura:* etsi enim haec proprie non sit ordo, hic tamen nomine ordinis comprehenditur etiam prima tonsura, quia frustra daretur iis, qui ab ordinibus arcentur.

2. *Divisio.* *a.* Irregularitas altera est *ex defectu,* quae proxime oritur ex defectu qualitatis ad susceptionem ordinum requisitae; altera *ex delicto*, quae proxime oritur ex proprio delicto: indecentia enim, quam irregularitas cavere intendit, tum ex defectu tantum sine delicto tum ex delicto oriri potest.

Irregularitas ex defectu quandoque *supponit* delictum sive alienam ut irregularitas ex defectu natalium, sive proprium ut infamia propter enorme delictum contracta.

b. Irregularitas vel est *totalis,* quae omnis ordinis susceptionem vel omnis suscepti usum impedit ut homicidium, vel *partialis,* quae vel solum ascensum ad superiorem ordinem vel solum alicuius ordinis exercitium impedit; sic diaconus, qui sinistro oculo caret, inhabilis esse potest ad sacerdotium, suum tamen ordinem exercere potest, et sacerdos, qui sine culpa pollice privatur, a celebratione, non autem ab audiendis confessionibus prohibetur.

480. Asserta. 1. *Subiectum* irregularitatis est omnis et solus mas baptizatus, subditus legis ecclesiasticae.

Omnes ergo homines masculi baptizati sive laici sive clerici, etiam episcopi et cardinales contrahere possunt irregularitates in iure statutas; at nec summus pontifex nec pueri ante septennium completum, quia non subsunt iuri communi. Ergo mutilatus e. g. ante baptismum vel ante usum rationis non est irregularis nisi fundamentaliter, i. e. habet defectum, propter quem recepto baptismo vel usu rationis fit formaliter irregularis.

[1]) De baptismo n. 57.

2. Irregularitas primario *susceptionem* ordinum, secundario etiam susceptorum *exercitium* prohibet. Irregularitas tamen susceptis iam ordinibus superveniens illos tantum ordines exercere prohibet, ad quos exercendos ordinatus factus est inhabilis vel quos sine offensione et scandalo exercere non potest. Quare nihil impedit, quominus privatim celebret, qui sine scandalo publice celebrare non potest, vel confessiones audiat, qui celebrare nequit.

3. Irregularitas *ordinum susceptionem* non reddit invalidam, sed solum *illicitam,* cum non sit *impedimentum* irritans, sed solum prohibens.

Ergo tum is, qui irregularem promovet, etiam ad solam tonsuram, tum irregularis, qui ordinem suscipit vel exercet, graviter peccat, nisi excuset parvitas materiae aut grave incommodum, quia ambo praeceptum ecclesiae in re gravi transgrediuntur.

4. Nulla est irregularitas sive ex defectu sive ex delicto, quae non fuerit *in Codice expressa*[1]). Sunt et aliae inhabilitates ad recipiendos ordines, ut caecitas, impotentia celebrandi, psychopathia, quae tamen non vocantur irregularitates, quia sola lege ecclesiastica irregularitates statuuntur.

5. Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum simplicium ab eisdem contrahendis non excusat[2]).

6. Potest aliquis *plures simul* irregularitates et impedimenta contrahere; multiplicantur irregularitates et impedimenta ex diversis eorum causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario[3]).

Vir catholicus, qui a fide deficit et simul sectae acatholicae nomen dat, dupliciter irregularis est, propter infamiam iuris[4]) et propter defectionem a fide[5]); econtra iudex, qui decem homines morte damnavit, unicam irregularitatem contrahit.

7. Irregularitates et impedimenta positis condicionibus requisitis *ipso facto* contrahuntur, etsi actio, propter quam contrahuntur, sit prorsus occulta: nulla enim est irregularitas, quae ex dispositione iuris sententiam iudicis, ne declaratoriam quidem, exigat.

[1]) Cn. 983. [2]) Cn. 988. [3]) Cn. 989. [4]) Cn. 984, 5. [5]) Cn. 985, 1

Articulus secundus.

De irregularitatibus ex defectu.

Defectus, qui ex novo Codice constituunt irregularitatem, sunt hi septem: *a.* defectus legitimorum natalium; *b.* defectus corporis; *c.* defectus animae; *d.* defectus sacramenti; *e.* defectus famae; *f.* defectus lenitatis (in iudice); *g.* defectus lenitatis (in carnifice).

§ 1. Defectus legitimorum natalium.

Ratio statuendi hanc irregularitatem triplex potissimum affertur: *a.* reverentia ordinis ecclesiastici: illegitimi enim ratione originis reputantur viles; *b.* detestatio paterni criminis, in cuius detestationis signum, etiam filii poena privativa afficiuntur; *c.* periculum, [redacted] filii paternam incontinentiam imitentur[1]).

481. Ex defectu natalium irregulares sunt *illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi*[2]).

a. Qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis exsistere potuit validum matrimonium, dicuntur *naturales*, qui vero nati sunt ex parentibus, inter quos eo tempore validum matrimonium haberi non potuit (ut si [redacted] adulterio, sacrilegio, incestu nati sunt) appellantur *spurii*.

b. Qui exsistente iam matrimonio nati sunt, legitimi habentur etsi ante nativitatem matrimonium nondum exsistebat.

1. *Dubie illegitimi,* quorum origo illegitima non est certa, non sunt irregulares: nemo enim censeri debet illegitimus, nisi id certo probetur; insuper nemo privari potest iure suo suscipiendi ordines, nisi constet eum impediri.

a. Ideo *expositi* per [redacted] non sunt irregulares, ideoque sine dispensatione ordinari possent; attamen ad cautelam dispensari solent, si parentes suos indicare nequeunt.

---

[1]) *Concil. trid.* sess. 25. c. 15. De reform.

[2]) Cn. 984. 1.

b. Si incertum est, utrum proles concepta aut saltem nata sit matrimonio iam contracto, an vero antea, ipsa non est irregularis, quia praesumitur post matrimonium saltem nata.

c. Qui in matrimonio natus est, licet ex adulterio, eoque ipsi marito cognito, non est irregularis, nisi iuridice demonstretur spurius: *pater enim est, quem nuptiae demonstrant.*

2. Etiam natales illegitimi *occulti* inducunt irregularitatem, modo res certa sit.

482. Haec irregularitas cessat non solum per dispensationem ut caeterae, sed etiam per legitimationem et per professionem sollemnem.

1. *Per legitimationem,* quae potissimum fit per subsequens matrimonium: filii enim *naturales,* si postea eorum parentes legitimum matrimonium contrahunt, desinunt ipso iure esse illegitimi et proinde etiam irregulares. Legitimatio quandoque fit etiam per dispensationem ab impedimento dirimente, quod matrimonio obstabat, ut in tractatu de matrimonio dicitur.

Spurii autem, quorum parentes postea sublato impedimento matrimonium contrahunt, non desinunt esse irregulares nec illegitimi, quia ius eiusmodi privilegium spuriis non concedit.

2. *Per professionem sollemnem,* nisi etiam quoad professionem simplicem adsit speciale privilegium, quale concessum est societati Iesu.

3. Legitimatio et professio sollemnis irregularitatem auferunt solum *quoad ordines,* non autem *quoad praelaturas,* quas consequi non possunt, nisi ex ipso matrimonio legitimo nati; ad praelaturas nempe cardinalatus, episcopatus, abbatis vel praelati *nullius* et superioris maioris in religione exempta.

a. Hinc si religiosus illegitimus promovendus esset ad praelaturam, sive extra ordinem sive in ordine, indigeret dispensatione.

b. Legitimatio, quam inducit *lex civilis,* irregularitatem auferre non potest: sicut enim quaestio de matrimonio legitimo, ita etiam quaestio de legitimitate prolis ad ecclesiam pertinet.

§ 2. Defectus corporis.

483. Ex defectu corporis irregulares sunt: Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem vel decenter propter deformitatem altaris ministerio defungi non valent[1]). Ex duplici ergo capite oritur haec irregularitas, ex corporis debilitate et deformitate, quae exercitium ordinis impediunt.

1. Haec irregularitas *susceptionem* ordinum absolute prohibet: etsi enim defectus exercitium unius tantum ordinis e. g. presbyteratus impediret, nullus tamen ordo, ne prima quidem tonsura, licite sucipi potest. *Exercitium* vero ordinum susceptorum non prohibetur absolute; hinc si defectus post ordinum susceptionem superveniat, ordinatus illos tantum ordines exercere prohibetur, ad quorum exercitium factus est ineptus, vel quos sine offensione et scandalo exercere non potest. Quare nihil impedit, quominus e. g. privatim celebret, qui publice sine scandalo celebrare non potest, vel confessiones audiat, qui celebrare non potest.

2. *Maior indecentia* requiritur, ut iam ordinatus ab exercitio ordinis e. g. a celebranda missa abstinere teneatur, quam ut nondum ordinatus a suscipiendis ordinibus arceatur.

3. Ut quis *decenter celebrare* possit, requiritur, ut nec res sacrae periculo irreverentiae exponantur, nec populo horror incutiatur, nec leges liturgicae in re maioris momenti violentur.

4. Si *dubium* est de impotentia celebrandi circa eum, qui nondum ordinatus est, iudicium pertinet tum ad episcopum proprium, tum ad eum, qui ordines collaturus est. Si idem dubium est circa eum, qui iam ordinatus est, iudicium spectat ad episcopum domicilii vel loci celebrationis. In neutro casu episcopus stare debet iudicio alterius episcopi.

---

[1]) Cn. 984, 2.

484. In specie irregularitates ex defectu corporis sunt fere innumerae, quare sufficiat potissimas hoc loco recensere.

1. Qui pollice vel indice mutilatus est, sive integre sive ex parte, ita ut hostiam frangere nequeat, irregularis est.

Qui uno ex tribus posterioribus digitis caret, irregularis non est, immo ex quorundam sententia neque si duo digiti desint; sed si omnes tres desint, irregularis est, non quidem ob impotentiam, sed ob deformitatem. Sacerdos autem non fit irregularis nec prohibetur celebrare, etsi omnes tres posteriores digitos amisisset[1]).

Qui indice caret, eo facilius obtinebit dispensationem, quod medius digitus vices indicis in sacro ministerio supplere potest. Sacerdos autem, qui indicem amisit, in sacris functionibus uti potest medio digito, qui, cum integra manus sacerdotis consecretur, aeque consecratus est atque index[2]).

2. Irregularis non est, qui in uno tantum oculo caret potentia videndi, sive oculus dexter sive sinister est; quod enim a nonnullis auctoribus statuitur, illum nempe absolute irregularem esse, qui caret oculo *canonico* i. e. sinistro, fundamento caret; quare restringenda est haec irregularitas ad casum, quo carens oculo sinistro canonem sine indecenti capitis conversione legere non possit oculo dextro[3]).

Irregularis dicebatur, cui unus oculus omnino est detractus vel erutus; quia tamen hodie tam apte substitui potest oculus vitreus, ut nulla appareat deformitas, non videtur dicendus irregularis, qui instructus est oculo vitreo.

Sacerdos, qui caecus evasit, a s. pontifice licentiam accipere potest celebrandi, si constet, ipsum non erraturum, attamen assistente alio sacerdote.

3. Irregulares sunt *muti, caeci,* qui potentia videndi in utroque oculo destituti sunt, non autem caecutientes, modo ope instrumenti ocularis legere possint in missali; *surdi,* qui in utroque aure auditu carent, ita ut ministrum respondentem audire nequeant; at irregulares non sunt surdastri, ii, qui in altero tantum aure auditu carent[4]): *balbutientes* non sunt irregulares, nisi aut habeant linguam valde blaesam vel penitus praecipitantem, aut moveant risum. Qui *manus adeo trèmulas* habent, ut sine periculo effundendi sanguinem celebrare nequeant, irregulares sunt.

Addendi sunt *abstemii,* qui ne parum quidem vini haurire possunt sine periculo evomendi.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* VII. n. 478.

[2]) *Ballerini-Palmieri* l. c.

[3]) Cf. Acta s. Sedis XX. p. 380 ss.

[4]) Acta s. sedis IV. p, 595.

4. Irregulares sunt omnes, qui defectu vel macula corporis horrorem vel irrisionem movent spectantibus, quales sunt enormiter gibbosi, notabilem maculam in vultu vel in oculo habentes, notabiliter claudicantes etc.

Nota. Ad episcopum spectat iudicare, utrum deformitas sit magna an parva, si ordinandus sit saecularis vel regularis non exemptus; quodsi regularis sit exemptus, iudicium ad praelatum regularem pertinet, attamen episcopus, qui ordines confert, iudicio praelati stare non tenetur. Si circa exsistentiam defectus remanet dubium, ordinarius dispensare potest.

§ 3. Defectus animae.

485. Qui nam irregulares. In novo iure tertio loco potissimum propter defectus animae irregulares dicuntur: Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt[1]).

1. *Epileptici,* quamdiu morbo sunt obnoxii, ordinari non possunt, quodsi constat, eos absque probabili periculo relapsus sanatos esse, accedente episcopi licentia, ad ordines admitti possunt.

a. Epilepsia, quae ante pubertatem coepit, non raro prorsus sanatur; quare non censetur irregularis, qui ante pubertatem hoc morbo laborabat, postea vero iudicio medici omnino convaluit. Epilepsia autem, quae post pubertatem incepit, non ex causa accidentali e. g. ex vulnere inflicto, sed ex indole congenita, iuxta sententiam medicorum vix unquam plene i. e. absque periculo relapsus sanatur.

b. Sacerdos qui post ordinationem hoc morbo corripitur, privatim celebrare non prohibetur, si raro i. e. semel in mense aut singulis quindecim diebus morbus redeat; si tamen hoc intervallo ab impetu morbi tutus non sit, ei assistere debet sacerdos ieiunus, qui irruente morbo missam perficiat.

2. *Amentes.* Si amentia perpetua est, irregularitas tolli nequit; si amentia temporalis est et iam cessasse videtur, iudicio medici et prudenti arbitrio episcopi res definienda est: etenim si iudicio medici constat amentiam cessasse, consentiente episcopo ordinatio licita est.

3. *A daemone possessi.* Ex praxi s. sedis constat, dispensationem duobus vel tribus annis post recuperatam

[1]) Cn. 984, 3.

sanitatem concessam non esse; ultimis temporibus decennio post liberationem ab influxu mali daemonis concessam esse[1]).

4. Si irregularitas post receptos ordines supervenerit et certo constet eandem iam cessasse, potest ordinarius suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere[2]).

§ 4. Defectus sacramenti.

486. Ex defectu sacramenti irregulares sunt bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt[3]).

a. Matrimonium ex institutione sua iuxta apostolum significat unionem Christi cum ecclesia, eamque unam et indivisibilem[4]). Vir repraesentat Christum, mulier ecclesiam. Haec significatio plene et perfecte solum habetur in matrimonio inito cum virgine. Sicut enim Christus uni tantum ecclesiae coniungitur, ita vir, qui contrahit matrimonium cum virgine, uni tantum uxori coniungitur.

Bigamia vero non est idonea ad perfecte repraesentandam unionem Christi cum ecclesia, quia bigamus duabus uxoribus se coniunxit. Propter hunc defectum, qui bigamiae natura sua inhaeret, bigamus ab ecclesia declaratur irregularis. Et quia defectus in eo est, quod bigamia significationem, quae sacramento matrimonii ex institutione sua inest, perfecte exhibere non potest, dicitur irregularitas *ex defectu sacramenti* seu potius ex defectu significandi sacramentum.

b. Bigamia irregularitatem constituit, etsi quis *ante baptismum* duas uxores duxerit vel unam ante baptismum et alteram post baptismum. Defectus enim, propter quem statuta est irregularitas, etiam bigamo infideli inhaeret nec per baptismum ablui potest. Ante baptismum bigamus non est quidem irregularis nisi radicaliter, suscepto autem baptismo fit formaliter irregularis.

1. In antiquo iure aliae quoque bigamiae species irregularitatem inducebant; in novo iure sola *bigamia vera*, qua quis duo vel plura matrimonia successive contraxit.

---

[1]) S. C. C. 27. april. 1916.
[2]) Cn. 984. 3.
[3]) Cn. 984, 4.
[4]) Ephes. 5, 32.

2. Matrimonia successive inita *valida* esse debent. Non requiritur, ut sint inter catholicos inita, possunt esse mixta, nec requiritur, ut sint consummata, dummodo sint valide contracta.

§ 5. Defectus famae.

487. Ex defectu famae irregulares sunt, qui infamia iuris notantur[1]).

Ecclesiae ministri *irreprehensibiles et sine crimine* sint oportet. Ideo antiquitus quodvis delictum a ministerio sacro arcebat; hodie vero solum delicta graviora et ea quidem, quae in iure expressa sunt, faciunt irregularem, nec proprie ipsa delicta sed infamia, quae propter delicta contrahitur.

1. *Infamia* est bonae famae seu bonae existimationis privatio vel diminutio.

2. Infamia altera est *iuris* (legalis), quae auctoritate legis propter delictum irrogatur; altera *facti* (popularis), quae ex publica criminis commissi cognitione contrahitur.

a. Infamia iuris vel *ipso facto* contrahitur, ipsa nempe commissione criminis ante omnem sententiam iudicis; vel *ex sententia iudicis*, quae infamiam decernat.

b. Infamia facti ex publica notitia criminis commissi natura sua contrahitur. Haec notitia duplici modo fieri potest publica, aut per sententiam iudicis reum de crimine condemnantis aut per actualem divulgationem.

3. Infamia *iuris* irregularitatem inducit, etsi delictum sit *occultum*[2]); infamia *facti* autem natura sua exigit, ut delictum sit publice *notum* aut per sententiam iudicis aut per actualem divulgationem.

Infamia facti reipsa exsistens irregularitatem inducit, etsi sententia iudicis sit *iniusta* vel iudicium hominum de crimine commisso *falsum:* etenim sententia iniusta et existimatio falsa aeque infamiam generant, atque iusta et vera.

---

[1]) Cn. 984, 5.

[2]) *Gasparri* I n. 288 sequens *Suarez.*

488. Quinam infames sint. Infamia iuris non contrahitur, nisi in casibus iure communi expresse statutis[1]).

Ipso facto in novo iure expresse infames statuuntur:

a. Qui sectae acatholicae nomen dederit vel publice adhaeserit cn. 2314, 2.

b. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit cn. 2320

c. Qui cadavera vel sepulchra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit cn. 2328.

d. Qui violentas manus iniecerit in personam r. pontificis vel alicuius cardinalis vel legati r. pontificis (ad legatos pertinent etiam nuntii et internuntii) cn. 2343 et 267.

e. Duellantes et qui eorum patrini vocantur cn. 1351.

Duella studiosorum in germania, mensuras academicas vera esse, duella, quae duellantibus eorumque patrinis infamiam iuris inurunt, declaravit *S. C. Concilii* 9. aug. 1890.

f. Bigami, qui obstante coniugali vinculo aliud matrimonium, etsi tantum civile, attentaverint cn. 2356.

g. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium cn. 2357, 1.

Per sententiam iudicis infames declarandi sunt clerici in sacris sive saeculares sive religiosi, qui delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem 16 annorum vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint cn. 2359, 2.

In novo codice delicta quidem, quibus infamia ipso facto contrahitur, aucta sunt; infamia ipsa autem eatenus restringitur, quatenus propter alienum delictum nemo amplius fit infamis: Neutra infamia (nec iuris nec facti) afficit delinquentis consanguineos aut affines cn. 2293, 4.

§ 6. Defectus lenitatis.

489. Ex defectu lenitatis irregulares sunt: *a. Iudex,* qui mortis sententiam tulit; *b.* qui munus *carnificis* susce-

[1]) Cn. 2293, 2.

perint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae[1]).

Ex mente ecclesiae plane inconveniens est, ut is, qui causa mortis alienae exstitit, etsi iusta, personam Christi mansuetissimi, qui neminem unquam laesit, repraesentet. Ideo statuit irregularitatem ex duplici capite provenientem: ex *sententia mortis* atque ex *exsecutione* capitalis sententiae. Vocari solet haec irregularitas ex defectu *lenitatis* (christianae): iste enim defectus solum *post baptismum* contrahitur.

1. *Iudex* mortis sententiam ferens irregularis est, *a.* si iudicium est iustum: etenim si iudicium est iniustum, non contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidii; *b.* si mors realiter secuta sit, etsi sine sanguinis effusione; *c.* in casu, quo plures (collegium iudicium) ad ferendam mortis sententiam concurrunt, si efficaciter in eam influxit; *d.* si baptizatus sit.

2. *Carnifex,* qui latam mortis sententiam exsequitur, eiusque immediati et voluntarii ministri, *a.* si vi muneris agunt; *b.* si capitalem sententiam reipsa exsequuntur; *c.* quoad ministros, si voluntarie agunt; *d.* si baptizati sunt.

Milites, qui ducuntur, ut armis occidant militem a legitima auctoritate morte mulctatum, post sententiae exsecutionem non sunt irregulares: non eorum dux, quia ad mortem non condemnat; non milites, quia non agunt voluntarie, cum iussi sint[2]).

Articulus tertius.

De irregularitatibus ex delicto.

490. Condiciones. Ut contrahatur irregularitas ex delicto, hae condiciones requiruntur:

a. Ut delicta sint peccata gravia et externa.

Ergo omne id, quod excusat a peccato mortali, excusat etiam ab irregularitate a delicto incurrenda, ut inadvertentia, bona fides, metus gravis, materiae parvitas; excipitur ignorantia.

---

[1]) Cn. 984, 6. 7.

[2]) *Leitner,* l. c. p. 161.

b. Non solum ex publicis, sed etiam ex delictis occultis oritur irregularitas.

c. Ut delicta sint post baptismum commissa (excipitur secunda)[1]).

§ 1. Defectio a fide.

491. Propter defectionem a fide irregulares sunt: Apostatae a fide, haeretici, schismatici[2]).

a. Ad iustum iudicium ferendum de hac irregularitate, attendendum est ad notiones, prout in Codice determinantur: si quis post receptum baptismum α. a fide christiana totaliter recedit, *apostata*; β. si nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, *haereticus;* γ. si subesse renuit summo pontifici aut cum membris ecclesiae ei subiectis communicare recusat, *schismaticus* est[3]).

b. Ex his definitionibus colligitur, ad contrahendam hanc irregularitatem necesse non esse, ut quis sectae acatholicae nomen det, dummodo fidem catholicam vel ex toto vel ex parte neget, etiamsi communionem cum ecclesia catholica exterius non abrumpat.

Christianus catholicus, qui infallibilitatem rom. pontificis negat vel in dubium revocat, irregularis est, si modo haeresim exterius proferat.

c. Qui in secta haeretica vel schismatica bona fide vivit seu haereticus vel schismaticus materialis tantum est, irregularitatem non contrahit, quia eius delictum non est grave peccatum.

§ 2. Baptismus ab acatholico susceptus.

492. Propter **baptismum ab acatholico susceptum** irregulares sunt: Qui, praeterquam in casu extremae ne-

[1]) Cn. 986.
[2]) Cn. 985, 1.
[3]) Cn. 1325, 2.

cessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt[1]).

a. *Acatholici* hic intelliguntur haeretici et schismatici, sive bona sive mala fide extra ecclesiam catholicam exsistant.

b. Baptismum suscipiens ab acatholico non contrahit irregularitatem, nisi illud suscipiendo grave peccatum committat; ideo irregulares non sunt, qui ante usum rationis baptismum ab acatholico suscipiunt, nec illi, qui in periculo mortis alium, qui eos baptizet, non habent, nisi acatholicum.

§ 3. Matrimonium attentatum.

493. Propter **matrimonium attentatum** irregulares sunt: Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus et temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta[2]).

a. Nihil refert, utrum impedimentum matrimonium dirimens ex parte viri an mulieris exsistat; utrum matrimonium coram ecclesia attentaverint, an solum civilem actum posuerint.

b. In omnibus casibus, quos cit. canon recenset, matrimonium invalidum est, quia eidem obstat aut matrimonium adhuc exsistens aut ordo sacer aut votum sollemne; attamen in eo casu, quo vir votis simplicibus obstrictus, aut vir prorsus solutus cum muliere votis simplicibus ligatae matrimonium contrahit, matrimonium quidem validum est, sed irregularitas tamen contrahitur, etsi vota religiosa simplicia sint temporaria tantum.

---

[1]) Cn. 985, 2.
[2]) Cn. 985, 3.

§ 4. Homicidium, procuratio abortus.

494. Propter **homicidium vel procurationem abortus** irregulares sunt: Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes[1]).

a. Omne et solum homicidium voluntarium graviter peccaminosum, non item homicidium casuale, inducit irregularitatem, nec homicidium indirecte voluntarium: etenim in re odiosa homicidium ad directe voluntarium restringendum est.

b. Cooperantes intelliguntur omnes, qui mandato, consilio, consensu efficaciter in homicidium influunt. At irregulares non sunt, qui homicidium solum non impediunt, etsi possent, immo ad id sive ex caritate sive etiam ex iustitia tenerentur. In utroque casu homicidii et procurationis abortus cooperantes quoque fiunt in regulares.

Quod abortum eiusque procurationem attinet, vide terminorum declarationem in tomo de Praeceptis.

§ 5. Mutilatio, suicidii tentatio.

495. Propter **mutilationem vel suicidii tentationem** irregulares sunt: Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt[2]).

1. *Mutilatio* est abscissio membri. Nomine membri intelligitur pars corporis proprium et distinctum officium habens ut oculus, brachium, pes, manus, lingua, auris etc.

In applicanda hac definitione difficultas oritur, ubi determinari debet, quaenam corporis pars propriam functionem habeat et proinde nomine membri significetur. Etenim cum fere omnia corporis membra sint duplicata, quaeritur, num una pars (oculus, auris, crus) censeri possit membrum proprium officium habens. Iam vero ratione habita communis aestimationis dicendum videtur, illas partes, quae invicem

---

[1]) Cn. 985, 4.
[2]) Cn. 985, 5.

sunt distinctae et separatae ut oculi, propriam functionem habere, illas autem, quae invicem non sunt distinctae et separatae ut nares, propriam functionem non habere et proinde membra non esse. Et sane ubi oculus evellitur, membrum, ubi naris praeciditur, partem membri (nasi) abscindi dicimus[1]).

a. Qui ergo membrum aliquod laedit aut inutile reddit e. g. oculum non effodit sed excaecat, non fit irregularis, quia membrum non *abscindit:* mutilato enim est abscissio seu separatio a corpore.

b. Qui dentem excutit, auriculam (cartilaginem auris), digitum abscindit, non fit irregularis, quia non abscindit *membrum:* haec enim in corpore humano propriam functionem non habent.

2. *Tentatio sibi vitam adimendi* debet esse graviter peccaminosa, ut irregularitatem inducat. Fieri potest, ut cum hac irregularitate duplex alia coniungatur, altera ex delicto mutilationis, altera ex deformitate corporis.

§ 6. Exercitium artis medicae vel chirurgicae.

496. Propter exercitium artis medicae vel chirurgicae irregulares sunt: Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi *vetitam* exercentes, si exinde mors sequatur[2]).

a. Haec irregularitas solos *clericos* afficit, qui medicam vel chirurgicam artem sibi *vetitam* exercent. Quibus ex apost. indulto licet medicinam vel chirurgiam exercere, ut in regionibus missionum non raro accidit, non fiunt irregulares, etsi ex eorum cura mors sequatur.

b. Irregularitatem contrahit clericus, quaecunque sit species medicinae vel chirurgiae, quam exercet: omnes enim pari modo clericis vetitae sunt[3]).

c. Ut irregularitas inducatur, necesse est, ut ipse per exercitium suae artis sit *causa* non solum occasio mortis: si *exinde* mors sequatur.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* VII. n. 444 ss.
[2]) Cn. 985, 6.
[3]) Cn. 139, 2.

§ 7. Abusus ordinis.

497. Propter **abusum ordinis** irregulares sunt: Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti[1]). — Ergo ex duplici capite haec irregularitas oriri potest: ex usurpatione ordinis et ex violatione censurae.

1. Per *usurpationem ordinis* irregularis fit, qui exercet ordinem, quem non habet. Notandum

a. Irregularitatem contrahunt non solum clerici sed etiam *laici,* qui ordinem sacrum exercent e. g. missam celebrant, diaconum. vel subdiaconum agunt in missa sollemni.

Alumnus seminarii, etsi nondum clericus, qui in missa sollemni subdiaconum agit, non fit irregularis, quia hoc ordinis sacri exercitium clericis in minoribus constitutis (saltem tonsura insignitis) in casu necessitatis et sine manipulo non est prohibitum[2]).

b. Requiritur, ut exerceant ordinem *sacrum;* qui ergo exercent ordinem [redacted] minoribus, quem non habent, e. g. fructus et panes benedicunt, exorcismum proferunt, hoc modo graviter peccare possunt, at irregularitalem non contrahunt.

c. Requiritur, ut ordinem *sollemniter* cum ceremoniis et ornamentis propriis illius ordinis exerceant. „Sollemne, ait *Laurentius,* illud intelligitur exercitium, quod vel ex natura rei certum ordinem supponit, sicut consecratio eucharistiae, absolutio sacramentalis vel si actus secundum suam substantiam a laicis valide fieri potest, cum certo apparatu peragitur. Quare diaconus cantans in missa evangelium cum dalmatica quidem, sed sine stola, vel subdiaconus cantans epistolam cum tunicella, sed sine manipulo, sollemnem vel proprium actum ordinis non exercet".

---

[1]) Cn. 985, 7.

[2]) S. C. R. 17. iul. 1894 n. 3832.

Ideo fit irregularis *sacerdos,* qui sollemniter functionem pontificalem exercet e. g. ecclesiam vel calicem consecrat, minores vel tonsuram confert; *diaconus,* qui sacramentaliter absolvit; *subdiaconus,* qui sollemniter baptizat, sollemniter cantat evangelium cum stola, ceremonias baptismi supplet, hebdomadarium agit in choro dicendo orationem cum *Dominus vobiscum; clericus,* qui sollemniter cantat epistolam cum manipulo, quia hi omnes sollemniter exercent ordinem, quem non habent. At irregularis non est *sacerdos* simplex, qui sacramentaliter absolvit; *diaconus,* qui sine commissione parochi sollemniter baptizat vel sacram communionem distribuit; *subdiaconus,* qui evangelium cantat sine stola; *clericus,* qui epistolam cantat sine manipulo, quia non exercent, aut saltem sollemniter non exercent ordinem, quo carent.

2. Per *violationem censurae* irregularis fit, qui censura innodatus ordinem exercet, cuius exercitium censura prohibet, sive censura sit excommunicatio, sive suspensio ab ordine, sive interdictum personale aut locale (celebrans in loco interdicto).

a. Solum per exercitium ordinis *sacri* censuratus fit irregularis.

b. Cum ad contrahendam irregularitatem *gravis culpa* requiratur, non fit irregularis nec censuratus, qui ab aliis requiritur, nec censuratus, qui ad evitandum grave incommodum ordinem exercet.

c. Requiritur, ut censuratus actum *ordinis* sacri ponat, non iurisdictionis.

Ergo *episcopus* censuratus, qui confessarios approbat, in votis dispensat; parochus, qui in censura matrimonio assistit sine benedictione nuptiali non fit irregularis, quia haec non sunt actus ordinis, sed iurisdictionis vel simplicis potestatis, quorum exercitium censuram non violat.

Articulus quartus.

De impedimentis simplicibus.

498. Eo differunt irregularitates ab impedimentis simplicibus, quod irregularitates sint impedimenta perpetua,

pedimenta simplicia autem temporanea. Septem a novo Codice statuuntur[1]). Simpliciter impediti sunt:

1. *Filii acatholicorum,* quamdiu parentes in suo errore permanent.

a. Aeque impediti sunt, sive ex acatholico patre sive ex acatholica matre nati sint.

Commissio inter. Codicis 16. oct. 1919 declarat: Impeditis adnumerandum esse eum, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, etiam in eo casu, quo matrimonium mixtum cum dispensatione ecclesiastica contractum fuit.

b. Acatholici intelliguntur non solum haeretici, sed etiam schismatici, immo etiam non baptizati (infideles, iudaei, machomedani).'

c. Nihil refert, utrum parentes *bona* vel *mala fide* in errore persistant.

d. Impedimentum *cessat,* si *ambo* parentes ab errore recedant per conversionem. Post mortem parentum, qui in errore decesserunt, impedimentum adhuc permanere videtur.

e. Filius *illegitimus* patris acatholici impeditus est. Quodsi pater ignotus est vel si dubium est, an fuerit acatholicus, filius indiget dispensatione propter defectum natalium, ab impedimento dubio autem ordinarius dispensare potest.

2. *Viri uxorem habentes.* Maritus ergo ordinari potest, si matrimonium solutum fuerit, sive per mortem uxoris, sive per professionem sollemnem, sive per matrimonium uxoris in casu privilegii paulini, sive per dispensationem r. pontificis. Alias semper indiget dispensatione apostolica, ut ordinari possit, etiamsi, ut videtur, separatio perpetua ab uxore intercesserit: semper enim est uxorem habens.

3. Qui *officium* vel administrationem gerunt clericis vetitam, *cuius rationes reddere debeant,* donec deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint.

Obligati ad ratiocinia seu ad rationes reddendas dicuntur, qui ex officio suo rationem reddere tenentur administratae alienae pecuniae sive publicae sive privatae, ut magistratus, administratores, curatores, tutores.

---

[1]) Cn. 987

Qui tamen officia et administrationes gerunt, quae clericis *non prohibentur*, ordinari possunt, etsi rationem non reddiderint nec officium dimiserint; sic licite gerunt administrationem pecuniae consanguineorum suorum, personarum miserabilium et piarum causarum.

4. *Servi servitute proprie dicta* ante acceptam libertatem.

Servi proprie dicti seu mancipia, contra naturam alieno dominio subiecta, ex defectu libertates impediti sunt.

5. Qui ad *ordinarium militare servitium* civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint.

Canon respicit illas respublicas, quae lege lata omnes iuvenes, etiam clericos, ad servitium militare, etiam tempore pacis, cogunt.

6. *Neophyti,* donec iudicio ordinarii sufficienter probati fuerint.

Neophyti intelliguntur illi, qui ex paganis, iudaeis vel aliis sectis in adulta aetate ad fidem conversi et recenter baptizati sunt[1]), donec de eorum firma fide ex declaratione episcopi constet.

7. Qui *infamia facti* laborant, dum ipsa iudicio ordinarii perdurat. Infamia facti non oritur ex delictis in iure determinatis, sed ex quovis enormi delicto (homicidium, periurium in iudicio, adulterium, sodomia, simonia, publicum usurarum exercitium etc.). Bona fama *redintegrari* potest seria vitae emendatione vel divulgatione innocentiae, et *cessare* potest commoratione in loco, ad quem mala fama non sit perventura. Iudicium de cessatione malae famae ordinario committitur.

Quodsi clericus ob eiusmodi crimen a iudice civili condemnatur, ipsa nac sententia condemnatoria per se nondum est infamis, sed ordinarius, causa in foro ecclesiastico examinata, clericum vel absolvere vel condemnare debet, quo facto condemnatus erit infamis[2]); ordinarie tamen iam per sententiam iudicis civilis, saltem ob actualem criminis divulgationem, habetur infamis.

---

[1]) 1. Tim. 3, 6.

[2]) Cf. instructio *S. a Ep. et Reg.* 11. ian. 1908.

Articulus quintus.

De dispensatione ab impedimentis ordinationis.

1. Impedimenta ordinationis pluribus modis cessare possunt: *a.* per *ablationem causae* cessat irregularitas temporalis, sic irregularitas ex defectu libertatis vel famae cessat recuperata libertate vel fama; *b.* per *professionem religiosam* cessat irregularitas ex defectu natalium.

2. Attamen irregularitas proprie dicta solum per *dispensationem* tollitur: irregularitas enim lege statuitur; lex autem vigens solum relaxatione legis seu dispensatione tolli potest.

Non solum professio religiosa, sed etiam dispensatio irregularitatem per se solum aufert ad suscipiendos ordines, non etiam ad obtinendas dignitates et praelaturas.

499. Quis dispensare possit. 1. *Summus pontifex* in omni irregularitate dispensare potest: cum enim omnis irregularitas ex lege summi pontificis oriatur, per eundem etiam tolli potest. Sunt tamen irregularitates, in quibus summus pontifex valde raro dispensare solet, ut *a.* irregularitas ex bigamia vera; *b.* irregularitas ex homicidio voluntario, nisi ita sit occultum, ut in iudicio probari non possit; *c.* irregularitas ex defectu corporis, qui sit valde deformis.

Ad obtinendam hanc dispensationem recurrendum est ad Congregationem de disciplina Sacramentorum, si irregularitas est publica et dispensatio petitur pro foro externo; *ad Poenitentiariam* vero, si irregularitas est occulta et dispensatio petitur pro solo foro interno.

2. *Ordinarius* dispensare potest *a.* suos subditos ab omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, ea excepta, quae contrahitur ex homicidio, procuratione abortus et cooperatione ad haec delicta aliave ad forum iudiciale deducta;

b. tum ad suscipiendos tum ad exercendos ordines;

c. vel per se vel per alium[1]);

d. pro foro interno sive sacramentali sive non sacramentali;

e. in omnibus irregularitatibus dubiis dubio facti.

3. *Confessarius* dispensare potest *a.* suos poenitentes e. g. sacerdotes, clericos indiscriminatim sive saeculares sive regulares cuiusvis dioecesis;

b. in casibus occultis et urgentibus, in quibus ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae;

c. solum in irregularitatibus ex delicto, excepta ea, quae ex homicidio voluntario, ex procuratione abortus et ex cooperatione ad haec delicta provenit, aliave ad forum iudiciale deducta;

d. sed ad hoc solum, ut poenitens ordines iam susceptos exercere possit[2]);

e. tum intra tum extra confessionem.

Determinata forma, qua concedatur dispensatio, non praecipitur. Haec vel similis adhiberi potest: *Dispenso tecum in irregularitate, quam ob hanc causam incurristi, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

500. Libelli supplices ad obtinendam dispensationem ab irregularitatibus vel impedimentis exarantur pro foro externo veris pro foro interno fictis petentis nominibus.

a. Omnes irregularitates et impedimenta indicanda sunt, et si agitur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis;

b. Rescensendae sunt causae dispensationis;

c. Addendae litterae commendatitiae ordinarii;

d. Si irregularitates vel impedimenta *mala fide tacentur,* dispensatio, etiam generalis, non valet pro reticitis (num pro non reticitis ex textu non constat); quodsi *bona*

---

[1]) Cn. 990, 1.

[2]) Cn. 990, 2.

fide tacentur, dispensatio generalis (ab omnibus irregularitatibus et impedimentis) valet etiam pro reticitis.

e. Sed si, quamvis bona fide, tacetur irregularitas proveniens ex homicidio voluntario, procuratione abortus vel cooperatione ad haec delicta, vel si delictorum numerus non indicatur vel aliud delictum ad forum iudiciale deductum, dispensatio, etiam generalis, non valet;

f. Dispensatio generalis ad ordines suscipiendos valet etiam pro ordinibus maioribus;

g. Dispensatio in foro interno non sacramentali concessa *scripto* consignari et de ea in secreto curiae episcopalis libro constare debet[1]).

[1]) Cn. 991.

Liber octavus.

De matrimonio[1]).

Quaestio prima.

De natura matrimonii.

Articulus primus.

De ipsa eius natura.

501. Notio. Institutio. 1. *Matrimonium* (coniugium, connubium, nuptiae), si consideratur tamquam institutio naturalis et socialis, est viri et mulieris coniunctio ad prolem generandam atque educandam legitime inita.

a. Vitae coniunctio ad conservandum propagandumque genus humanum est perfecta vita coniugalis, quae secum fert ius et officium coeundi et communionem tori, mensae et habitationis: haec enim plane necessaria sunt, ut finis matrimonii a natura intentus apte obtineri possit.

b. Ad hanc coniunctionem, quae est medium conservandi et propagandi generis humani et simul fundamentum societatis civilis, instituendam auctor naturae generum diversitatem condidit; ad eandem promovendam convenientes appetitus (Triebe) naturae humanae indidit.

---

[1]) *S. Alphonsus* l. 6. n. 831—1147. *Thomas Sanchez*, De sancto matrimonii sacramento (Antverpiae 1626). *Basilius Pontius*, De sacramento matrimonii (Lugduni. 1640). *Mich. Rosset*, De sacramento matrimonii (Parisiis, Roger et Chernoviz 1895—1896). *Ios. Carrière*, De matrimonio (Parisiis. 1877). *Petrus Gasparri*, Tractatus canonicus de matrimonio[4] (Parisiis. 1904). *H. J. Feije*, De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus[3] (Lovanii. Peeters. 1885). *Julius de Becker*, De sponsalibus et matrimonio[2] (Bruxellis. 1904). *Ballerini-Palmieri*,

c. Hac coniunctione diversi sexus personae quadantenus mutuo complent atque perficiunt, quatenus mas et femina constituunt adaequatum atque completum principium generationis, educationis et vitae domesticae; nullatenus autem affirmari potest, marem et feminam per matrimonium se mutuo complere in ratione personalitatis, quasi homo non coniugatus esset imperfectus et indigeret complemento, ut sit *homo* perfectus.

2. Matrimonium Deus instituit in paradiso terrestri, ut constat ex verbis, quae Adam ex divina inspiratione pronuntiat: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una*[1]). Iam ab initio Deus matrimonium ita instituit, ut esset imago et repraesentatio tum unionis Verbi divini cum natura humana tum unionis Christi et Ecclesiae,[2]) illudque ab initio proprietate unitatis et indissolubilitatis insignivit, quam de iure usque ad diluvium saltem retinuit. Postea vero matrimonium a primaeva sua institutione defecit: nam praeterquam quod post lapsum protoparentum coepit fieri etiam remedium concupiscentiae, amisit insuper prae-

---

Opus theologicum morale[3] (Prati. Giachetti. 1900). Vol. VI. De matrimonio. *Lehmkuhl,* Theologia mor.[12] (Friburgi. Herder) II. tract. VIII. De matrimonio. *M. Matharan,* Casus de matrimonio (Parisiis. Victor Retaux. 1893). *Fr. Heiner,* Grundriß des katholischen Eherechtes[4] (Münster. Schöningh. 1892). *Joseph Schnitzer,* Katholisches Eherecht[5] (Freiburg. Herder. 1898). *Rud. v. Scherer,* Handbuch des Kirchenrechtes (Moser. Graz. 1898). II. S. 84—593. *M. Leitner,* Lehrbuch des katholischen Eherechtes (Paderborn. Schöningh. 1902). *Fr. Wernz,* Ius decretalium IV. (Prati. Giachetti. 1912). *Freisen,* Geschichte des kanonischen Eherechtes (Tübingen 1888). *Van de Burgt-Schaepmann,* Tractatus de matrimonio[3] (Ultraiecti. Van Rossum. 1908). Epistola encyclica Leonis XIII. *Arcanum* (De sacramento matrimonii) 10. Febr. 1880. *Codex iur. can.* de matrimonio agit cn. 1012—1143. *J. Chelodi,* Ius matrimoniale iuxta Codicem iur. (Tridenti. Comitato diocesano. 1918). *Tim. Schäfer,* Das Eherecht nach dem Codex iur. can. (Münster. Aschendorff. 1918). *E. Göller,* Das Eherecht im neuen kirchlichen Gesetzbuch (Freiburg. Herder. 1918). *Linneborn,* Grundriß des Eherechts nach dem Codex iur. can. (Paderborn, Schöningh. 1919).

[1]) Gen. 2, 23. 24.

[2]) Eph. 5, 22—33.

rogativam unitatis et indissolubilitatis, cum patriarchis, quin etiam gentilibus, per dispensationem concessa fuerit *polygamia*[1]) et populo israelitico *libellus repudii*[2]). Christus autem matrimonium, sublata pro omnibus hominibus dispensatione de polygamia et libello repudii, primaevae suae dignitati et puritati restituit illudque ad rationem sacramenti elevavit, ubi referens verba geneseos addidit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*[3]).

a. Verba, quibus matrimonium instituitur: *Quamobrem relinquet* etc. ab auctore geneseos tribuuntur quidem Adamo; Adam vero ea solum inspirante Domino edicere potuit. Ideo Christus haec verba ipsi Deo tribuit[4]). Matrimonii *unitas* atque *indissolubilitas* continentur verbis; *Et erunt duo in carne una,* [redacted] quibus Christus Dominus infert: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

b. De facto quidem *unitas* iam prius in particularibus casibus (e. g. [redacted] Lamech)[5]) violata est, de iure tamen quoad polygamiam dispensatio divina iuxta alios[6]) facto est *Noe* eiusque filiis, ut celerius multiplicaretur genus humanum, iuxta alios primum concessa est *Abrahae.* Polygamia etiam gentilibus a Deo concessa est, libellus repudii autem solis iudaeis permissus videtur.

c. Disputant quidem, utrum *libellus repudii* id effecerit, ut vinculum matrimonii solveretur, an solum id, ut coniuges impune [redacted] separare potuerint; sed praeferenda est sententia, quae tenet per libellum repudii solutum fuisse matrimonium, adeo ut utraque pars ad alias nuptias valide et licite transire potuerit[7]).

3. Matrimonium dupliciter considerari potest, prout est *contractus,* et prout est *sacramentum.* Etsi matrimonium rationem contractus habeat, a ceteris tamen contractibus in his potissimum differt: *a.* ceteri contractus non eadem speciali ratione in natura fundantur nec in bonum naturale totius generis humani ordinantur; *b.* in ceteris contractibus contrahentes condiciones contractus pro arbitrio determinare

---

[1]) Cf. Gen. 16, 1 ss.; 25, 1; 29, 27.
[2]) Deut. 24, 1 ss.
[3]) Matth. 19, 6.
[4]) Matth. 19, 4.
[5]) Gen. 4, 19.
[6]) *Benedictus XIV.* De synodo l. 13. c. 21. n. 8.
[7]) Cf. *Pesch,* Praelectiones dogmat. VII. n. 772 ss.

possunt, in contractu vero matrimoniali tum obiectum tum condiciones tum etiam officia a iure naturae vel ecclesiastico ita determinata sunt, ut arbitrio contrahentium immutari nequeant; *c.* ceteri contractus mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt, contractus vero matrimonialis consensu contrahentium solvi nequit, adeo ut obligationes et onera vi contractus semel suscepta abiici non possint, quamdiu ambo contrahentes in vivis exsistunt; *d.* ceteri contractus mere profani sunt, contractus vero matrimonialis considerata sola natura sua *res sacra est.*

Matrimonium considerata sola rei natura, praescindendo a ratione sacramenti, rem sacram atque religiosam esse, patet, quia immediate a Deo institutum est; quia est adumbratio unionis Verbi et naturae humanae, Chrisi et ecclesiae; quia ratione finis in Deum ordinatum est, eo quod constitutum est ad perpetuandum genus humanum, quod ad Deum colendum et glorificandum destinatum est. Ideo populi antiquitatis cultiores matrimonium considerarunt ut rem cum religione et sanctitate coniunctam[1]).

502. De necessitate matrimonii[2]). *a.* Matrimonium ab auctore naturae institutum humano generi dicendum est necessarium, cum solum per matrimonium genus humanum apte conservari et propagari possit. Ideo omnibus et singulis ab eodem auctore naturae tum ius ad matrimonium tum generatim etiam inclinatio ad illud indita sunt. Attamen affirmari nequit sive omnibus et singulis hominibus sive generi humano ut communitati per se et directe impositam esse legem divinam sive naturalem sive positivam contrahendi matrimonium.

Nam verum praeceptum, quod obliget genus humanum, nullas autem determinatas personas, vix intelligi potest. Insuper ad finem propagationis generis humani obtinendum generalis inclinatio hominum ad ineundum matrimonium sufficiens est: ea enim fit, ut plerique matrimonium contrahant et consumment. Tandem ecclesia ex s. scriptura docet, coelibatum licitum, immo statu matrimoniali perfectiorem esse[3]).

---

[1]) Cf. encyclica *Arcanum* circa medium.

[2]) *Wernz* IV. n. 34; *Gasparri* I. 212 s.; *Leitner* § 4.

[3]) Concil. trid. sess. 24. can. 10.

b. Attamen fieri potest, ut indirecte et per accidens pro singulari aliquo homine ex speciali ratione exsistat obligatio ineundi matrimonium, scilicet ad vitandam incontinentiam, ad reparandum damnum illatum, ad implendam promissionem; insuper ab initio mundi pro primis parentibus exsistit positiva obligatio ad matrimonium eiusque usum, quam Deus significavit his verbis: *Crescite et multiplicamini et replete terram*[1]*:* finis enim propagationis generis humani, qui necessario obtinendus erat, in hoc ordine alio medio obtineri non poterat.

503. Fines matrimonii. Fines matrimonii alii sunt essentiales et interni, quos Deus in institutione matrimonii intendit, alii accidentales et externi, quos contrahentes praeter essentiales intendere possunt; *essentiales* iterum vel sunt primarii vel secundarii.

a. Finis essentialis primarius est procreatio et educatio prolis: *crescite et multiplicamini et replete terram*[2]*); fines essentiales secundarii* sunt: mutuum vitae adiutorium tum in curanda re domestica tum in prole aducanda tum in sancto amore praestando: *faciamus ei adiutorium simile sibi*[3]*);* deinde sedatio concupiscentiae, quae non incitat ad illicita, si ei per actum coniugalem licite satisfit, id quod innuunt verba; *quodsi non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri*[4]).

b. Fines accidentales complures fingi possunt e. g. ad pacem familiarum conciliandam, ad honorem familiae conservandum, ad pacem inter consanguineos componendam, ad honores, divitias, licitas voluptates obtinendas etc.

Matrimonium ante peccatum protoparentum ordinatum erat *in officium naturae* i. e. ad liberos procreandos et educandos atque ideo ad conservandum et propagandum genus humanum; post eorum lapsum ordinatum est etiam *in remedium concupiscentiae* i. e. ad vitanda carnis peccata per usum matrimonii secundum leges rationis.

[1]) Gen. 1, 28.
[2]) Gen. 1, 28.
[3]) Gen. 2, 18.
[4]) 1. Cor. 7, 9.

Finis primarius matrimonii, etiam prout institutum est in officium naturae, *non est profanus sed sacer:* finis enim primarius matrimonii est procreatio et educatio prolis; prolis autem finis adaequatus non est felicitas temporalis, sed est Deus religione colendus et postea aeterna beatitudine possidendus et per hoc glorificandus; ergo finis matrimonii directus est generatio et educatio prolis ad Deum glorificandum. Atqui finis iste [redacted] est et religiosus. Ideo matrimonium illi potestati subiicitur, cui cura ultimi finis vitae humanae demandata est i. e. potestati religiosae.

504. Bona matrimonii. Praeeunte *s. Augustino*[1]) theologi triplex bonum matrimonii distinguunt: *a.* bonum *prolis,* quod in generatione et educatione prolis consistit; *b.* bonum *fidei,* quod in mutua fidelitate consistit, quam uterque coniux alteri servare debet, tum eo quod alteri usum corporis facit, tum eo quod nulli alteri istum concedit; *c.* bonum *sacramenti,* quod in inseparabilitate coniugum consistit. Indissolubilitatem matrimonium natura sua quidem habet, quia tamen per sacramentum ea confirmatur, bonum sacramenti dici solet.

Haec tria *bona* matrimonii *essentialia* sunt, quae scilicet ad matrimonii essentiam pertinent, ita ut sine illis matrimonium haberi non possit. Essentialia autem hoc modo sunt: *a. bonum prolis,* quatenus consistit tum in obligatione ita utendi matrimonio, ut proles generari possit, tum in obligatione prolem susceptam conservandi atque educandi; *b. bonum fidei,* quatenus consistit in obligatione proprium coniugem admittendi, omnem vero alium ab [redacted] corporis excludendi; *c. bonum sacramenti,* quatenus consistit in indissolubili vinculo matrimoniali.

Articulus secundus.

De matrimonio, ut sacramentum est.

505. Definitio. Matrimonium, ut *sacramentum* est, definiri potest: contractus matrimonialis inter baptizatos de iure habiles initus, quo significatur et confertur gratia ex opere operato. Vel ad analogiam aliorem sacramentorum: matrimonium est sacramentum, quo per mutuam viri et

[1]) De bono coniug. I. 32.

mulieris traditionem et acceptationem potestatis in corpus confertur gratia ad eorum coniunctionem sanctificandam.

a. Solum *matrimonium in fieri est proprie dictum sacramentum* producens gratiam ex opere operato; matrimonium in facto [redacted] non est proprie dictum sacramentum, sed status matrimonialis [redacted] consensu sacramentali ortus, qui eatenus dici potest latiore sensu sacramentum, quatenus significat unionem Christi cum ecclesia.

b. Status matrimonialis consistit in *vinculo coniugali* seu in mutuis iuribus et obligationibus, quibus coniuges invicem adstringuntur. Tum contractus naturalis tum contractus sacramentalis producit vinculum indissolubile, hoc tamen discrimine, quod vinculum ex contractu sacramentali ortum maiorem et peculiarem habeat firmitatem.

506. Asserta. 1. *Matrimonium* christianum verum est novae legis *sacramentum.*

a. Contractum matrimonialem signo externo initum a Christo evectum esse ad *sacramentum* constat ex definitione concilii tridentini: „Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis [redacted] Christo institutum, a. s."[1]). Ex fontibus revelationis ostendunt dogmatici contractum matrimonialem ex institutione Christi [redacted] signum efficax gratiae[2]).

b. Matrimonium duplici sensu dici potest *sacramentum:* sensu lato, quatenus est res sacra, quo sensu matrimonia infidelium quoque sacramenta appellantur; sensu proprio, quatenus matrimonium fidelium est verum novae legis sacramentum.

2. *Sacramentum* matrimonii *non differt* [redacted] *contractu* matrimoniali, sed ipse contractus matrimonialis a Christo evectus est ad dignitatem sacramenti, adeo ut contractus matrimonialis a sacramento dissociari non possit. Hinc est, quod inter christianos (etiam haereticos et schismaticos) haberi non possit contractus matrimonialis, quin simul habeatur sacramentum matrimonii[3]).

a. Haec quaestio antea disputata recenti tempore variis summorum pontificum declarationibus definita est. *Pius IX.* proscripsit hanc propositionem: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile"[4]); *Leo XIII.* declarat: „Non

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. can. 1. Cn. 1012, 1.

[2]) *Pesch* VII. n. 699 ss.

[3]) Cn. 1012, 2.

[4]) Syllabus damnat. propos. prop. 66; cf. etiam prop. 83.

potest huiusmodi distinctio (inter contractum et sacramentum) seu potius distractio probari, cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure"[1]). Eandem doctrinam citatus canon (1012, 2) proponit.

b. Si christiani contrahentes absolute *nolunt sacramentum* suscipere, neque validum matrimonium ineunt: qui enim non vult sacramentum, neque verum matrimonium velle potest. Quodsi verum matrimonium inire volunt, etiam sacramentum suscipiunt, licet sacramentum perficere nolint: qui enim ita contrahunt, de facto duas intentiones habent, alteram contrahendi verum matrimonium, alteram excludendi sacramentum; iam si prior intentio praevaleat, altera per eam destruitur. Prior autem intentio eo facilius praevalebit, quia contrahentes plerumque nesciunt, matrimonium et sacramentum indissolubili nexu invicem cohaerere.

c. Ergo etiam matrimonium initum *inter absentes* est verum sacramentum, sicut est verus contractus. Quamobrem contrahens per procuratorem curare debet, ut in statu gratiae sit eo tempore, quo perficitur contractus: eodem enim tempore recipit sacramentum. Patet non procuratorem, sed principalem agentem esse ministrum sacramenti; pariter non procuratoris sed principalis agentis consensum esse materiam et formam sacramenti. Quare non peccat procurator, qui eo tempore, quo pro alio contrahit, in statu peccati sit.

507. Materia et forma. Quoniam contractus matrimonialis a sacramento non distinguitur, eadem est *materia et form a*sacramenti, quae est materia et forma constractus.

a. Materia *remota* sunt corpora contrahentium seu ius in corpora, quod contrahentes mutuo sibi tradunt; materia *proxima* est ipsa traditio mutua huius iuris signo sensibili expressa.

b. Forma sacramenti est mutua iuris acceptatio signo sensibili expressa. Et quia traditio et acceptatio ex praecepto ecclesiae per verba significantur, dici etiam potest verba, quibus mutua traditio et acceptatio iuris imprimitur, constituere materiam et formam sacramenti; materiam quidem quatenus exprimunt iuris traditionem, formam vero quatenus exprimunt eiusdem acceptationem.

[1]) Encyclica *Arcanum* 10. Febr. 1880.

508. Ministri huius sacramenti sunt ipsi contrahentes: si enim sacramentum a contractu non differt, conficientes contractum etiam sacramentum conficiunt. Quae quidem doctrina olim controversa hodie extra omne dubium posita est[1]).

Nihilominus sacramentum *conferunt* tum fideles, qui ignorant se esse ministros sacramenti, tum haeretici, qui non credunt matrimonium esse sacramentum, ideoque (explicite) non intendunt conficere sacramentum. Et illi quidem, quia generalem intentionem habent faciendi, quod faciunt ceteri fideles matrimonium ineuntes, atque ideo faciendi, quod Christus instituit; haeretici vero, quia plerumque saltem generalem intentionem habent contrahendi, ut christiani in ecclesia a Christo instituta contrahunt, quae intentio ad conferendum sacramentum sufficit. Ad *suscipiendum* autem matrimonii sacramentum in baptizatis sufficit consensus matrimonialis, modo expresse non excludatur ratio sacramenti: eo ipso enim, quod volunt contractum matrimonialem, implicite volunt etiam sacramentum.

509. Subiectum matrimonii, prout hoc *merum contractum* constituit, est quivis homo nullo impedimento iuris naturae vel divini inhabilis[2]).

Subiectum matrimonii, prout simul *sacramentum* constituit, est quivis homo baptizatus nullo impedimento iuris naturalis, divini vel ecclesiastici inhabilis.

a. Ergo *inter duos infideles* matrimonium esse non potest nisi contractus, non autem sacramentum nisi latiore sensu.

b. Si *duo coniuges infideles ad fidem convertantur,* eorum matrimonium ipsa receptione baptismi fit sacramentum sine expressa vel tacita consensus renovatione. Haec sententia hodie dici potest certa, postquam romani pontifices expresse declararunt omne matrimonium inter fideles sacramentum. Et sane hinc quidem coniunctio infidelium recepto baptismo perfecte repraesentat unionem Christi et ecclesiae, inde vero consensus coniugalis virtualiter perdurat; ideo omnia adsunt, quae requiruntur, ut eorum matrimonium sine renovatione consensus fieri possit sacramentum.

c. Num matrimonium in fideli sit sacramentum, si *fidelis per pontificis dispensationem cum infideli contrahat,* vel si *duorum coniugum infidelium unus ad fidem convertatur,* non constat. Quaestionem

[1]) Cf. *Pesch* VII. n. 868 ss.

[2]) Cn. 1035: Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.

probabilius negat *Sanchez* cum multis aliis: contractus enim matrimonialis, qui elevatur ad sacramentum, unus est ab utroque contrahente effectus; non sunt duo partiales contractus, ex quibus unus totalis coalescit. Quare ut esse possit sacramentum, uterque contrahens sacramenti capax [redacted] debet, quemadmodum ut sit contractus, uterque ad contrahendum habilis [redacted] debet.

510. Matrimonium gaudet favore iuris[1]. Hoc significat:

a. Si de celebratione constat, matrimonium validum haberi debet, donec nullitas eius probetur. Hinc principium: In dubio sive iuris sive facti standum est pro valore matrimonii.

b. Si de celebratione non constat, idem principium valet, dummodo ipsi coniuncti aliique putent coniunctionem esse legitimam. Si tamen nullitas matrimonii dubii in damnum fidei cedit, illud nullum declaratur, quia *in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris*[2]. Ideo matrimonia infidelium conversorum dubia declarantur irrita.

511. Effectus matrimonii. Effectus matrimonii multiplices sunt, alii supernaturales, qui ex matrimonio sacramento sequuntur, alii naturales tum canonici tum civiles, qui ex matrimonio contractu producuntur. De effectibus ex matrimonio contractu productis inferius sermo erit.

Effectus matrimonii, *quatenus sacramentum est*, sunt: *a.* augmentum gratiae sanctificantis, habituum et donorum; *b.* ius ad gratias actuales statui coniugali necessarias, scilicet ad mutuum amorem conservandum et perficiendum, ad fidem et castitatem coniugalem integre servandam, ad prolem bene educandam, ad onera matrimonii christiane ferenda.

Nota. Bonum matrimonii per sacramentum perfici maxime cernitur in *bono sacramenti*, eo quod matrimonium per sacramentum maiorem firmitatem accipit. Quo perfectius enim matrimonium repraesentat unionem indissolubilem Christi cum ecclesia, eo maior est

[1]) Cn. 1014.
[2]) Cn. 1127.

eius firmitas; sed matrimonium christianum perfectius eam repraesentat quam naturale; perfectissima autem imago illius unionis est matrimonium christianum consummatum, in quo ad unitatem animorum per contractum accedit unitas corporum per copulam effecta. Ideo matrimonium christianum consummatum est simpliciter indissolubile, sicut unio Christi et ecclesiae indissolubilis est.

Articulus tertius.

De matrimonii divisionibus.

512. Matrimonium dividitur: 1. In matrimonium legitimum, ratum et consummatum[1]).

a. Legitimum est matrimonium inter non baptizatos valide initum, quale nunc inter iudaeos, turcas et gentiles contrahitur.

Olim hoc distinctionis membrum a canonistis etiam ad matrimonia fidelium referebatur, cum matrimonium legitimum vi nominis significet matrimonium iuxta leges initum, ideoque matrimonium validum sive fidelium sive infidelium; hodie vero communiter ad sola matrimonia infidelium restringitur[2]).

b. Ratum est matrimonium validum inter baptizatos initum, quod ergo rationem sacramenti habet, sed nondum copula carnali consummatum est. Dicitur ratum, quia ecclesia illud ratum habet et approbat; *ratum tantum,* quia consummatum non est.

c. Consummatum est matrimonium validum, quod copula carnali completum est et efficit, ut coniuges fiant una caro.

Patet matrimonium tum legitimum infidelium tum ratum fidelium fieri posse consummatum. Ut matrimonium vere consummatum dici possit, requiritur: ut copula carnalis sit perfecta i. e. ex [redacted] ad generationem apta; ut ante copulam verum matrimonium adfuerit; hinc si duo ante matrimonium copulam habeant et deinde matrimonium contrahant, hoc ante novam copulam in ipso matrimonio peractam non dicitur consummatum.

2. In matrimonium verum, putativum, attentatum.

---

[1]) Cn. 1015.

[2]) Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 8. c. 12. n. 5.

a. Verum seu validum dicitur, quod reipsa contractum et qua tale probatum est aliquo ex iis argumentis (e. g. testimonio parochi), quibus et cetera negotia probari solent.

Matrimonium validum, cui nullum obstat impedimentum impediens, *licitum* dicitur; illud, cui obstat impedimentum impediens, *illicitum*.

b. Putativum dicitur matrimonium invalidum, quod rite coram ecclesia in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

α. Matrimonium putativum speciem veri matrimonii habet eiusdemque effectus iuridicos producit; sed ut iuris effectus reipsa producat, et praesertim ut proles in [redacted] nata censeatur legitima, requiritur, ut contrahatur bona fide saltem ab uno ex coniugibus, qui impedimentum ignoraverit; ut contrahatur publice et in facie ecclesiae, i. e. coram parocho et duobus testibus et praemissis proclamationibus, nisi super his dispensatum fuerit.

β. Quia novus Codex matrimonium putativum dicit, quod in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, de condicione autem, quod etiam *rite coram ecclesia* (etsi haeretica vel schismatica) celebratum esse debeat, tacet[1]), censent nonnulli hanc condicionem non amplius requiri, adeo ut etiam matrimonium civile possit [redacted] matrimonium putativum et sortiri eiusdem effectus.

c. Attentatum dicitur, quod invalide initum est, et quidem cum cognitione utriusque vel saltem alterutrius partis, quod matrimonio obstet impedimentum dirimens voti vel ordinis vel ligaminis.

Quamvis omnis actus, qui scienter contra legem irritantem invalide ponitur, dicatur *attentatus*, speciali tamen ratione iste terminus matrimonio applicatur.

Nota. Matrimonium *praesumptum* dicebatur matrimonium, quod, etsi forte [redacted] exsistebat, a iure tamen, posita copula a sponsis habita, ut exsistens praesumebatur.

Ante concilium tridentinum ad matrimonium validum mutuus contrahentium consensus sufficiens erat, id quod post tridentinum valebat in locis, ubi decretum tridentinum circa matrimonia clandestina non vigebat. Iam si post inita sponsalia inter sponsos copula carnalis haberetur, haec affectu maritali potius quam fornicario peracta praesumebatur, et quoniam solus consensus ad validum matrimonium con-

[1]) Cf. cn. 1015, 4.

trahendum in illis regionibus sufficiens erat, matrimonium contractum praesumebatur. Num matrimonium in hoc casu obiective validum fuerit, pendebat ab affectu, quo sponsi reipsa copulam habebant. Iam vero matrimonium praesumptum a s. pontifice per decretum *s. Officii* abrogatum est[1]).

3. In matrimonium canonicum et civile: *canonicum* dicitur matrimonium, in quo omnia servantur, quae a iure naturali et ecclesiastico ad verum matrimonium requiruntur; *civile* dicitur, quod ab auctoritate civili habetur tamquam validum, ita ut ei tribuantur omnes effectus civiles matrimonii validi.

4. In matrimonium sollemne et minus sollemne: *sollemne* dicitur matrimonium, in quo praeter formalitates substantiales a lege praescriptas etiam accidentales habentur, scilicet benedictio nuptialis et festivitates nuptiales; *minus sollemne* dicitur, in quo praeter sollemnitates substantiales nullae aliae habentur.

5. In matrimonium publicum et occultum: *publicum* dicitur, quod in facie ecclesiae i. e. praemissis proclamationibus coram parocho et testibus celebratur; *occultum* dicitur, quod omissis proclamationibus solum in praesentia parochi et testium celebratur. A matrimonio occulto differt *clandestinum* de quo infra.

6. Ad matrimonium canonicum referri solet tum matrimonium morganaticum, tum matrimonium conscientiae.

a. Matrimonium *morganaticum* est matrimonium cum muliere inferioris condicionis ea lege initum, ut neque uxor nec liberi in dignitate, titulis et insignibus mariti vel patris succedant et determinata solum parte paternorum bonorum contenti sint[2]).

---

[1]) *S. Officium* 15. febr. 1892. Ratio abrogandi hanc iuris dispositionem erat difficultas in praxi ex eo orta, quod fideles eam ignorarent.

[2]) In eiusmodi casu tum uxori tum liberis donum nuptiale seu determinata portio bonorum tempore sponsalium addicitur; quod donum cum *Morgengabe* diceretur, inde per corruptionem *morganaticum* ortum est.

b. Matrimonium *conscientiae* seu secretum est matrimonium coram parocho vel alio sacerdote ab ordinario delegato et duobus testibus absque praeviis proclamationibus clam initum eo pacto, ut omnes, qui intererant, ad secretum servandum teneantur.

Haec matrimonia, etsi legibus ecclesiae contraria et periculis plena sint, ab ecclesia tamen ex gravissima et urgentissima causa sub certis condicionibus permittuntur, quas *Benedictus XIV.* constitutione *Satis vobis* (17. nov. 1741) et novus *Codex* cn. 1104 ss. determinat.

Potestas eiusmodi matrimonia permittendi est penes ordinarium loci, excluso vicario generali, nisi speciale mandatum habeat.

Recenti tempore haec permissio facta est difficilior, quia in plerisque regionibus ob leges civiles vix caveri potest periculum, ne proles habeatur civiliter illegitima.

Matrimonium celebrari debet in forma praescripta coram parocho vel alio sacerdote delegato et duobus testibus. Testimonium celebrati matrimonii exhibendum est episcopo, qui illud in libro apposito transcribendum et in secreto curiae archivo asservandum curabit.

Proles ex eiusmodi matrimonio nata baptizanda est in ecclesia, tectis parentum nominibus, atque episcopo significandum est, prolem tali loco et die baptizatam esse legitimam.

Obligatio secreti servandi tenet sacerdotem assistentem, testes, ordinarium eiusque successorem et etiam alterum coniugem, nisi alter in divulgationem consentiat.

Scandalum tum apud domesticos tum apud extraneos eo caveri debet, quod coniuges publice non se gerant ut coniuges. Quodsi scandalum non caveatur, matrimonium publicandum est. Obligatio enim secreti servandi ex parte ordinarii cessat, si ex secreti observatione aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria immineat.

Articulus quartus.

De potestate ecclesiae in matrimonium.

513. De ipsa potestate. Cum paucae leges, quae ex iure naturali et divino circa matrimonium exsistunt, ad ordinandum hunc contractum aeque frequentem ac difficultatibus implexum non sufficiant, iam quaeritur, utrum Deus

auctoritati ecclesiasticae an civili potestatem commiserit leges circa matrimonium condendi. Atqui *ecclesiae eique soli,* non ex concessione auctoritatis civilis, sed iure proprio *competit potestas in matrimonia fidelium*[1]). Et sane, ecclesiae eique soli a Deo commissa est potestas administrandi sacramenta atque ideo statuendi, quae ad valide et licite conferenda et sucipienda sacramenta requirantur; contractus autem matrimonialis est sacramentum; ergo ad solam ecclesiam pertinet statuere, quae ad valide et licite ineundum contractum matrimonialem requirantur. Ex hoc canone generali in specie infertur, ecclesiam solam potestatem habere:

a. positive praescribendi condiciones (ritum, sollemnitates), quae ad validam et licitam matrimonii celebrationem requirantur;

b. statuendi impedimenta dirimentia;

c. statuendi impedimenta prohibentia;

d. diiudicandi causas matrimoniales, et quidem

de valore et nullitate matrimonii sive contrahendi sive iam contracti;

de dissolutione matrimonii;

de separatione coniugum a toro et mensa: agitur enim de iudicanda obligatione, quae ex ipso matrimonio immediate oritur;

de legitimitate prolis: agitur enim de effectu, qui ex valido matrimonio immediate resultat.

Nota. *a.* De hac materia triplex error notari debet.

Protestantium, qui matrimonium sacramentum esse negant, proindeque potestatem ordinandi matrimonium, utpote simplicem contractum, auctoritati civili adiudicant.

Illorum catholicorum, qui matrimonium sacramentum esse concedunt, sed in eo realiter distinguunt contractum a sacramento et contendunt, contractum soli potestati civili, sacramentum vero potestati ecclesiasticae subesse. Quodsi ecclesia de facto iam a saeculis, statuendo impedimenta dirimentia, potestatem in contractum matrimonialem exercet, id ex usurpatione et tacita principum concessione ortum esse.

---

[1]) Cn. 1016.

Illorum catholicorum, qui realiter quidem non distinguunt inter contractum et sacramentum, sed nihilominus potestatem statuendi impedimenta dirimentia tum ecclesiae tum (consentiente tamen ecclesia) potestati civili tribuunt. Quodsi de facto ecclesia sola impedimenta dirimentia statuit, id ideo factum esse, quia ecclesia hanc potestatem sibi reservaverit.

b. Contra hos errores urgeri debet certa ecclesiae doctrina.

In matrimonio ratio sacramenti a ratione contractus separari non potest. Ideo soli ecclesiae competit potestas ordinandi matrimonium, leges circa illud ferendo.

Haec potestas ecclesiae non competit ex concessione principum, [illegible] ex lege positiva, qua ecclesia hanc potestatem sibi reservavit, sed [illegible] iure divino a Christo Domino immediate ipsi concesso.

Articulus quintus.

De potestate auctoritatis civilis in matrimonium.

Potestas auctoritatis civilis considerari debet relate ad matrimonium fidelium et relate ad matrimonium infidelium. Insuper supremus princeps, cuius potestas in matrimonium examinanda est, ipse fidelis aut infidelis esse potest.

514. In matrimonia fidelium. 1. Potestas civilis quoad *matrimonia fidelium* nullum ius habet, et proinde neque impedimenta sive dirimentia sive impedientia statuere neque de effectibus matrimonii essentialibus quidquam decernere potest; ideo efficere nequit, ut matrimonia fidelium per se sive invalida sive illicita sint, quod et ratio dictat et declaratio ecclesiae confirmat[1]).

Quodsi potestas civilis nihilominus circa matrimonium quidquam statuit, quod in [illegible] malum [illegible] sit, fideles non solum licite morem gerere possunt, sed eis etiam iniungendum est, ut servent condiciones, quas potestas civilis [illegible] ad validum vel licitum matrimonium praescribit; non quod directe in conscientia illae obligent, sed [illegible] fidelium matrimonia careant effectibus civilibus in proprium et liberorum detrimentum; indirecte ergo ex caritate erga [illegible] ipsos et liberos suos illas leges servare tenentur.

---

[1]) Cn. 1016. Cf. *Pesch* VII. n. 881.

2. Etsi auctoritas civilis in *effectus matrimonii* essentiales influxum exercere nequeat, effectus tamen matrimonii civiles propria potestate regere potest[1]). Ratio *primi:* qui de ipso matrimonio eiusque valore iudicat, etiam de iis, quae necessario inde sequuntur, iudicare debet. Ratio *secundi:* cum matrimonium sit contractus socialis, etiam iura et obligationes civiles parit, quae effectus civiles nuncupari solent; iam circa hos effectus potestas civilis, eaque sola leges fert i. e. eos determinare et certis matrimoniis ex iusta causa abiudicare potest.

a. Effectus matrimonii alii sunt essentiales, alii civiles. *Essentiales* sunt: obligatio cohabitandi, patria potestas in filios et legitimitas prolis. Hi effectus ideo essentiales dicuntur, quia ex ipso contractu matrimoniali necessario consequuntur. Effectus *civiles* matrimonii, qui iure proprio ad potestatem politicam pertinent, sunt: contractus coniugum circa bona temporalia; ius uxoris et filiorum participandi in bonis, dignitatibus et titulis mariti vel patris; ius succedendi tamquam heredem legitimum in bona defuncti; quantitas dotis, quantitas partis legitimae etc.

b. Leges politicae, quibus reguntur effectus civiles matrimonii, in conscientia obligant: sunt enim leges ab auctoritate competenti in bonum commune latae; ergo nihil eis deest, quominus in conscientia obligent.

c. Quae matrimonia valida, quae invalida sint, potestas politica discere debet ab ecclesia; iam vero matrimoniis, quae ab ecclesia habentur valida, per [illegible] concedere, iis vero, quae ab ecclesia invalida habentur, per se negare tenetur effectus civiles. Quodsi tamen matrimonium, quod in facie ecclesiae validum est, bono communi vere adversaretur, potestas politica eiusmodi matrimonio effectus civiles negare non potest, sed ecclesiae relinquendum est, ut ipsa difficultati occurrat.

515. In matrimonia infidelium[2]).

a. Momentum practicum huius quaestionis in dies augetur: etenim non solum missionarii catholici usque novas infidelium regiones ingrediuntur earumque incolas ad fidem christianam perducunt, sed terrae infidelium identidem etiam potestati principum christianorum subiiciuntur, immo inter ipsos fideles in dies crescit numerus eorum, qui filios [illegible] baptizandos quidem curant; hi proinde more infidelium

[1]) Cn. 1016.

[2]) Cf. *Resemans*, De competentia civili in vinculum coniugale infidelium (Romae. Desclée. 1887). *Leitner* p. 26 [illegible]

adolescunt et matrimonium civile, quod solis legibus civilibus regitur, contrahunt.

b. Controversia est, num matrimonia infidelium subsint potestati civili. Antiquiores quidem theologi *(Sanchez, Pirhing, Schmalzgrueber, Suarez* etc.) sententiam affirmantem ut veram et certam defendebant. Postea vero, praesertim saeculo praeterlapso, complures theologi (*Perrone, Taparelli, Liberatore, Zigliara* etc.) hanc doctrinam impugnarunt, auctoritati civili negantes potestatem condendi leges circa contractum matrimonialem infidelium. Hodie tamen sententia affirmans inter theologos iterum evasit communis: eam tuentur *D'Annibale, Ballerini, Gasparri, Lehmkuhl, Rossett, De Becker, Leitner, Wernz* aliique. Attamen non omnes eodem modo eam explicant: alii enim putant auctoritatem civilem iure proprio leges condere posse circa matrimonia suorum subditorum infidelium, cum matrimonium sit contractus naturalis; alii econtra docent auctoritatem civilem iure quidem proprio regere matrimonia infidelium, at non vi potestatis mere civilis, cum matrimonium sit res sacra, sed vi potestatis religiosae, quae in principe infideli cum illa connexa sit. In societate enim, in qua non est auctoritas religiosa a civili distincta, potestatis civilis est non sacras ordinare, non ut est civilis, sed ut est simul religiosa. Alii tandem opinantur auctoritatem civilem matrimonia infidelium ordinare posse non iure proprio, sed iure per accidens devoluto: cum enim in societate necessaria sit potestas, quae ordinare possit contractum matrimonialem, auctoritas autem religiosa, cui illa potestas proprie competit, in principe infideli non exsistat, ipsa per accidens et ratione necessitatis devolvitur ad auctoritatem, quae sola ibi legitime praeest, ad auctoritatem nempe civilem.

Assertum. Potestas civilis ius habet regendi matrimonia infidelium inter se; potest ergo impedimenta dirimentia et impedientia statuere, dummodo non adversentur iuri naturali, potest etiam eorum causas matrimoniales diiudicare.

Huius sententiae argumenta sunt haec.

1. Matrimonium infidelium est contractus naturalis; atqui omnis contractus naturalis praeter normas iuris naturalis et divini regitur legibus potestatis civilis; ergo matrimonium infidelium regitur legibus potestatis civilis, sive iure proprio sive iure translato, sicut etiam iuramentum et sacrificium in eiusmodi societatibus ab auctoritate civili reguntur.

2. Praeter normas iuris naturalis et divini matrimonium complures leges positivas exposcit: innumera enim sequerentur inconvenientia, si matrimonia infidelium solis legibus iuris naturalis et divini regerentur; ergo adesse debet auctoritas, quae circa matrimonia

infidelium leges condat; atqui praeter auctoritatem civilem non est alia, quae eiusmodi leges condere possit.

3. Etsi ecclesia mentem suam circa hanc quaestionem explicite non manifestaverit, ipsa tamen huic sententiae favet: ex declarationibus enim sacrarum congregationum colligitur, eam pro invalidis habere matrimonia infidelium; quibus obstat impedimentum dirimens a potestate civili statutum[1]). Inde est, quod etiam missionarii in locis infidelium iuxta hanc sententiam matrimonia eorum, qui ad fidem convertantur, diiudicent[2]).

Quaestio secunda.

De proprietatibus matrimonii.

Duae sunt praecipuae matrimonii proprietates, quae ex eius natura oriuntur: matrimonii *unitas* atque *indissolubilitas*[3]).

Articulus primus.

De unitate matrimonii.

516. Quae sit unitas matrimonii. Unitas matrimonii seu *monogamia* in eo consistit, quod sit coniunctio unius viri cum una muliere. Unitas matrimonii est *perfecta*, si neuter coniux post dissolutionem prioris matrimonii aliud matrimonium contrahit; est *imperfecta*, si saltem unus coniugum post dissolutionem prioris matrimonii aliud contrahit.

Unitati matrimonii opponitur *polygamia*, quae simultanea et successiva esse potest. Polygamia *simultanea* aut est *polyandria*, si una mulier plures maritos habet, aut *polygynia*, si unus vir plures simul mulieres habet. Polygamia

---

[1]) *S. C. de propag. fide* 26. iun. 1820.
[2]) *Gasparri* I. n. 284. *Wernz* IV. n. 75 ss.
[3]) Cn. 1013, 2.

successiva dicitur *bigamia,* sive unus vir successive plures mulieres, sive una mulier successive plures viros ducit.

Unitatem matrimonii, quam etiam leges romanae civiles polygamiam prohibentes tuebantur, ecclesia nullo non tempore vindicavit et polygamiam, etsi a summis principibus importune expetitam, nunquam permisit. Inter protestantes polygamiae ab haeresiarchis admissae plura habentur exempla. Polygamiam, quam diu exercuerant Mormones, hodie Turcae et pagani exercent. Socialistae theoretice saltem non solum polygymiam, sed vel ipsam polyandriam admittunt[1]).

1. *Polyandria* repugnat iuri naturali, quia repugnat fini primario matrimonii, scilicet generationi et educationi prolis: *generationi* quidem, quia mulier, ad quam plures viri accedunt, redditur sterilis; *educationi* autem, quia ignoratur pater susceptae prolis, proindeque nullus pater eius educationem curat. Hinc polyandria semper et ubique prohibita fuit, ita ut ne Deus quidem ab hac lege dispensare possit.

2. *Polygynia* repugnat iuri naturali et fini matrimonii secundario; repugnat etiam legi positivae divinae: *omnis, qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, moechatur*[2]).

a. Complures sunt rationes, ob quas *polygynia* iuri naturae adversatur: α. physice impossibilis est, cum utriusque sexus fere idem sit numerus personarum; natura ergo monogamiam intendit; β. repugnat aequalitati iurium, quae utrique sexui et universim hominibus competit; γ. repugnat bono communi, cum virum enervet et mulierem dignitate sua privet; δ. conturbat tranquillam vitae consuetudinem et mutuum inter coniuges adiutorium.

b. Ab hac lege Deus dispensare potest et reipsa dispensavit: post diluvium enim patriarchis et populo israelitico concessa fuit polygamia, quae concessio etiam ad gentiles extendebatur. Per Christum tamen, qui matrimonium primaevae integritati restituit, dispensatio haec etiam quoad infideles sublata est, adeo ut etiam inter infideles secundum matrimonium durante priore invalidum sit, et apud iudaeos per libellum repudii matrimonium amplius non solvatur[3]).

3. *Bigamia* seu *polygamia successiva* tum viro quam mulieri etiam in nova lege permittitur: *Mulier alligata est*

---

[1]) *Bebel,* Die Frau (Stuttgart).

[2]) Luc. 16, 18: Cf. *Concilium trid.* sess. 24 cn. 2.

[3]) Matth. 19, 3 ss.

legi, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat; tantum in Domino[1]). Quare ecclesia secundas nuptias post mortem prioris coniugis initas semper licitas habuit, quamvis eas minus probaret.

Articulus secundus.

De indissolubilitate matrimonii.

517. Quae sit indissolubilitas matrimonii. Duplex distinguenda est indissolubilitas, interna et externa. *Interna* in eo consistit, quod matrimonium per causam internam seu per mutuum contrahentium consensum solvi non possit; *externa* in eo consistit, quod matrimonium per causam externam scilicet divinam vel ecclesiasticam solvi non possit. De hac re dogmatici sequentes theses statuunt.

1. *Matrimonium* omne tum iure naturae tum lege positiva divina *intrinsecus indissolubile* est, adeo ut contrahentium consensu nunquam solvi possit.

2. Matrimonium *fidelium ratum et consummatum* etiam *extrinsecus* indissolubile est, adeo ut solvi nequeat nisi per mortem alterius coniugis[2]).

Indissolubilitas asserenda est etiam matrimonio consummato, quod per dispensationem summi pontificis ■ fideli cum infideli contrahitur[3]), sed non constat, utrum simpliciter sit indissolubile, ■■ solum de facto nunquam in eo dispensatum fuerit.

3. Matrimonium autem *ratum fidelium* et matrimonium etiam *consummatum infidelium* potestate externa solvi potest.

§ 1. De matrimonio rato fidelium.

518. Quomodo solvatur. 1. Matrimonium *ratum et non consummatum fidelium* solvi potest *per dispensationem* s. Pontificis ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita[4]).

[1]) 1. Cor. 7, 39. Cn. 1142.
[2]) Cn. 1118.
[3]) *S. Officium* 1. aug. 1759; 4. iul. 1855.
[4]) Cn. 1119.

a. Duplex ergo condicio requiritur, ut matrimonium ratum solvi possit: ut constet illud non fuisse actu coniugali consummatum; ut adsit gravis causa, quae solutionem exigat. Hanc causam publicam esse debere, antiquitus theologi contendebant, ex novo autem *Codice* et ex hodierna praxi ecclesiae dispensatio haec etiam ex gravi causa boni privati conceditur.

b. Olim inter doctores acris controversia agitabatur, num summo pontifici divinitus collata sit haec potestas; nunc vero de ea amplius dubitari nequit: α. Praeterquam enim quod novus *Codex* eam s. pontifici dissertis verbis tribuit, ecclesia saepius utitur hac potestate solvendi matrimonia rata fidelium; atqui non solum temerarium, verum etiam impium foret ecclesiae negare potestatem, qua ipsa utitur. β. Obligationes iuris divini, quarum exsistentia in particulari casu ab humana voluntate dependet, ecclesia [illegible] iusta causa per dispensationem solvere potest, ut de votis et iuramentis constat. γ. Vinculum professionis religiosae fortius est, quam vinculum coniugii, quia professio religiosa matrimonium ratum solvit; atqui professionem religiosam summus pontifex solvere potest; ergo a fortiori matrimonium ratum.

c. Frequentius recenti quam antiquo tempore summi pontifices utuntur hac potestate. Nunc ea utuntur praesertim in iis adiunctis, in quibus de nullitate matrimonii agitur quaestio, nullitas autem certo demonstrari nequit. In hoc enim casu vinculum, si quod exsistat, solvitur, et quidem, una parte ex iustis causis solutionem petente, etiam contra voluntatem alterius partis. Immo non desunt exempla dispensationis matrimonii validi, quae tum praesertim conceditur, cum una pars cum tertia persona iam iniit matrimonium civile[1]).

519. 2. Matrimonium *ratum et non consummatum fidelium* ipso iure solvitur *per professionem sollemnem* unius coniugis in religione (stricte tali) ab ecclesia approbata, quod de fide certum est: „Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, a. s.[2]).

a. Ut matrimonium hoc modo solvatur, requiritur: α. ut constet illud non fuisse actu coniugali consummatum; β. ut emittatur valida professio religiosa: vim enim solvendi matrimonium professio religiosa habet ratione voti sollemnis castitatis, quod in ea continetur, non tamen potestate divina, sed potestate ecclesiastica. Ecclesia enim verificatis

---

[1]) Cf. Acta s. sedis XXVIII. p. 400.

[2]) *Concilium trid.* sess. 24. can. 6. Cn. 1119, qui non solum de matrimonio inter baptizatos, sed etiam inter partem baptizatam et non baptizatam idem expresse affirmat.

hisce condicionibus ipso facto omnibus dispensationem concedit. Ergo matrimonium non solvit: votum simplex castitatis extra religionem emissum; nec votum simplex castitatis (professio simplex) in religione emissum; nec votum sollemne in subdiaconatu emissum.

b. Quamdiu matrimonium non est consummatum, coniux religionem ingredi potest. Notandum tamen, hodie coniugem durante matrimonio ad novitiatum valide admitti non posse absque rom. pontificis dispensatione (cn. 542, 1). Alter coniux in saeculo manens usque ad professionem exspectare debet, neque alias nuptias inire potest: etenim si ante alterius professionem novum matrimonium iniret, hoc invalidum esset, cum prius matrimonium per professionem demum solvatur. Matrimonio autem semel consummato neutra pars religionem ingredi potest, nisi altera pars consentiat vel perpetuae separationis causam dederit per adulterium.

c. Quia nunc etiam in ordinibus religiosis stricte dictis sollemnis professio emitti non potest, nisi triennio post simplicem professionem elapso, si una pars ante consummatum matrimonium religionem ingrediatur, pars in saeculo remanens elapso compartis novitiatu adire potest s. sedem ad solutionem matrimonii rati nondum consummati obtinendam, ne diutius exspectare debeat. Quod si unus coniugum congregationem religiosam ingrediatur atque in ea perseverare velit, non exstat aliud medium solvendi matrimonii nisi dispensatio summi pontificis, cum professio in congregatione emissa matrimonium non solvat.

Nota. Privilegium in antiquo iure coniugibus concessum, quo primo bimestri matrimonium consummare non tenebantur, ut de capessenda religione deliberare possent, in novo iure non amplius conceditur.

2. *De matrimonio consummato infidelium.*

Quomodo solvatur. Matrimonium *etiam consummatum infidelium* solvi potest *iure divino* in casu *privilegii paulini* seu in casu *apostoli*, ut dicunt[1]), et per *dispensationem summi pontificis.*

Hoc privilegium dicitur *paulinum*, quia a s. Paulo nobis promulgatum est; dicitur etiam privilegium *fidei*, quia in favorem fidei seu baptismi divinitus concessum est. In interpretandis *s. Pauli* verbis

[1]) „Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quae mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti (matrimonii in infidelitate contracti) subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus." 1. Cor. 7, 12 ... Cn. 1120.

eatenus dissentiunt theologi, quod alii affirment illis promulgari potestatem immediate divinam, alii vero putent ea exhibere potestatem solum mediate divinam, immediate vero apostolis et ecclesiae concessam. Verum praeferenda est prior sententia, cum *s. Officium* expresse declaret *hoc privilegium a Christo Domino in favorem fidei concessum et per apostolum Paulum promulgatum esse*[1]).

520. De privilegio paulino[2]). Privilegium paulinum est ius coniugi ex infidelitate converso et baptizato divinitus concessum in certis adiunctis aliud matrimonium ineundi, quo inito matrimonium in infidelitate contractum dissolvitur.

1. Matrimonium in infidelitate contractum et consummatum solvi posse, edicitur his verbis: *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Nempe ex voluntate Christi caveri debet, ne conversio ad fidem ei, qui convertitur, sit molesta et onerosa; atqui conversio parti fideli valde onerosa esset, si ipsi ad alias nuptias transire non liceret: nam aut innupta manere aut cum molestia vitae et fidei periculo cum coniuge infideli cohabitare deberet. Ideo voluit Christus, ut vinculum matrimonii in infidelitate contractum solvi posset.

Pars conversa vi privilegii paulini facultatem non habet ineundi novas nuptias, nisi *cum alia parte catholica.* Ideo si contraheret cum parte infideli, matrimonium invalidum esset propter impedimentum disparitatis cultus, et si contraheret cum parte haeretica vel schismatica, matrimonium validum quidem esset, sed illicitum propter impedimentum mixtae religionis. In priore casu pontifex dispensat, in posteriore autem non datur dispensatio[3]).

2. Matrimonium in infidelitate contractum non solvitur, quando suscipitur baptismus, nec quando pars infidelis declarat, se nolle cohabitare cum parte fideli, sed *quando pars fidelis aliud matrimonium init*[4]).

---

[1]) *S. Officium* 11. iul. 1886; Cf. Zeitschrift f. k. Th. XVI. (1892) S. 158 f.

[2]) Cf. *De Becker* p. 438 ss. *Wernz* IV. n. 701 ss. *Biederlack*, Über das sog. paulinische Privilegium (Zeitschr. f. k. Th. VII. [1883], S. 308 ff.).

[3]) Cf. *Génicot* II. n. 559, 5.

[4]) *S. Officium* 11. iul. 1866. Cn. 1126.

Si ergo pars fidelis novum matrimonium non contrahit, et postea etiam altera pars convertitur, non licet amplius uti privilegio paulino, quia cessante fine privilegii per conversionem partis infidelis, cessat ipsum privilegium; immo *per se* vitae consuetudinem instaurare tenentur, cum matrimonium inter ipsos adhuc exsistat.

521. *Quatuor condiciones* requiruntur, ut pars fidelis ad alias nuptias transire possit;

1. Ut matrimonium *in infidelitate contractum* sit; quocirca si coniux a fide deficiat per apostasiam, altera pars fidelis non potest novum matrimonium inire.

Uti possunt privilegio paulino duo coniuges a parentibus haereticis vel schismaticis nati, si constet eos ante matrimonium baptizatos non fuisse[1]). Eo autem uti non potest pars infidelis, quae cum parte fideli per dispensationem s. pontificis matrimonium contraxerat, si ipsa ad fidem convertatur[2]).

2. Ut una pars *per susceptum baptismum ad fidem convertatur:* privilegium enim concessum est in favorem eorum, qui ad fidem convertantur, ne scilicet ab amplectenda fide absterreantur.

Ideo catechumenus non potest uti hoc privilegio; quoniam autem conversio ad fidem per susceptionem baptismi fit, ideo hoc privilegio frui potest etiam infidelis, qui ad sectam haereticam convertitur, modo valide baptizetur[3]).

3. Ut pars infidelis *discedat;* discedere autem dicitur, ubi haec duo concurrunt: *a.* si infidelis nolit converti, *b.* nec pacifice cum parte fideli cohabitare.

a. Pacifice cohabitare non vult, si cohabitare omnino non vult aut solum *cum contumelia creatoris* i. e. ita, ut sive directe sive indirecte partem fidelem ad peccata gravia inducat: ut si fidelis propter cohabitationem cum parte infideli exponatur periculo amittendae fidei vel si infidelis Dei laudem et domesticorum conversionem prohibeat, si prolis educationem christianam non permittat, si concubinas dimittere renuat etc.

b. Si pars infidelis renuat quidem converti, at pacifice cum conversa habitare velit, haec non potest vi privilegii paulini ad alias nuptias transire: ait enim s. Paulus: *si discedit, discedat*; ergo solum sub con-

[1]) *S. Officium* 14. mart. 1901.

[2]) Cn. 1120, 2.

[3]) Cf. *Palmieri,* De matrim. christ. thes. 27. *Archiv* f. k. Kirchenrecht. XXXXVI. S. 402 ff. *Wernz* IV. n. 702.

dicione *discessus* novae nuptiae a s. Paulo permittuntur. Attamen ab infideli quoad torum et mensam se separare, immo per dispensationem summi pontificis etiam ad alias nuptias transire potest.

c. Hoc privilegium non solum valet, ubi pars infidelis ante vel paulo post susceptum baptismum compartis discedit, sed etiam ubi postea discedit, quando iam per plures annos cum parte fideli cohabitaverat et matrimonium consummaverat, modo pars fidelis post baptismum non *dederit ei iustam causam discedendi* e. g. per adulterium commissum[1]).

d. Pars fidelis non potest uti privilegio paulino, si non ipse coniux infidelis sed eius cognati partem fidelem non sinunt pacifice cum coniuge cohabitare.

4. Ut praecedat *interpellatio* coniugis infidelis, nisi ab ea obtenta fuerit dispensatio.

Nota. *De extensione privilegii paulini.* Summi Pontifices *Paulus III.*, *Pius V.* et *Gregorius XIII.* pro certis regionibus missionum concesserant, ut matrimonium in infidelitate contractum, si una pars ad fidem convertatur et baptismum suscipiat, in iis etiam adiunctis dissolveretur, in quibus privilegium paulinum applicari non potuit. Iam concessiones istae pro particularibus locis antea datae nunc extenduntur ad alias quoque regiones in iisdem adiunctis i. e. ad omnes regiones, in quibus eadem adiuncta recurrunt[2]).

Paulus III. constitutione *Altitudo* 1. iun. 1537 concessit, ut maritus fidelis, qui plures uxores habuit, eam retineat, quae cum ipso convertatur vel saltem sine contumelia creatoris cum ipso cohabitare velit, etsi non sit prima seu legitima.

Pius V. constitutione *Romani Pontificis* 2. aug. 1571 concessit, ut maritus fidelis ex suis uxoribus eam retineat, quae cum ipso convertatur, etsi non sit legitima.

Gregorius XIII. constitutione *Populi* 25. ian. 1585 non solum dispensationem ab interpellatione concessit, si haec fieri non posset, sed etiam matrimonium omissa interpellatione contractum declaravit validum, etsi pars infidelis non interpellata cohabitare voluisset, immo etsi ipsa interim ad fidem conversa sit.

---

[1]) *S. Officium* 5. aug. 1759; 11. iul. 1886. Cn. 1124.

[2]) Cn. 1125.

522. De interpellatione facienda.

1. Post susceptum baptismum, antequam novum matrimonium contrahitur, *interpellari* debet coniux infidelis: *a.* num velit et ipse converti ad fidem; *b.* num saltem pacifice cohabitare velit cum parte fideli[1]).

Interpellatio *in hunc finem praecipitur, ut certo* constet de *discessu* alterius partis.

2. Interpellatio semper fieri debet, nisi s. sedes aliud declaraverit[2]).

a. De discessu coniugis infidelis non solum ex interpellatione, sed in casibus particularibus sine interpellatione ex aliis factis constare potest (ut si vir infidelis uxorem conversam e domo eiiciat). Quodsi de voluntate discedendi partis infidelis aliunde iam constat, non est ideo omittenda interpellatio.

b. Sunt regiones, in quibus pars fidelis propter commune perversionis periculum et propter scandalum fidelium non permittitur cohabitare cum parte infideli. In genere permittitur cohabitatio in regionibus infidelibus et prohibetur in regionibus christianis; ubique autem prohibetur conversis cohabitatio cum iudaeis, nisi converti velint et ipsi. In regionibus, in quibus ad removendum perversionis periculum vel scandalum lege ecclesiastica cohabitatio cum infideli prohibetur parti fideli ad alias nuptias transire licet, si infidelis converti nolit, etsi cohabitare velit.

3. Interpellatio *necessaria est ad valorem novi matrimonii:* „Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium *valide* contrahat, debet partem non baptizatam interpellare."[3])

4. Interpellari debet *coniux* infidelis.

Si maritus ad fidem conversus plures uxores habuit, interpellanda est tantum legitima, quae est prima, nisi constet matrimonium cum prima fuisse invalidum. Quodsi una ex uxoribus ad fidem convertitur, maritus conversus ex dispensatione s. pontificis aliis dimissis hanc tamquam legitimam uxorem retinere potest, etsi non sit prima, quam duxerat, et quamvis prima cohabitare consentiat sine contumelia creatoris, nisi et ipsa converti voluerit[4]).

---

[1]) Cn. 1121, 1.

[2]) Cn. 1121, 2.

[3]) Cn. 1121, quo controversia antea agitata in eum sensum soluta est, quem *Gasparri* (II, n. 1090) iam antea defenderat.

[4]) *S. Officium* 28. mart. 1860. Cf. Constitut. Pii V. *Romani pontificis* 2. aug. 1571; *S. Officium* 22. nov. 1871; *Wernz* n. 703 ss.

5. Quod *formalitates* interpellationis attinet, ea fieri debet *a. post baptismum* coniugis fidelis, idque iure ecclesiastico;

b. Auctoritate ordinarii coniugis conversi in forma iudiciali, vel saltem summarie et extraiudicialiter;

c. interpellatio *privata* ab ipsa persona conversa semper valida, et si forma superius praescripta non sit possibilis, etiam licita est, dummodo de facta interpellatione constare possit aut per documentum authenticum aut per duos testes;

d. saltem *una;* plures interpellationes ad satisfaciendum praecepto non requiruntur.

Ordinarius coniugi infideli, si eas petierit, concedere potest etiam inducias ad deliberandum, attamen monendus est, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

6. A facienda interpellatione summus pontifex ex gravi causa *dispensationem concedit;* gravis causa tunc aderit, si moraliter constat coniugem infidelem interpellari non posse, aut interpellationem inutilem vel graviter periculosam futuram esse[1]).

Facta semel interpellatione pars fidelis novas nuptias inire potest, quando ei placuerit, etiam multo tempore post, quin opus sit nova interpellatione. At si obtenta fuerit dispensatio ab interpellatione, nova opus est dispensatione, si matrimonium ultra annum differatur[2]).

523. Nota. Sicut pars fidelis alias nuptias inire, ita etiam *religionem ingredi* vel *sacros ordines suscipere* potest. Num matrimonium in infidelitate contractum per professionem religiosam dissolvatur, sicut per aliud matrimonium solvitur, certo non constat; per susceptionem autem sacrorum ordinum matrimonium in infidelitate contractum non dissolvi certum est.

a. Sanchez quidem censet de dissolutione matrimonii per professionem religiosam dubitandum non esse: etsi enim neque in iure neque in divinis litteris professioni religiosae vis tribuatur solvendi matrimonii in infidelitate consummati, exstat tamen certa ratio vim illam professioni tribuendi, eo quod professio solvat matrimonium ratum fidelium, cuius vinculum matrimonio consummato infidelium firmius est. Verum cum de hac efficacia professionis religiosae neque

---

[1]) *S. Officium* 13. mart. 1901.

[2]) *S. C. de propag. fide* 26. iun. 1820.

ex divinis litteris neque ex iure canonico constet, res dubia manet, donec ecclesia eam definierit.

b. Si mulier infidelis convertalur, postquam maritus fidelis iam sacros ordines suscepit, atque ad alias nuptias transire eupiat, petenda est dispensatio, aut ut vir ad uxorem redire aut uxor novas nuptias inire possit[1]).

524. De dispensatione summi pontificis. Matrimonium in infidelitate contractum, etsi consummatum sit, per dispensationem summi pontificis solvi potest, si aut una aut utraque pars ad fidem convertitur. Matrimonium infidelium, quamdiu utraque pars in infidelitate manet, etsi nondum consummatum fuerit, a summo pontifice solvi non potest, quia infideles eius iurisdictioni non subiacent; cum primum vero saltem unus coniugum ad fidem convertitur, matrimonium ratione partis fidelis iurisdictioni summi pontificis subiicitur, qui pro potestate sua illud solvere potest, etsi in infidelitate consummatum fuerit, modo post utriusque conversionem consummatum non sit. Id ex eo constat, quod summus pontifex eiusmodi matrimonia saepius iam solvit.

Theologi de hac quastione hodie adhuc disputant. Qui potestatem hanc summi pontificis negant, acta s. sedis circa matrimonia infidelium dicunt authenticas declarationes iuris divini seu privilegii paulini[2]); qui vero hanc potestatem summo pontifici tribuunt, ex ipsis actis s. sedis potissimum argumentum eam asserendi desumunt[3]). Ipsa sancta sedes a dirimenda quaestione consulto abstinet et in suis decisionibus nunc eos loquendi modos adhibet, qui expresse non significant dissolutionem matrimonii in infidelitate contracti, sed solum dispensationem ab interpellatione[4]).

---

[1]) *Sanchez* I. 7. disp. 77. n. 9. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 472 ss. *Lehmkuhl* II. n. 709 (n. 932).

[2]) *Pontius, Schmalzgrueber, Benedictus XIV., De Angelis* etc.

[3]) *Sanchez, Pirhing, s. Alphonsus, D' Annibale, Ballerini-Palmieri, Gasparri, Feje, De Becker,* nec tacendi sunt duodecim theologi insignes societatis Iesu, inter quos numerantur *Bellarminus, Azor* et *Ledesma,* qui disputationem a se conscriptam de hac potestate a. 1589 summo pontifici obtulerunt. Cf. *Zitelli,* De dispens. matr. n. 183 ss.

[4]) Sicubi petita fuit *solutio matrimonii* in infidelitate contracti, quia interpellatio seu potius responsio ad interpellationem erat impos-

Potestas solvendi matrimonia consummata infidelium, quae summo pontifici tribuenda est, ita explicanda videtur, ut dicatur *ipsam potestatem*, qua in favorem fidei solvantur matrimonia, esse immediate divinam et iuris divini, summum pontificem vero pro sua potestate condiciones determinare posse, sub quibus eiusmodi matrimonia solvantur, sicut s. Paulus apostolica sua auctoritate determinavit, ut matrimonium solvi possit, si pars infidelis discedat[1]).

a. Ratio interna, ob quam s. pontifex matrimonium in infidelitate consummatum solvere possit, cum primum eius potestati subest desumenda est ex minore firmitate, quae matrimoniis infidelium convenit: matrimonium enim consummatum infidelium minus firmum est quam ratum fidelium, quia minus perfecte significat unionem indissolubilem Christi et ecclesiae; matrimonium autem ratum fidelium a summo pontifice solvi potest; ergo etiam matrimonium in infidelitate contractum et consummatum.

b. Ratio externa desumitur ex facto: etenim constans est praxis sanctae sedis permittendi infidelibus neoconversis aliud matrimonium etiam in iis adiunctis, in quibus privilegium paulinum applicari non potest, quia desunt requisitae condiciones, praesertim vero quia pars infidelis non *discedit;* atqui id permitti non posset, nisi prius matrimonium ex declaratione summi pontificis solvatur.

c. Summi pontifices expressis verbis hanc potestatem sibi tribuunt: „Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint"[2]).

---

sibilis, ut in casu, quo uxor infidelis inciderat in amentiam, s. sedes concessit *dispensationem ab interpellatione.* Cf. *S. Officium* 9. dec. 1803 Monitore eccl. 1904 p. 241.

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II. 709 (n. 932).

[2]) *Gregorius XIII.* constitutio *Populis ac nationibus* (25. ian. 1585); similia habet *Urbanus VIII.*

Quaestio tertia.

De sponsalibus.

Articulus primus.

De promissione matrimonii.

525. Praenotiones. 1. Etsi matrimonio non debeant necessario praemitti sponsalia, adeo ut illud tum valide tum licite sine sponsalibus contrahi possit; complures tamen exstant rationes, ob quas matrimonio sponsalia praemittantur.

Rationes, ob quas matrimonio praemitti soleant sponsalia, sunt: ut sponsi interim parent ea, quae necessaria sunt ad vitam coniugalem ducendam; ut alter indolem et mores alterius interim experiatur: licet enim iam ante sponsalia haec investigatio necessaria sit, ipsa tamen tempore sponsalium continuari potest et debet; et si inde constaret matrimonium infelicem exitum habiturum esse, haec praevisio sufficiens ratio esset recedendi a sponsalibus; ut crescat desiderium futuri matrimonii; ut interim matrimonium futurum denuntiari, atque ut exquiri possit, num aliquod impedimentum inter sponsos subsistat.

2. Novus Codex duplicem distinguit matrimonii promissionem: *unilateralem* (Eheversprechen) ab una parte factam et ab altera acceptatam, et *bilateralem* (Eheverlöbnis) ab utraque parte factam et acceptatam. Haec solet dici *sponsalia*[1]).

526. Promissio unilateralis. 1. Ex definitione patet, hanc matrimonii promissionem constituere contractum gratuitum, qui promittentem obligat in conscientia sive ex fidelitate sive ex iustitia standi promissis.

2. Ut haec promissio valida et licita sit, requiruntur sequentes condiciones: *a.* ut in promittente adsit voluntas se obligandi ad ineundum matrimonium; *b.* ut promissio ab altera parte acceptetur; *c.* ut promissio et acceptatio

[1]) Cn. 1017, 1.

scripto firmentur: hac enim forma non servata nulla nunc oritur obligatio ineundi matrimonii in conscientia[1]).

Ea, quae infra circa condiciones et effectus sponsalium dicuntur, etiam huc referenda sunt.

Articulus secundus.

De natura promissionis matrimonii.

527. De ipsa eius natura. 1. Quaevis promissio *obligationem* inducit; utrum gravem an levem, ex fidelitate an ex iustitia, pendet ab intentione promittentis. Qui ex iustitia se obligare intendit, sub gravi in re gravi promissionem implere tenetur. Promissio, quae cum quadam sollemnitate fit, e. g. in scriptis, coram testibus, cum iuramento, ex iustitia et in re magni momenti sub gravi obligare censetur[2]).

2. *Obiectum* contractus sponsalitii est matrimonium suo tempore ineundum, idque tum validum tum licitum; ad matrimonium enim invalidum vel illicitum nemo se obligare potest. Quae ergo matrimonium reddunt invalidum vel illicitum, reddunt sponsalia ex parte obiecti invalida.

Notandum est discrimen inter promissionem illicitam et promisionem rei illicitae: haec enim nunquam obligat, cum non possit dari obligatio praestandi rem illicitam; illa vero obligat, si res illicite promissa licite praestari potest. Hinc si quis voto castitatis obstrictus matrimonium promisit, invalida est promissio; at vero si quis insciis parentibus matrimonium promisit, illicite egit, promissio autem valida est.

528. Promissio bilateralis. Condiciones ad eius valorem requisitae sunt hae: debet esse *vera, deliberata, mutua, signo sensibili scripturae expressa,* inter *personas habiles* ad contrahendum.

1. *Vera,* i. e. interna et seria cum animo se obligandi et obligationem implendi, non externa et ficta tantum.

---

[1]) Cn. 1017, 1.

[2]) Cf. De praeceptis[12] n. 546 s.

Num teneatur stare promissis, qui ficte matrimonium promittit.

a. In *foro externo* promissio habetur vera et valida, nisi probetur ficta; in *foro interno* autem is, qui matrimonium promittit *cum animo se obligandi* quidem, sed non cum animo implendi promissionem, vera sponsalia facit, ideoque promissioni suae stare tenetur.

b. Qui verbis exterius quidem promittit, *at sine animo se obligandi*, vera sponsalia non facit, quare vi sponsalium non tenetur inire matrimonium, etsi fictae promissioni iuramentum addidisset; si tamen ex ficta promissione alteri parti ortum est damnum, ficte promittens hoc reparare tenetur; quodsi alio modo reparari non potest, ipse per se ex iustitia inire tenetur matrimonium promissum, non quidem vi contractus, qui nullus est, sed ad reparandum damnum iniuste illatum.

529. 2. *Deliberata,* i. e. cum plena cognitione obligationis, quae ex contractu sponsalium oritur, et cum perfecta voluntate se obligandi inita: gravem enim obligationem nemo sibi imponere censetur, nisi ex perfecta cognitione et pleno consensu.

a. Ad valide igitur contrahenda sponsalia per [redacted] sufficit *aetas septem aunorum,* ante septennium valide contrahi non possunt; ex novo enim Codice homo ante completum septennium censetur non sui compos, expleto autem septennio usum rationis habere praesumitur[1]).

b. Ordinarie valida sunt sponsalia, quae *in aestu passionis* e. g. ira vel vehementi amore impellente contrahuntur, quia hinc quidem aestus passionis raro aufert deliberationem, quae ad graviter peccandum atque ideo ad contrahenda sponsalia requiritur, inde vero quia sponsalia ex vehementi passione inita nullo iure declarantur invalida.

c. Libertati sponsalium sicut aliorum contractuum maxime obsunt *error et metus.* Error, qui contractum matrimonialem constituit invalidum, irritat etiam sponsalia[2]); de sponsalibus autem ex metu initis haec notanda sunt.

530. De sponsalibus ex metu iniusto initis. *a.* Si metus *gravis* est, sive absolute sive relative tantum, sponsalia quidem valida sunt tum iure naturae tum iure ecclesiastico, quod sponsalia ex metu gravi et iniusto inita non declarat invalida, modo constet consensum fuisse verum et internum; attamen rescindi possunt ex parte eius, qui metum passus est.

---

[1]) Cn. 88, 3.

[2]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 536.

b. Si metus *levis* est, sive absolute sive relative, sponsalia certe valida sunt, sed pari modo rescindi possunt ex parte eius, qui metum passus est, dummodo metus unica fuerit causa contractus.

Sunt quidem, qui doceant sponsalia gravi metu iniuste extorta utroque iure, naturali et positivo, invalida esse; verum praeferenda videtur sententia proposita. Et sane iure naturae omnis contractus, qui gravi metu iniuste incusso extortus est, validus censetur, matrimonio et professioné religiosa exceptis[1]); atqui nulla est ratio sponsalia ab aliis contractibus excipiendi, etsi matrimonium excipiatur.

531. 3. *Mutua:* sponsalia enim sunt contractus bilateralis, vi cuius contrahentes sibi mutuo obligantur. Quare non sufficit, ut una pars promittat et altera promissionem acceptet, sed requiritur, ut altera pars repromittat: solum enim si promissio acceptata per repromissionem confirmata est, habetur utriusque partis mutua obligatio.

a. Promittens ante repromissionem tenetur stare promissis, si absolute et gratuito promittere intendit, modo altera pars promissionem acceptaverit (promissio matrimonii unilateralis). Ordinarie vero, qui sponsalia contrahere intendit, ante repromissionem ad nihil obligatur: verba enim contrahentium intelligenda sunt secundum naturam contractus; sed sponsalia (promissio matrimonii bilateralis) natura sua sunt contractus mutuus, qui non continet sponsionem simplicem, sed condicionatam: *promitto, si tu quoque promittis.* Inde ortum est adagium inter canonistas usitatum: *sponsalia non claudicant* i. e. aut in utroque sponso aut in neutro pariunt obligationem.

b. Frequenter in acceptatione promissionis *virtualiter* continetur repromissio; sic mulier honesta, quae post acceptationem sponsalium in fornicationem consentit, vel quae promissionem acceptat, postquam de sponsalibus hic et nunc contrahendis actum est, virtualiter repromittere censetur[2]).

4. *Signo sensibili (scripturae) expressa:* neque enim de acceptatione promissionis nec de repromissione constare potest, nisi ex utraque parte adhibeantur signa externa. Ex iure naturae quidem requiruntur et sufficiunt illa signa, quae vel [redacted] se vel ex usu vel ex adiunctis significant pro-

[1]) Cf. *De praeceptis*[12] n. 537, ubi huius affirmationis ratio exponitur.

[2]) *Ballerini-Palmieri* VI. n. 22.

imssionem matrimonii determinatae personae factam: verba, nutus, literae, traditio annuli, porrectio manus, etc.; ex iure positivo autem recenti omnino requiritur *scriptura*[1]).

532. 5. *Inter personas habiles. Habiles* ad contrahenda sponsalia dicuntur, qui aliquando valide et licite matrimonium inire possunt; qui ergo aetatem debitam habent et nullo impedimento nec dirimente neque impediente prohibentur; qui vero matrimonium validum et licitum inter se inire nequeunt, ad contrahenda sponsalia inhabiles sunt, quia eorum sponsalia, utpote de re impossibili vel illicita, invalida sunt.

Ad contrahenda sponsalia necesse non est, ut contrahentes inter se inire possint matrimonium eo tempore, quo contrahunt sponsalia, sed sufficit, ut illud *aliquando* inire possint, eo scilicet tempore, pro quo promissio matrimonii facta est. Ergo inhabiles sunt:

a. Amentes (furiosi), qui ita mente capti sunt, ut peccati gravis non sint capaces, nisi habeant lucida intervalla.

b. Ebrii, qui usu rationis carent; quin etiam semiebrii, sicut et semifatui et semidormietes inhabiles sunt.

c. Surdi et muti et caeci simul inde a nativitate ordinarie inhabiles sunt. Utrum absolute inhabiles sint necne, iam pridem auctores *(Sanchez, Schmalzgrueber, Pirhing)* disputarunt. Absoluta inhabilitas magis adhuc nostra aetate negari potest, cum nunc praesto sint media hos quoque homines instituendi. *Surdi* autem vel *muti*, quin etiam surdi et muti ad contrahenda sponsalia inhabiles non sunt.

d. Infantes atque impuberes, qui necessariam rei cognitionem nondum habent, ex rei natura.

e. Qui impedimento dirimente vel impediente laborant, de qua re infra (n. 516.).

533. Forma sponsalium[2]): 1. Valida sponsalia, quae scripto fieri debent (cum appositione diei, mensis et anni[3]), duplici modo contrahi possunt: *a.* coram parocho (ordinario) per scripturam subsignatam a parocho et sponsis; *b.* coram

[1]) S. C. C. 2. aug. 1907. *Ne temere.* Cn. 1017.

[2]) Cn. 1017.

[3]) S. C. C. 27. iul. 1908. Appositio diei, mensis et anni, quae hoc decreto ad valorem necessaria erat, in novo *Codice* non exigitur ideo nunc consulenda, at non amplius necessaria est.

duobus testibus per scripturam subsignatam a testibus et sponsis. Nomine parochi venit etiam quasi parochus et vicarius parochialis.

Ratio novam formam in contrahendis sponsalibus statuendi sunt mala et pericula, quae [illegible] privatis sponsalibus saepe orta sunt, scilicet liberior et peccaminosa conversatio inter sponsos intuitu futuri matrimonii, sponsalia temere inita, dubia de sponsalibus vere initis, fraudes, quibus praesertim puellae incautae sub promissione matrimonii decipiuntur, lites atque inimicitiae propter sponsalia rescissa inter sponsos eorumque familias ortae.

a. Quilibet parochus (ordinarius), etsi non sit proprius sponsorum vel alterutrius eorum, sponsalibus interesse et scripturam tamquam testis qualificatus subsignare potest, dummodo id fiat in proprio ipsius territorio[1]). Sed omnino consulendum est, ut coram proprio parocho fiant. Quodsi sponsi in diversis parochiis habitant, praestat, ut sponsalia coram parocho contrahantur, qui necessaria documenta et proclamationes curaturus est.

b. Parochus non potest alium sacerdotem sibi substituere; si ergo sponsalibus tamquam testis interest sacerdos, qui non est parochus, simul alius testis subscribere debet[2]).

c. Testes esse possunt omnes (viri, mulieres, acatholici), qui de sponsalibus initis rite testari et scripturam subsignare possunt. Necesse est ergo, ut testes scribere sciant.

d. Si utraque vel alterutra pars *scibere nesciat* (vel sciat quidem sed nunc non possit), id in ipsa scriptura adnotari et alius testis addi debet, qui praeter parochum aut loci ordinarium aut duos testes scripturam subsignet.

Num invalida sint sponsalia, si non addatur alius testis, qui scripturam subsignet, in casu, quo uterque vel alteruter sponsorum literas nesciat, non constat.

e. Si matrimonio obstat impedimentum, sponsalia obtenta demum dispensatione contrahenda sunt, quia de valore sponsalium, quae ab iis contrahuntur, qui impedimento dirimente irretiti sunt, diversae exsistunt auctorum sententiae.

f. Ut valida sint sponsalia, sponsi simul *praesentes* [illegible] et scripturam simul cum parocho vel duobus testibus subsignare debent. Nec potest scriptura ab una parte et parocho vel testibus subsignata mitti ad alteram partem, ut ipsa vicissim cum parocho suo vel testibus subscribat. Si ergo sponsi morantur in diversis locis nec simul coram parocho vel testibus comparere possunt, sponsalia per procuratorem iniri debent.

---

[1]) S. C. C. 28. mart. 1908.
[2]) S. C. C. 28. mart. 1908.

2. Ad hanc formam servandam tenentur omnes catholici, tum si inter se tum si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis sponsalia contrahunt, nisi pro particulari loco vel regione aliter a s. sede statutum sit.

a. Num acatholici vi Codicis ad hanc formam servandam teneantur, inter auctores non constat. Qui affirmant, dicunt: acatholici baptizati, qui in decreto *Ne temere* a servanda hac forma excipiuntur, a novo *Codice* non amplius excipiuntur, adeo ut sponsalia, quae fiunt ab haereticis vel schismaticis inter se, non servata forma, stricto iure sint invalida.

b. In *Hispania*, in universa *America latina* (et insulis *Philippinis*) non valebant sponsalia, neque in foro externo neque interno, nisi publica scriptura coram *notario* (non coram parocho) confecta fuissent[1]). Quod tamen ius speciale per decretum *Ne temere* abrogatum est[2]).

3. *Promissio matrimonii occulta*, sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, ex novo *Codice* pro utroque iure invalida est[3]), quae proinde nec effectus morales fidelitatis, aequitatis) nec effectus iuridicos (fidei sponsalitiae) producit.

Nota. Quis nomine *parochi* in hac re intelligatur, item quinam *catholici* censeantur, infra, ubi de clandestinitate sermo est, dicetur.

534. **Sponsalia dividuntur:** *a.* In *sollemnia*, quae fiunt cum interventione auctoritatis publicae (parochi, ordinarii); *privata*, quae fiunt sine interventione auctoritatis publicae coram testibus privatis.

b. Publica, quae ita manifeste fiunt (per scripturam coram ordinario, parocho, testibus), ut de iis in foro externo constare possit; *occulta* seu clandestina, quae secreto fiunt, ita ut in foro externo probari non possint.

Ex *antiquo iure* sponsalia sive publica sive clandestina aeque valida erant, quia duorum consensus ad valida sponsalia sufficiebat; nunc vero ecclesia sponsalia clandestina seu occulta generali lege irrita declarat.

c. In *simplicia et poenalia*, in quibus poena adiecta est, si alterutra pars sine legitima causa a sponsalibus recedit.

---

[1]) S. C. C. 10. apr. 1891; *S. C. pro neg. eccl. extraord.* 5. nov. 1901.
[2]) S. C. C. 12. mart. 1910.
[3]) Cn. 1017, 1.

d. In *absoluta et condicionata* prout sub aliqua condicione aut sine illa ineuntur.

In sponsalibus non solum condicio *suspensiva*, sed etiam *resolutoria* licite apponi potest; in celebratione matrimonii autem, quamvis ex gravi causa et accedente licentia episcopi apponi possit condicio suspensiva, resolutoria tamen apponi nequit, nisi sit condicio resolutoria, quae contractui matrimoniali ex dispositione iuris inest (nisi s. pontifex dispensaverit, nisi religionem elegero), quia contractus matrimonialis natura sua irresolubilis est.

535. Nota. *a.* A poena sponsalibus adiecta distingui debet *arrha* (Angeld), quae est omne id, quod sponsi mutuo sibi tradunt in *signum* sponsalium initorum et in *pignus* matrimonii contrahendi. Qui a sponsalibus recedit, amittit ea, quae dedit, et accepta reddere debet, matrimonio vero contracto sponsi recuperant arrham, quam dederant. Arrhae non sunt illicitae.

b. Ab arrhis iterum distinguenda sunt *dona* seu munera, quae praesertim a sponso tradi solent sponsae. Eiusmodi munera, si pro condicione sponsorum exigui sunt valoris, censentur absolute donata, et proinde non sunt restituenda, si matrimonium non sequatur. Quodsi magni sint valoris, donata censentur intuitu futuri matrimonii, et proinde restituenda sunt, si matrimonium non sequatur. Attamen iuxta probabilem sententiam retineri possunt, si ex culpa sponsi solvantur sponsalia.

536. De sponsalibus per procuratorem initis. Sponsalia sub certis condicionibus tum valide tum licite per procuratorem iniri possunt: matrimonium enim ceterique contractus per procuratorem iniri possunt; ergo etiam sponsalia.

Condiciones autem requisitae sunt: *a.* ut procurator habeat speciale mandatum contrahendi sponsalia cum determinata persona; *b.* ut mandatum exsequatur ipse per se et non per alium, nisi habeat potestatem alium sibi substituendi; *c.* ut mandatum non sit revocatum, etsi nec procuratori nec alteri parti, quacum contrahit sponsalia, revocatio innotuit[1]). Mandatum non indiget condicionibus, quae ex cn. 1089 pro mandato ad matrimonium requiruntur.

---

[1]) Nihil impedit, quominus procuratorem agat femina; siquidem necesse non est, ut is, qui procuratorem agit, ipse sit capax illius iuris, quod mandanti acquiritur. Hinc fieri potest, ut duo viri vel duae feminae officio procuratorum fungentes sponsalia contrahant pro sponsis absentibus. Cf. *Sanchez* l. 2. disp. 11. n. 15.

537. De sponsalibus invitis parentibus initis. *a.* Sponsalia sine consensu parentum inita *per se* valida sunt, ubi nempe ipsum matrimonium non est illicitum: consensus enim parentum neque iure naturae nec lege positiva ad valida sponsalia requiritur. Quamvis enim personae minores in exercitio suorum iurium potestati parentum subsint[1]), quoad matrimonium tamen sui iuris sunt et matrimonii promissiones facere possunt. Etsi ergo sponsalia insciis et invitis parentibus inita per se valida sint, parentum tamen consilium filii petere tenentur[2]).

b. Per accidens autem fieri potest, ut non quidem matrimonium sed sponsalia, quae invitis parentibus fiant, invalida sint. Scilicet si parentes iustam rationem habent dissentiendi, sponsalia sunt invalida, non propter dissensum parentum, sed quia matrimonium in hoc casu illicitum est; ad rem illicitam autem nulla est obligatio. Hinc si parentes sine iusta ratione dissentiunt, sponsalia non solum valida, sed etiam licita sunt, modo eorum consilium debite exquisitum fuerit.

Omnes consentiunt parentes iuste dissentire, si matrimonium cedit *in dedecus familiae* vel si ex eo *gravia scandala vel dissensiones* oritura praevidentur: filii enim dedecus familiae ex iustitia, et scandala atque dissensiones ex caritate praecavere tenentur; unde eorum matrimonium in hoc casu illicitum esset. Utrum iuste dissentiant parentes *propter notabilem disparitatem condicionis* utriusque sponsi, sive ex nobilitate sive ex divitiis ea oritur, an vero sponsi in hoc casu teneantur stare promissis, non aeque consentiunt auctores. Notandum est quaestionem supponere, sponsos tempore sponsalium disparitatis inter ipsos exsistentis sibi conscios fuisse: etenim si eam ignorassent, sponsalia aut invalida aut saltem rescindibilia essent. Itaque *a.* si matrimonium propter disparitatem condicionis utriusque sponsi affert aut dedecus familiae aut scandala sive odia et dissensiones propinquorum, sponsalia propter hos effectus futuri matrimonii invalida sunt. Quodsi *b.* nihil horum ex futuro matrimonio timendum est, sponsalia censeri debent valida; et [illegible] illicitum non est, ut nobilis cum plebeia, dives cum paupere matrimonium ineat.

---

[1]) Cn. 89.
[2]) Cn. 1034.

538. De sponsalibus inter eos initis, qui aliquo impedimento sive dirimente sive impediente laborant. 1. Sponsalia inter personas impedimento indispensabili laborantes invalida sunt: cum enim matrimonium propter impedimentum nunquam valide iniri possit, spondentes se obligant ad rem illicitam et impossibilem; ad rem autem illicitam vel impossibilem nulla est obligatio.

Indispensabile dicitur impedimentum, in quo ecclesia dispensare aut non potest, aut nunquam solet, aut dispensare quidem solet, sed in particulari casu desunt causae, quae ad obtinendam dispensationem sufficiant.

2. Idem dicendum est de sponsalibus *absolute* initis inter personas impedimento dispensabili laborantes: quamdiu enim impedimentum exsistit, licite contrahere non possunt; ergo neque ad contrahendum absolute se obligare possunt.

Ceterum si duo, qui impedimento dispensabili obstricti sunt, sponsalia ineunt, condicio de dispensatione petenda (si papa dispensaverit) semper tacite intelligitur apposita[1]).

3. Sponsalia *condicionate* inita:

a. Certe valida sunt, si impedimentum aut ex se aut ex contrahentium voluntate cesset, et sponsalia sub condicione expressa vel tacita fiant celebrandi matrimonium, quando impedimentum cessaverit.

Hinc valide et licite contrahit sponsalia cessante voto implenda, qui temporaneo voto castitatis obstrictus est. — Valide et licite pars catholica cum parte acatholica contrahit sponsalia post conversionem partis acatholicae implenda. Vi horum sponsalium pars acatholica tenetur ad conversionem, quam cum matrimonio implicite promisit.

b. Si impedimentum solum per dispensationem cessat, et sponsalia fiunt sub condicione expressa vel tacita: *si papa (episcopus) dispensaverit,* ipsa ex rei natura pariter valida sunt: etenim sunt contractus initus sub condicione possibili et honesta, qui verificata condicione ex se validus fit[2]).

---

[1]) *S. Alphonsus* l. 3. n. 650 cum *Lugo* ibi citato.

[1]) Cf. *Schmalzgrueber.* Inter recentiores hanc sententiam tuentur *Ballerini-Palmieri* (VI. n. 57), *Gasparri, De Angelis, Rossett* etc.

Et haec quidem ex rei natura. Sunt *(Feje, De Becker, Aichner)*, qui eiusmodi sponsalia simpliciter invalida dicant, tum quia inhabiles ad matrimonium ineundum etiam inhabiles censentur ad sponsalia sive absolute sive condicionate contrahenda, tum quia variae decisiones congregationum romanarum ea invalida declarant. Verum argumentis *ex rei natura* desumptis sententia de valore horum sponsalium efficaciter impugnari nequit. Quod *decreta romanarum congregationum* attinet, imprimis concedi debet, ecclesiam iure positivo statuere posse, personas impedimento, etsi dispensabili, laborantes ad valide sponsalia contrahenda inhabiles esse vel saltem dispensationem ab impedimento, de quo agitur, ea solum condicione concedi, ut sponsi obtenta dispensatione renovent consensum. Quamvis hucusque neutrum generali decreto statutum sit, exstant tamen complura decreta particularia, ex quibus colligi posse videtur, s. sedem haec sponsalia considerare tamquam invalida eandemque a sponsis exigere, ut obtenta dispensatione ponatur novus consensus[1]).

Sponsalia inita *cum persona acatholica*, si fiant sub condicione obtinendae dispensationis, hac obtenta et acceptata valida sunt, saltem post renovatum consensum; at parti catholicae matrimonio nondum inito manet facultas recedendi a sponsalibus, nisi matrimonium sit medium necessarium reparandi iniuriam. Cum enim matrimonium mixtum raro sit plane licitum, et ecclesia illud semper dissuadeat, adest ratio sufficiens sponsalia dissolvendi.

Articulus tertius.

De effectibus sponsalium.

539. Quatuor sunt effectus sponsalium: 1. *Obligatio iustitiae* eaque *gravis* ad matrimonium postea contrahendum.

a. Oritur *obligatio*, quia sponsalia sunt contractus, omnis autem contractus veram obligationem parit. *Iustitiae*, quia sponsalia sunt contractus onerosus; omnis autem contractus onerosus obligationem iustitiae parit. *Gravis*, quia obiectum contractus est res gravis scilicet matrimonium. Ad *matrimonium* aut, si iniuste a sponsalibus receditur, saltem ad reparandum damnum, quod ex solutione iniusta ortum est. *Postea* i. e. tempore determinato, si quod in contractu sponsalium praefinitum est, aut si nullum definitum fuit, quando una pars matrimonium rationabiliter postulat. Quare matrimonium ultra id tempus sine iusta causa notabiliter differre peccatum grave est.

---

[1]) Cf. *Wernz* IV. n. 95 s.

b. Obligationi utriusque sponsi contrahendi cum altero matrimonium in utroque respondet ius exigendi ab altero [illegible] tempore matrimonium. Ideo non licet iuveni, qui sponsalia contraxerat cum puella, hanc citra iniuriam derelinquere, ut aliam ducat in uxorem, etsi eam abundanter dotare velit: nam sponsa ipsum matrimonium iure suo exigere potest.

c. Sponsalia, eo quod obligant ad matrimonium postea contrahendum, obligant etiam ad omittenda omnia, quae futurum matrimonium impedire vel difficilius et gravius reddere possunt, et proinde ad omittenda ea, quae parti innocenti causam praebent rescindendi sponsalia, praesertim vero commercium carnale cum tertia persona[1]).

2. *Invaliditas sponsalium*, quae cum alia persona contra fidem priorum contrahuntur: quod enim vi promissionis uni iam debetur, non potest alteri promitti.

Hinc si iuvenis cum duabus feminis sponsalia contraxit et cum secunda peccavit:

a. Tenetur ducere primam, nisi haec iure suo sponte cedat: prima enim sponsalia vim [illegible] non amittunt, etsi postmodum alia contraxerit. Quocirca primae sponsae suaderi potest, ut iuri suo sponte renuntiet, ad id autem non tenetur, etsi ipsa nullum vel leve tantum, secunda vero magnum detrimentum pateretur[2]).

b. Si prima iure suo sponte cedit, iuvenis secundam ducere tenetur, non quidem vi promissionis, quae nulla fuit, sed ad reparanda damna secundae illata, ubi haec ob spem futuri matrimonii in copulam consensit et [illegible] ea gravida evasit.

c. Quodsi secunda, quando copulam cum [illegible] habuit, sponsalia cum prima iam inita cognovit, iuvenis aliam obligationem erga secundam non habet, nisi ut pro educatione prolis forte susceptae solvat, quia scienti et volenti [illegible] fit iniuria.

3. *Illiceitas matrimonii* cum tertia persona, nisi sponsalia iam contracta rite fuerint soluta. Etsi enim sponsalia non amplius constituant impedimentum matrimonii impediens, manet tamen moralis obligatio non contrahendi contra fidem datam.

4. Ex sponsalibus, licet valida sint nec iusta causa ab ea non implenda excuset, non datur actio ad petendam ma-

---

[1]) Quale peccatum sit copula carnalis sponsorum [illegible] tertia persona, dicitur in fasciculo *De sexto praecepto*[14] n. 20, 2.

[2]) *S. Alphonsus* n. 540.

trimonii celebrationem, sed solum ad reparationem damnorum, quae ex fide facta alteri parti huiusve parentibus evenerunt[1]).

a. Actio reparationis damnorum mixti fori est, adeo ut ecclesia et potestas civilis aeque competentes sint, at matrimonii celebrationem non suspendunt. Commissio Cod. interpr. 2—3 iun. 1918.

b. Hac iuris dispositione lex ecclesiastica circa effectus sponsalium conformatur legi civili *Austriae* (§ 45 s.) et *Germaniae* (§ 1298 s.), quae solum ad reparanda damna actionem iudicialem admittunt.

c. Hucusque sponsalia duplicem alium effectum afferebant: *impedimentum impediens* matrimonium et impedimentum *dirimens publicae honestatis*. Nunc ergo si quis matrimonium proclamatum eo impedire tentat, quod ab alterutro sponsorum sibi promissum fuerit matrimonium, nihil efficit.

d. Episcopus, etsi iudex in hac re competens, non potest, ut antea, eum, qui valida sponsalia implere recusat nec causam ab eis resiliendi habet, ad datam fidem servandam compellere.

540. Ad quid obligent sponsalia sub condicione inita. *a.* Sponsalia inita *sub condicione possibili et honesta* (e. g. si hoc munus accepero) obligant sub gravi ex iustitia ad exspectandum condicionis eventum; impleta autem condicione absque alio consensu transeunt in absoluta et ceterorum sponsalium obligationes pariunt, dummodo neutra pars consensum interim revocaverit.

Invalida sunt sponsalia, quae ante condicionis eventum cum tertia persona contrahuntur, quia sunt contra ius alterius partis.

Num impleta condicione sponsalia fiant valida, si alteruter ante impletam condicionem *illicite consensum revocaverit*, alii *(Lugo, Wernz, Lehmkuhl) affirmant*, quia illicita revocatio consensus etiam invalida est; alii *(Sanchez, Gasparri, D'Annibale) negant* revocationem validam iudicantes.

b. Sponsalia inita *sub condicione impossibili* sunt invalida, nisi probetur condicionem ioco appositam et sponsalia serio inita fuisse.

c. Sponsalia inita *sub condicione turpi* ante impletam condicionem invalida sunt, ideo non obligant ad exspectandum condicionis eventum; impleta autem condicione transeunt in absoluta et pariunt obligationem ineundi matrimonium, nisi condicio adversetur substantiae matrimonii.

Cum sponsalia sub condicione inita: *si papa dispensaverit* ex supra dictis non sint certo valida sponsalia, non tenetur ad ineundum matrimonium, qui post obtentam dispensationem matrimonium inire recuset.

[1]) Cn. 1017, 3.

Articulus quartus.

De dissolutione sponsalium.

541. Quomodo solvi possint. Sponsalia sunt contractus suapte natura dissolubilis, quippe cuius perpetuitatem nec lex divina ut in matrimonio, nec lex humana ut in professione religiosa exigat. Duplici autem modo sponsalia dissolvi possunt, aut *ipso iure* ex utraque parte aut per *voluntatem unius partis,* cui iusta praebetur causa resiliendi. Iam indicandae sunt causae, quae ipso iure ex utraque parte sponsalia solvunt, et causae, quae unam partem ab implenda promissione excusant seu facultatem ei concedunt sponsalia rescindendi.

Cum valida sponsalia nunc vim suam solum coram Deo et in conscientia exserant, nullum autem ius actionis conferant ad urgendam matrimonii celebrationem, ea, quae hic sequuntur, solum pastoribus et confessariis proderunt. Patebit autem tam varias esse causas, quae ab implenda promissione excusent, ut pastor animarum raro obligationem contrahendi matrimonium urgere possit, si alterutra pars a sponsalibus recedere voluerit.

§ 1. Causae, ob quas sponsalia ipso iure solvuntur.

Exsistente causa, quae sponsalia ipso iure ex utraque parte solvit, utrique parti conceditur libertas aliud matrimonium ineundi. Eiusmodi causae tres numerantur: *mutuus consensus, impedimentum superveniens, electio status perfectioris.*

542. Mutuus consensus, quo sponsi obligationem sponsalium sibi remittere possunt, etsi iuramento fuissent firmata: omnis enim contractus mutuo consensu solvi potest, sicut mutuo consensu ortus est, nisi ius eius resolutioni resistat; atqui solutioni contractus sponsalitii ius non resistit.

a. Hoc valet etiam in casu, quo sponsi post sponsalia copulam carnalem habuerint: per copulam enim ipsa sponsalia maiorem firmitatem non acquirunt. Aliae tamen obligationes implendae sunt, si sponsa facta sit gravida.

b. Qui iuramentum sponsalibus addit, erga Deum se obligat ad matrimonium promissum contrahendum; Deus autem obligationem acceptat in gratiam eius, cui matrimonium promissum est; si ergo iste obligationem remittit, [illegible] etiam Deus remittere censetur; hinc mutuo consensu solvuntur etiam sponsalia iuramento firmata. Ideo iuramentum, quod sponsalibus additur, hac tacita condicione fit: *nisi ab altera parte remittatur.*

543. Impedimentum superveniens, quo matrimonium promissum redditur impossibile: quod enim sponsos prorsus inhabiles reddit ad ineundum matrimonium promissum, penitus aufert obligationem sponsalium. Impedimenta supervenientia esse possunt:

a. Impedimenta indispensabilia sive iuris naturae (ut amentia, impotentia) sive iuris ecclesiastici, in quibus dispensari non solet.

Impedimenta supervenientia, in quibus dispensari non potest sunt, praeter amentiam unius partis et impotentiam, matrimonium valide initum, votum sollemne, ordo sacer. Duo impedimenta supervenientia, in quibus dispensari poterat et de quibus auctores hoc loco agebant, scil. cognatio spiritualis et affinitas ex copula illicita, post dispositiones novi Codicis non amplius supervenire possunt.

b. Professio religiosa (sive sollemnis sive simplex) et *susceptio ordinis sacri:* qui enim professionem emittit vel ordinem sacrum suscipit, ad contrahendum redditur inhabilis, cum professio religiosa et ordo sacer constituant impedimentum perpetuo dirimens matrimonium. Quoad professionem religiosam sollemnem accedit alia ratio: si enim ex dispositione iuris per professionem solvuntur sponsalia de presenti, a fortiori solvuntur sponsalia de futuro, ita ut nou amplius reviviscant.

c. Matrimonium cum alia persona contractum, quod tamen non certo sed probabiliter tantum sponsalia dissolvit.

Omnes concedunt alteram sponsorum partem habere ius statim aliud ineundi matrimonium; quaestio autem, utrum obligatio sponsalium per subsequens matrimonium cum alia persona initum penitus exstinguatur, an solum durante matrimonio suspendatur, adeo ut soluto

matrimonio iterum reviviscat, controversa est. Qui docent sponsalia omnino solvi, hanc rationem afferunt: obligatio firmior matrimonii extinguit obligationem minus firmam sponsalium. Insuper qui matrimonium contrahit, per se inhabilis redditur ad ineundum matrimonium promissum, cum suscipiat statum *se* perpetuum, qui matrimonio promisso repugnat. Quodsi matrimonium morte compartis dissolvatur, id fit *per accidens* nec rei naturam mutat. Qui vero cum *s. Alphonso* (n. 875) docent sponsalia solum suspendi, argumentantur in hunc modum: qui contrahit matrimonium, redditur absolute inhabilis, cum matrimonium contractum non repugnet matrimonio promisso pro tempore, quo prius matrimonium per obitum alterius partis solutum fuerit. Insuper qui edito voto castitatis matrimonium contraxit, tenetur soluto matrimonio votum implere; ergo etiam qui initis sponsalibus matrimonium contraxit, tenetur soluto matrimonio sponsalia implere, si altera pars velit. Tandem nemini fraus patrocinari debet. — Cum utraque sententia vere probabilis sit, merito scribit *Ballerini*: confessarius viduam cogere non potest ad pristinam illam promissionem implendam[1]).

544. Electio status perfectioris. 1. Sponsalia enim semper fiunt cum hac tacita condicione: *nisi perfectiorem statum elegero*[2]); ergo uterque sponsus sibi reservat ius libere et licite transeundi ad statum perfectiorem relicto statu matrimoniali.

Sunt quidem, qui hanc vim solvendi sponsalia tribuant electioni cuiusvis status perfectioris, sed solum *electioni status religiosi* seu voluntati et voto profitendi religionem: hi enim dicunt, illicitam esse electionem alterius status et proinde invalidum votum assumendi statum perfectiorem, quia Deus non acceptat, quod alteri iam promissum est. Verum cum eadem ratio pro *omni statu perfectiore* militet, ad omnes aeque extendenda est. Ratio autem est tacita condicio, sub qua sponsalia fiunt. Solvuntur enim sponsalia propter notabilem mutationem supervenientem, qua scilicet praevisa sponsalia non fuissent inita; sed eiusmodi mutatio est vocatio ad statum perfectiorem et voluntas eum assumendi[3]).

2. Status eiusmodi perfectior est: *a. Status virginitatis*, quem eligit, qui emittit votum castitatis perpetuae.

In *foro externo* quidem sponsalia propter votum privatum castitatis perpetuae non iudicantur soluta, in *foro interno* autem hoc votum

---

[1]) *Gury-Ballerini* II. n. 733.
[2]) *S. Alphonsus* n. 870 ss.
[3]) Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 185.

emittentem ab obligatione sponsalium reddit liberum, dummodo seria et sincera voluntate emissum sit.

b. Status clericalis in ordine sacro, quem eligit, tum qui facit votum suscipiendi ordines sacros, tum qui suscipit minores vel ingreditur seminarium clericale cum vera et sincera voluntate suscipiendi ordines sacros.

c. Status regularis in ordine vel congregatione cum votis perpetuis, quem eligit, tum qui facit votum ingrediendi religionem, tum qui religionem ingreditur cum vera et seria voluntate in ea emittendi professionem.

Auctores disputant, utrum electione status perfectioris sponsalia ex utraque parte solvantur, an alteri parti solum ius resiliendi a sponsalibus detur, si ipsa velit. Iuxta primam sententiam sponsalia (in foro interno) solvuntur per ipsum actum voluntatis, quo unus sponsorum sincere servitio divino in statu perfectiore se dedicat; iuxta sententiam secundam per voluntatem eligendi statum perfectiorem altera pars fit libera, quia eligens statum perfectiorem iure suo cedit; ipse vero liber evadit suscepto demum statu perfectiore i. e. suscepto ordine sacro vel emissa professione religiosa.

Cum sententia affirmans solutionem sponsalium ex utraque parte vere probabilis sit, confessario non competit ius cogendi eum ad implenda sponsalia, qui conceptam voluntatem amplectendi statum perfectiorem non exsequitur, sed e. g. post aliquod tempus e novitiatu vel e seminario egreditur. Supponitur tamen ipsum sincere ex vero amore status perfectioris agisse: etenim si dolose animum vitae perfectioris solum affectasset, ab obligatione sponsalium certe non liberatur[1]).

§ 2. Causae, ob quas sponsalia rescindere licet.

Exsistente causa, quae uni parti facultatem concedit rescindendi sponsalia, haec pars pro lubitu sponsalia solvere potest; quodsi ipsa a sponsalibus recedere nolit, alteri parti, quae ansam solvendi dederat, recedere non licet, nisi forte matrimonium ei notabiliter gravius exsistat. Eiusmodi causae tres numerari possunt: *a.* fractio fidei sponsalitiae; *b.* status rerum a cognito diversus; *c.* mutatio notabilis.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 174 ss. *Gasparri* I. n. 92 s. *De Becker* p. 14 *Wernz* IV. n. 113.

545. Violatio fidei sponsalitiae: nam fidem frangenti fides servanda non est; actiones autem, per quas fides sponsalitia violari censetur, sunt potissimum sequentes:

a. Nimis differre matrimonium contrahendum. Vel enim sponsalibus praefixus est terminus matrimonii contrahendi vel nullus praefixus est. Si primum, vel terminus praefixus est ad finiendam obligationem, quo in casu elapso termino sponsalia ipso iure ex utraque parte soluta sunt, vel terminus praefixus est ad urgendam obligationem, quo in casu, sive culpabili sive inculpabili mora unius partis elapsum est tempus, pars innocens a sponsalibus resilire potest. Quod si nullus terminus matrimonii contrahendi praefixus fuit, illa pars, quae diutius moras trahit, alteri parti potestatem recedendi a contractu facere censetur. Quanto autem tempore exspectare haec debeat, ut a sponsalibus iure resilire possit, prudentum iudicio consideratis adiunctis determinandum est.

b. Sine consensu alterius partis alio se conferre. Si una pars migrat in alium locum, inscia vel invita altera parte, nec spes est eam brevi redituram esse, pars remanens statim a sponsalibus resilire potest, sive causa migrationis fuit necessaria sive voluntaria: qui enim alio migrat, hoc ipso sponsalibus renuntiare censetur, altera vero pars acquirit libertatem cum alio contrahendi.

Si pars remanens migrationis alterius partis notitiam habuit et consensit, reditum exspectare debet. Quodsi altera pars in locum vicinum [redacted] contulit vel spes est eam brevi reversuram esse, eius reditus exspectandus vel ipsa monenda est, ut intra certum tempus redeat ad celebrandum matrimonium promissum, et si non redeat, pars remanens libera est.

c. Alia sponsalia inire; et sponsalia quidem contra fidem priorum contracta invalida sunt, etsi iuramento firmata essent, utpote illicita, et pars, quae fidem sponsalitiam violavit, primis sponsalibus tenetur, altera autem pars innocens ab obligatione liberatur.

d. Fornicationem committere cum alia persona. — Distingui debet fornicatio ante sponsalia et post sponsalia

commissa; insuper in fornicatione, quam sponsi committunt, duo attendi debent: primo is, qui fornicatur cum persona extranea, frangit fidem sponsalitiam, et deinde ob fornicationem redditur vilior; iste tamen effectus magis sponsam afficit, quam sponsum.

Propter fornicationem *ante sponsalia* commissam et post sponsalia cognitam tum sponsus tum etiam sponsa habet ius recedendi a sponsalibus, etsi sponsae hoc ius nonnulli negent[1]).

Propter fornicationem *post sponsalia* commissam potest pars innocens (tam sponsus quam sponsa) a sponsalibus resilire, quia altera pars fidem fregit.

Si fornicatio *ex utraque parte* commissa fuit, habetur quidem delicti mutua compensatio, nihilominus sponsus recedere potest, quia sponsa, quae notabiliter facta est vilior, ius sponsi graviter laesit; sponsa autem iuxta communem sententiam resilire nequit, nisi sponsus prolem ex alia habuerit aut habitum fornicandi contraxerit[2]): sponsus enim ex fornicatione non censetur factus notabiliter deterior et proinde ius sponsae graviter non laesit. Sunt tamen, qui recte dicant sponsae obligationem ineundi matrimonium cum sponso fornicatore *non esse certam,* eam proinde ad matrimonium cogi non posse[3]).

unus sponsorum *tactus impudicos* [redacted] tertia persona committit, sponsus a sponsalibus resilire potest, immo etiam sponsa, si eiusmodi turpia tam crebro admittantur, ut recte timeri debeat, ne sponsus sit fidem coniugalem violaturus.

546. Status rerum notabiliter diversus ab eo, qui antea cognitus fuerat. Si nimirum contractis iam sponsalibus una pars in cognitionem circumstantiae devenit tempore sponsalium iam exsistentis, quam si antea cognovisset, sponsalia non fecisset, haec pars iustam habet causam [redacted] sponsalibus resiliendi: sponsalia enim non obligant ultra

[1]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II. 848.

[2]) *S. Alphonsus* n. 862.

[3]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II. n. 849; consentit *Gury, Matharan, Génicot, Wernz.*

voluntatem contrahentium; atqui contrahentes non censentur se obligare voluisse ad futurum matrimonium tam grave et difficile. Iam quaeritur:

Num sponsa defectus, quibus laborat, sponso manifestare teneatur et vicissim sponsus sponsae.

1. *In genere* dicendum est:

a. Uterque sponsus *ius* habet cognoscendi notabiles alterius partis defectus, ut contractui matrimoniali plena libertas servetur; ideo graviter contra iustitiam peccat, qui eiusmodi defectus occultat, sicut contra iustitiam agit, qui merces inutiles vendit ei, qui mercium vitia ignorat.

b. Non omnis defectus, qui cognitus sponsis ius tribuit recedendi a sponsalibus, sub gravi manifestari debet: quandoque enim defectus eiusmodi sunt, qui alteri parti matrimonium non reddant difficilius, quia ignorantur, cogniti tamen ius tribuant recedendi; iam vero in hoc casu illius ius graviter non laeditur, si defectus plane occultentur.

2. *In specie* haec notanda sunt:

a. Defectus, qui matrimonium reddunt invalidum, quantumvis probrosi, manifestandi sunt, aut a matrimonio abstinendum est.

Eiusmodi defectus duplicis generis est: aut est defectus, cuius absentiam sponsus exigit *tamquam condicionem sine qua non*, e. g. si virgo es, si illud crimen non commisisti; aut est defectus, qui *impedimentum dirimens* continet.

b. Defectus, qui alteri parti matrimonium reddituri sunt vel damnosum vel notabiliter difficilius, quamvis probrosi sint, sub gravi manifestari debent, tum ante tum post sponsalia, si his iam initis supervenerint.

Eiusmodi defectus sunt: morbus praesertim contagiosus, gravis infamia personae vel familiae, proles ex alio viro relicta, sterilitas, status viduitatis, alia religio, graves defectus morales etc.

Quoad *fornicationem* ita distinguendum est: si *sponsus* ex ea prolem habuit, id sponsae manifestandum est, nisi talia sint adiuncta, ut sponsa nunquam in rei cognitionem deveniat. Si *sponsa* ex ea facta est gravida, rem sponso revelare debet; si tamen ante matrimonium parere et partum viro plane occultare possit, defectus diiudicari potest, ac si esset simplex fornicatio.

Si de simplici fornicatione agitur, sponsus defectum revelare non tenetur, quia defectus iste in sponso non censetur notabilis; sponsa vero fornicationem revelare debet, quia in sponsa defectus iste notabilis censetur, nisi artificio rem plane occultare possit, vel nisi ex cognita sponsi indole prudenter iudicari possit, ipsum hunc defectum non valde aestimare.

c. Non est obligatio (saltem gravis) manifestandi sive ante sive post sponsalia defectus, qui matrimonium non reddunt notabiliter difficilius, etsi illud minus appetibile reddant et alteri parti aliquam tristitiam afferant, sicut non est obligatio in contractibus leviores mercis defectus manifestandi. Nemo enim tenetur seipsum infamare et spe nubendi privare, ubi silentio suo ius alterius non laedit. Si tamen timendum esset, ne post matrimonium res palam fiat et exinde oriatur infaustum matrimonium, saltem ex caritate tenerentur manifestare defectum aut abstinere a coniunctione.

Eiusmodi defectus sunt: deformitas, ignobilitas, paupertas, indoles aspera et iracunda, inhabilitas ad gerenda negotia, ad administrandam domum etc.

547. Mutatio notabilis, quae sponsalibus superveniat: sponsalia enim censentur inita sub hac tacita condicione: *si res in eodem statu permanent,* idque ne matrimonium infelicem exitum sit habiturum.

Mutatio *notabilis* induci censetur quavis circumstantia, quae, si ante inita sponsalia exstitisset aut cognita fuisset, a contrahendis sponsalibus retraxisset; eiusmodi autem est quaevis circumstantia, qua promissum matrimonium vere redditur multo gravius, difficilius et molestius. Mutatio haec accidere potest vel in bonis animi vel in bonis corporis vel in bonis fortunae.

a. In bonis animi: gravis morum asperitas, propensio ad ebrietatem, ludum, impietatem; si quis atrox crimen committit: atrox crimen illud censetur, quod grave damnum vel infamiam parit ut haeresis, homicidium, grave furtum.

b. In bonis corporis: morbus insanabilis vel contagiosus, amissio venustatis praesertim in sponsa, caecitas, abscicissio membri. Quaeritur, num iusta adsit causa deserendae sponsae, si ipsa *invita corrupta* sit. — Quod quidem affirmandum est, quia notabiliter facta est vilior: id enim quod in sponsa magni fit, est integritas corporalis, qua amissa, etsi sine culpa sponsae, notabiliter rerum condicio mutata est. Idem

dicendum est, si corrupta fuerit ante sponsalia et postea tandem vitium istud detectum fuerit.

c. In bonis fortunae: superveniens paupertas in utroque sponso utrique concedit facultatem resiliendi, quia ex utraque parte accidit notabilis mutatio et matrimonium utrique redditur gravius; si alteruter amittat notabilem partem bonorum, altera pars, cuius bona immutata manent, resilire potest; si sponsa detegitur non habere dotem; si sponso adveniat pinguis hereditas. Quod si bona sponsi manent immutata et solum sponsae accedit pinguis hereditas, communiter huic non conceditur ius resiliendi ■ sponsalibus; at non videtur improbabilis sententia, quae etiam sponsae in hoc casu ius discedendi tribuit, quia si mutationem futuram praevidisset, sponsalia non contraxisset; si alteruter est nimio aere alieno gravatus, nec adsit spes, fore ut solvere possit; si sponsus evadit ineptus ad acquirendum officium pro sustentatione familiae necessarium.

Nota. Sponsalia rescindi possunt, si consideratis omnibus ediunctis merito timetur matrimonium celebrandum *infelicem exitum* esse habiturum. Ob hanc autem rationem nullatenus solvi possunt sponsalia, quod alia eaque melior se offerat occasio ineundi matrimonii. Immo ordinarie saltem dissuaderi, ne dicatur prohiberi debet sponsalium rescissio, quamvis sponso se offerat alia sponsa multo ditior nec quoad alias qualitates inferior.

548. *Num exsistente iusta causa solvendi sponsalia haec solvi possint propria auctoritate.* Si iusta causa solvendi sponsalia certo subsistit, ad ea solvenda non requiritur sententia iudicis, sed propria auctoritate per mutuum consensum solvi vel rescindi possunt: neque enim iure naturae neque iure communi positivo praecipitur, ut sponsalia non solvantur, nisi interveniente auctoritate iudicis.

Per se: ex triplici enim causa fieri potest, ut ad solvenda sponsalia requiratur auctoritas iudicis: *a.* iure naturae ad avertendum scandalum, si sponsalia publice nota, causa vero solutionis ignota est; *b.* ex statuto particulari plurium dioecesium, quo non permittitur, ut sponsalia, quae publice celebrata vel postea facta sunt publice nota, solvantur, quin causa ad episcopum deferatur; *c.* tandem ubi de exsistentia vel sufficientia causae dubitatur, solutio sponsalium permittenda non est sine auctoritate iudicis, ut periculum iniustitiae vel inimicitiae inter sponsos praecaveatur.

549. *Ad quid tenetur, qui sine iusta causa ■ sponsalibus recedit?*

a. Non solum is, qui sine iusta causa a sponsalibus recedit, sed etiam is, qui iustam resiliendi causam aut celavit aut sua culpa adduxit, tenetur reparare damnum, quod alteri parti resilienti infertur.

b. Plena reparatio damni complectitur tum damnum positivum tum damnum negativum. Illud consistit in donis et expensis ab altera parte intuitu futuri matrimonii factis, hoc tum oritur, ubi sponsa propterea alium virum reperire nequit, aut a sponso prolem concepit.

c. Si recedit sponsa, ordinarie sufficit, ut sponso reparetur damnum positive illatum, quia vir facilius aliam sponsam reperit; quodsi sponsus recedit, plena reparatio damni plerumque tum solum habetur, si sponsa etiam convenienter dotetur.

Quaestio quarta.

De requisitis ante celebrationem matrimonii.

Ante matrimonii celebrationem parocho constare debet eiusdem validitati ac liceitati nihil obstare. Ut de hac re certior reddatur, ex officio *a. examen sponsorum* instituere, *b.* matrimonium publice *denuntiare* debet[1]).

Articulus primus.

De examine sponsorum.

550. A quo et quomodo instituendum. 1. Parochus ante proclamationes tum vi officii tum lege positiva *sub gravi* tenetur instituere examen sponsorum, ut constet, num matrimonio a sponsis celebrando aliquid obstet, quo minus illud valide et licite celebrari possit.

[1]) Cn. 1020, 3.

Parochus *ex officio* tenetur procurare ea, quae ad validam et licitam sacramentorum administrationem requiruntur: *Benedictus XIV.* constitutione *Nimiam licentiam* (18. maii 1743) obligationem sponsos sedulo examinandi lege positiva iniunxit, quam confirmat novus *Codex*[1]).

2. Examen instituere debet parochus, cui ius est assistendi matrimonio[2]). Si pluribus hoc ius competit, praeferendus est *parochus sponsae.*

De consensu parochi sponsae potest etiam parochus sponsi examen instituere et ea, quae necessaria sunt, procurare. — Quodsi sponsus impeditur, quominus in locum sponsae ad peragendum examen se conferat, illius parochus, petente parocho sponsae, examen instituit eiusque testimonium parocho sponsae transmittit.

3. Examen institui debet: *a.* de impedimentis tum publicis tum occultis; *b.* de libertate consensus praesertim mulieris; *c.* de religione christiana[3]).

a. Quoad *modum* peragendi examen de impedimentis, quod imprimis cum sponsis et duobus testibus simul praesentibus instituitur circa impedimenta publica, deinde cum sponso et sponsa seorsim circa impedimenta occulta, conferantur ritualia dioecesana. Ordinarii loci est, pro examine sponsorum peculiares normas dare[4]). Statuta ergo dioecesana de hac re edita vim suam retinent.

b. Si matrimonio obstat *impedimentum publicum,* parochus moneat sponsos, ut a matrimonio desistant, nisi adsit sufficiens causa dispensationis et ex omisso matrimonio gravia incommoda oriantur. — Si matrimonio obstat *impedimentum civile,* etiam huius dispensatio impetrari debet. Pari modo procuranda sunt documenta, si quae exigat ius civile.

4. Examen *de religione christiana* nunquam omittendum est, nisi parochus aliunde sciat sponsos sufficienter instructos esse. Cum enim ipsi sacramentum matrimonii suscepturi sint, et futuram, quam sperare licet, prolem in religione christiana instituere debeant, debita scientia religionis instructi sint oportet. Scientia ad id necessaria refertur ad ea, quae unusquisque necessitate medii et praecepti scire debet, ad quae pertinent etiam obligationes proprii status.

---

[1]) Cn. 1020, 1.
[2]) Cn. 1020, 1.
[3]) Cn. 1020. 2.
[4]) Cn. 1020, 3.

Si alteruter vel uterque inveniatur doctrinae christianae ignarus, parochus eum edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa; quodsi renuant, sponsi non sunt ideo a matrimonio respuendi[1]).

5. Praeter haec monet *Codex: a.* Nisi sponsi sint ex propria parochia, parochus exigere debet ab utraque parte testimonium *baptismi*[2]).

α. Ex voluntate Codicis nupturientes catholici, qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, ante matrimonium illud recipiant, si absque gravi incommodo possint[3]). Etsi enim huius rei nulla sit necessitas, valde tamen decet, ut fiat.

β. Si de suscepto sacramento baptismi testimonium haberi nequit, sufficit unius testis omni exceptione maioris affirmatio vel iusiurandum ipsius sponsi aut sponsae, si in adulta aetate sacramentum suscepit[4]).

b. Tandem sponsos vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata confiteantur et s. communionem recipiant[5]).

Statuta particularia, quae in aliquibus dioecesibus, etiam sub poena denegandae benedictionis nuptialis, sponsos ad susceptionem sacramentorum stricte obligant, post novum *Codicem*, qui nullam obligationem hac in re statuit, abrogata sunt[6]).

6. *In periculo mortis,* ubi ad haec praestanda non suppetit tempus et matrimonium tamen aut necessarium aut saltem valde opportunum est, sufficit (nisi contraria adsint indicia), ut contrahentes sub iuramento affirment se baptizatos esse et nullo detineri impedimento[7]).

Nota. 1. Absoluto examine parocho se offert occasio monendi hortandique sponsos, ut tempus, quod celebrationi matrimonii praecedit, caste transigant atque ad suscipiendum matrimonii sacramentum religiose se praeparent.

2. Ab examine sponsorum distingui debet *instructio sponsorum* (Brautunterricht), cuius obiectum constituunt mutuae obligationes coniugum, praesertim quoad vitam coniugalem nec non obligationes erga

---

[1]) Commissio ad Cod. inter. 2, 3 iun. 1918. Cf. Cn. 1066.
[2]) Cn. 1021, 1.
[3]) Cn. 1021, 2.
[4]) Cn. 779; 800.
[5]) Cn. 1053.
[6]) Cn. 6, 6.
[7]) Cn. 1019, 2.

prolem. Cavendum est, ne obiter ac perfunctorie haec instructio habeatur et simul ne castae piaeque aures offendantur; quare diligenter praemeditari ac praepari ipsa debet. Habenda non est simul cum examine sponsorum, nec in confessionali occasione confessionis sponsorum; sed vel brevi ante, vel si fieri potest, brevi post matrimonii celebrationem[1]).

Articulus secundus.

De proclamationibus matrimonii.

551. De lege proclamationum. Lex ecclesiae sub gravi obligans praecipit, ut matrimonium, antequam contrahatur, *ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter missarum sollemnia aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedat, publice denuntietur*[2]).

a. Denuntiationes publicae matrimonii *banna* vocari solent, quae vox germanica esse et publicam proclamationem significare videtur, etsi hoc sensu nunc non amplius adhibeatur.

b. Legem bannorum in Gallia primitus exsistentem concilium lateranense IV. sub Innocentio III. ad universam ecclesiam extendit; a concilio vero tridentino et nunc a novo *Codice* eadem lex innovata et pluribus additis praescriptionibus accuratius determinata est.

c. Parocho cum obligatione proclamandi matrimonium competit ius proclamationes faciendi, quod est proprium *ius parochiale.* Fideles vero petentes proclamationem acquirunt ius, ut eorum matrimonium a paroco proclametur.

---

[1]) Ad hanc instructionem parandam usui esse possunt: *Krick*, Das Brautexamen (Passau. Bucher. 1883); *Lauterborn*, Das kirchliche Brautexamen (Paderborn. Bonifacius-Druckerei. 1887): *Braut-Unterricht* (Kempten. Kösel. 1898). Fere omnia folia postoralia eiusmodi instructionem apte exaratam continent: *Paderbornense* a. 1895; *Monasteriense* a. 1894, 1899 et 1917; *Coloniense* a. 1884; *Passaviense* a. 1892; tandem etiam *Leitner* l. c. p. 528 ss.; *Keller*, Geburtenrückgang und kath. Seelsorge (Paderborn. 1917); *Ehrler, Bauer, Gutmann*, Glückliches, Eheleben (Mergentheim a. d. T.)

[2]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 1. De reform matr. Cn. 1022 1023, 1024.

1. Hanc *legem gravem* esse colligitur: *a.* ex gravi eius fine, ad quem obtinendum proclamationes multum conferunt: *b.* ex gravi poena a concilio in transgressores statuta; attamen admittit parvitatem materiae.

a. Finis legis triplex est: ut detegantur, si quae forte exsistant, impedimenta matrimonii contrahendi; ut eliminentur matrimonia clandestina; ne filii matrimonia contrahant invitis parentibus. Praecipuus autem finis primus est.

b. Materia parva Unam tantum proclamationem ex tribus requisitis omittere vel eodem die duas facere, leve peccatum non excedit[1]); immo ex quorundam probabili iudicio duas omittere, grave non est, si periculum latentis impedimenti removeatur e. g. per plures dies exspectando antequam matrimonium fiat[2]). Item circumstantias praescriptas non formaliter, sed solum aequivalenter implere, veniale non excedit. Ex gravi causa omittere ea, quae sub veniali tantum obligant, omni culpa vacat.

2. Lex proclamationis obligat *quoad omnia catholicorum matrimonia: a.* etsi matrimonium contrahendum publice notum sit; *b.* etsi constet nullum subesse impedimentum, quia lex universalis urget, etsi in particulari casu finis legis cesset.

Excipitur tamen α. matrimonium principum, quod proclamari non solet, quia eorum genus adeo notum est, ut impedimentum, si quod subsit, facile cognosci possit: β. casus urgentis necessitatis, ut si in pericuio mortis contrahendum esset matrimonium ad legitimandam prolem.

3. Matrimonia, quae celebrantur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis de iure *non sunt publicanda.* Attamen ordinarius id permittere potest servatis hisce conditionibus: quod absit scandalum, praecesserit dispensatio in impedimento et omittatur mentio religionis partis non catholicae[3]).

552. De ipsis proclamationibus. Proclamationes fieri debent: 1. *A proprio* contrahentium *parocho*[4]) vel ab alio de eius licentia.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 900.
[2]) *D'Annibale* III. n. 453; *Gasparri* I. n. 152.
[3]) Cn. 1026.
[4]) Cn. 1023.

a. Parochus proprius is est, in cuius parochia nupturientes domicilium aut quasidomicilium habent. Si in duabus parochiis domicilium aut quasidomicilium habent, uterque parochus est eorum proprius. — Eorum, qui non habent, nisi *domicilium dioecesanum*, parochus proprius is est, in cuius parochia actu habitant. — *Vagorum* parochus proprius pariter is est, in cuius parochia actu commorantur.

b. Parochus alium sacerdotem vel clericum ad denuntiationes faciendas delegare potest. Laicum autem delegare nequit, nisi ex legitima consuetudine ut in Hispania.

2. *Tribus continuis diebus dominicis* vel *festis,* quibus ex praecepto universali ecclesiae vel particulari dioecesis urget obligatio audiendi sacrum, ut adsit concursus populi, non autem diebus festis abrogatis, etsi frequens populus confluere soleat. *Continuis* i. e. ita sibi succedentibus, ut nullus dies festivus sine denuntiationibus praetermittatur, ne forte populus denuntiationum obliviscatur. Si tamen dies festus ex qualicunque causa praetermittatur, sequenti die festivo prosequenda est denuntiatio.

a. Denuntiationes fieri etiam possunt diebus festivis *immediate sibi succedentibus;* quodsi tres dies festi immediate sibi succedant, praestat, ut unus sine proclamationibus praetermittatur.

b. Legi non satisfit, si proclamationes fiant *festis devotionis* vel *diebus ferialibus,* etsi frequens populus ad ecclesiam concurrat.

3. In ecclesia (scil. parochiali) inter missarum sollemnia aut inter alia divina officia, ad quae populus frequenter accedat[1]).

Antea denuntiationes solum inter missarum sollemnia fieri poterant; nunc expresse permittitur, ut etiam inter alia divina officia e. g. in vesperis vel occasione processionis vel concionis fieri possint, dummodo frequens populus adsit.

4. *Viva voce* de iure communi; potest tamen ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam ad valvas ecclesiae parochialis aliusve ecclesiae affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur[2]).

---

[1]) Cn. 1024.
[2]) Cn. 1025.

a. Haec exceptio, quae iam pridem (S. C. C. 28 mart. 1908) concessa est archiepiscopo Parisiensi pro parochiis, quae ultra 10000 animarum continent, nunc facta est universalis.

b. Si parochus in missa denuntiationis faciendae oblitus fuisset, vel si nomina sponsorum ab auditoribus nullatenus intellecta fuissent, proclamatio aut in sequentem diem festum differri aut in vesperis fieri posset.

c. Si aliquo die festo in alia ecclesia (filiali) haberetur missa parochialis et frequens populi concursus, ibi fieri posset denuntiatio, quia finis legis ibi melius obtinetur.

5. Considerato iure statuendae sunt sequentes regulae indicantes, utrum in una an in pluribus parochiis publicationes fieri debeant:

a. Si sponsi ad eandem parochiam pertinent, in ea tantum, si ad diversam parochiam pertinent, in utraque publicationes fieri debent.

b. Si alteruter vel uterque sponsorum domicilium vel quasi-domicilium aut duo domicilia habet, in omnibus his parochiis publicationes faciendae sunt: unusquisque enim est parochus proprius.

Minorennes, qui extra domicilium parentum vel tutorum quasi-domicilium habent, tum in domicilio *facti,* quod ipsi habent, tum in domicilio parentum, quod est eorum domicilium *iuris,* proclamari debent.

c. Si alteruter sponsorum post annos pubertatis per sex menses alibi commoratus fuerit, res deferenda est ad ordinarium loci, cuius est proclamationes alibi faciendas aliasque investigationes praescribere[1]).

d. Si adsit suspicio de contracto impedimento, parochus, etsi nupturiens per brevius tempus quam sex mensium alibi commoratus fuerit, consulat ordinarium, qui matrimonium non permittat, nisi prius suspicio remota sit[2]).

α. In parochia *originis,* si ibi sponsi domicilium non habent, et in parochia simplicis *habitationis* stricto iure publicationes fieri non debent, nisi particularia statuta aliud praescribant, quia illorum locorum parochus non est proprius parochus. Ordinarius autem praescribitur, ut publicationes fiant in parochia originis, si sponsi ab ea recesserunt in aetate adulta, et in parochia habitationis, si ibi per notabile tempus (per semestre) commorati sunt.

[1]) Cn. 1023, 2.

[2]) Cn. 1023, 3.

β. Si nupturientes durantibus proclamationibus domicilium mutant novumque acquirunt, parochus novi, non prioris domicilii eorum parochus proprius est, proclamationes tamen in novo domicilio non sunt faciendae nisi ex iure civili.

553. De dispensatione a lege prolamationum. 1. A lege proclamationum non solum rom. pontifex, sed ex iusta causa *dispensare potest* etiam *episcopus*, cuius potestatem novus *Codex* ita determinat[1]):

a. Ordinarius proprius a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare potest. Nunc ergo certum est, sufficere dispensationem *unius* ordinarii, illius nempe in cuius dioecesi matrimonium celebratur.

b. Si plures sint ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur. Quodsi matrimonium extra proprias dioeceses ineatur, quilibet ordinarius proprius dispensare potest, ad quem nupturientibus recurrere placuerit.

Parochus ■ proclamationibus dispensare nequit, nisi ab episcopo ad id delegatus fuerit; urgente autem necessitate declarare potest, legem ecclesiae cum tanto incommodo non obligare; postea tamen ea de re moneri debet episcopus.

2. Iusta *dispensandi causa* non debet esse gravis, dummodo finis legis obtineatur, praesertim si ab una vel altera proclamatione tantum dispensetur.

Iustae causae dispensandi aliae sunt *gratiosae,* propter quas dispensari potest, aliae *necessariae*, propter quas dispensari debet, quia alias incommodum sponsis oriretur. Huiusmodi causae sunt:

a. Si periculum est, ne matrimonium malitiose impediatur.

b. Si periculum est, ne sponsus derelinquat puellam ■ se violatam.

c. Si ex dilatione matrimonii infamia contrahentium sequatur.

d. Si propter necessitatem itineris matrimonium differri nequeat.

e. Si sponsi propter senium vel propter condicionem plane dissimilem ludibrio exponantur.

f. Si civili matrimonio iam contracto maritus velit quidem ritum ecclesiasticum peragi, nolit autem proclamationes fieri.

---

[1]) Cn. 1028.

554. De obligatione revelandi impedimenta. 1. Per se exsistit *obligatio gravis revelandi* impedimenta matrimonii tum dirimentia tum etiam mere impedientia, etiam *occulta,* modo vere probabilis eorum notitia habeatur, et quidem *quam primum,* ne per dilationem matrimonii contrahendi difficultas augeatur.

a. Haec obligatio oritur tum *ex praecepto caritatis,* quia agitur de praeservando proximo a gravi peccato aliisque malis, quae ex invalido matrimonio oriuntur, tum *ex praecepto ecclesiae,* quae ipso praecepto proclamationum implicite et novo *Codice* explicite manifestationem impedimentorum praescribit[1]).

b. Si impedimentum oritur *ex peccato occulto,* prius monendi sunt sponsi, ut vel a matrimonio desistant vel dispensationem sibi procurent; quodsi monitio profutura non speretur, res immediate deferenda est ad parochum, ne inimicitiae oriantur, si sponsi frustra admoniti a matrimonio arceantur.

2. Ea *revelare debet omnis,* qui eorum notitiam habet, cuiuscunque sit sexus, aetatis, parochiae vel dioecesis, etsi ea *solus* cognoscat neque iuridice probare possit, quia revelatio non eo tendit, ut aliquis reus condemnetur, sed ut malum proximi et nullitas sacramenti praecaveatur.

3. *Ab obligatione* impedimenta revelandi *excusatur: a.* qui ea revelare non potest sine suo vel aliorum gravi damno; *b.* qui revelationem inutilem fore iudicat; *c.* qui scit iam petitam fuisse dispensationem pro foro interno.

Is, qui *impedimentum novit sub secreto,* certo non excusatur, si impedimentum novit sub *secreto naturali vel promisso,* at si impedimentum novit sub *secreto commisso,* non una est auctorem sententia. Communius docent etiam in casu secreti commissi manifestandum esse impedimentum, nisi ratione officii (medici, advocati, obstetricis, parochi etc.) illud commissum fuerit, quia bonum commune, quod exigit hoc secretum, praeferendum est bono, quod ex manifestatione sequitur, scilicet validitati matrimonii; item nisi ex revelatione sequatur gravis infamia ipsius committentis, qui non est unus ex contrahentibus, quia manifestatio cedit in damnum ipsius committentis secretum, ita ut idem ipse ad rem manifestandam non teneatur[2]).

---

[1]) Cn. 1027.

[2]) *Ballerini-Palmieri* VI. n. 582.

555 Peractis promulgationibus quid faciendum[1]).

1. Si nullum detectum fuerit impedimentum, nupturientes ad matrimonii celebrationem admittendi sunt.

2. Si impedimentum *certum* detectum fuerit:

a. Si impedimentum sit *occultum*, parochus publicationes peragat vel absolvat et rem tectis nominibus deferat ad ordinarium loci vel ad s. Poenitentiariam.

b. Si sit *publicum* et detegatur ante inceptas publicationes, non est ulterius procedendum, donec impedimentum removeatur, etsi dispensatio pro foro interno obtenta fuerit. Si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationem perficiat et rem ad ordinarium deferat.

3. Si oritur *dubium* de exsistentia alicuius impedimenti:

a. Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo non agatur de impedimento, ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et si necesse fuerit, ipsas quoque partes.

b. Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes.

c. Matrimonio inconsulto ordinario ne assistat, si adhuc superesse dubium prudenter iudicaverit.

Parocho igitur non licet ex noto adagio: *impedimentum dubium impedimentum nullum* ad matrimonii celebrationem procedere, sed iudicium de hac re ordinario reservatur.

4. Matrimonium contrahendum non est, antequam omnia documenta necessaria recepta sint et tres dies ab ultima proclamatione decurrerint, nisi rationabilis causa aliud postulet[2]).

5. Si peractis proclamationibus matrimonium intra sex menses contractum non fuerit, publicationes repetendae sunt, nisi loci ordinario aliud videatur[3]).

---

[1]) Cn. 1031.
[2]) Cn. 1930, 1.
[3]) Cn. 1030, 2.

Quaestio quinta.

De impedimentis matrimonii.

Articulus primus.

De impedimentis in genere.

556. Notio et divisio. 1. „Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur“[1]). Iam vero prohibitiones a iure sive divino sive humano ortae, quae personam ad matrimonium ineundum reddunt inhabilem, vocantur impedimenta. Quare *impedimentum* matrimonii generatim dicitur circumstantia, quae hominem ex iuris sive divini sive humani statuto ad matrimonium contrahendum reddit inhabilem. Impedimenta matrimonii duplicis generis sunt, alia *dirientia,* quae matrimonium sub gravi prohibent et efficiunt, ut illud nec licite nec valide iniri possit; alia solum *impedientia*, quae matrimonium sub gravi prohibent et efficiunt, ut illud licite iniri non possit. Impedimenta igitur matrimonii sunt leges aut solum prohibentes aut prohibentes et simul irritantes.

Vocantur *dirimentia*, non quod matrimonium *validum* dirimant, sed quod obstent, ne matrimonium attentatum *valide iniri* possit.

2. Impedimentum dicitur *certum,* si de lege et de facto constat, et *dubium,* si aut de lege aut de facto aut de utroque non constat. Si de lege non constat, est dubium *dubio iuris;* si de facto non constat, est dubium *dubio facti;* si de utroque non constat, dubium *dubio iuris et facti.*

3. Impedimentum censetur *publicum*, quod in foro externo probari potest, et *occultum*, quod in foro externo probari non potest[2]).

---

[1]) Cn. 1035.
[2]) Cn. 1037.

Ergo non impedimenti notitia inter homines, sed possibilitas illud in foro externo probandi est ratio huius divisionis. Quare e. g. consanguinitas vel affinitas, etsi hominibus ignotae, nunquam sunt impedimenta occulta, quippe quae ex libris canonicis probari possint. Duo vel tres testes omni exceptione maiores sufficiunt ad rem in forro externo probandam, immo quandoque unius testis depositio plenam fidem facit, si sit testis qualificatus, qui deponat de rebus ex officio gestis[1]).

4. Quamvis impedimentum ex una parte tantum se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum[2]).

557. De impedimento dirimente dubio. Impedimentum dubium hic intelligitur impedimentum, quod non certo, sed probabiliter tantum exsistit, ubi nempe post diligentem veritatis investigationem remanet fundatum dubium de exsistentia impedimenti. Porro dubium (probabilitas) potest esse iuris vel facti; et dubium iuris potest esse iuris divini aut iuris ecclesiastici.

a. Licitum est matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris idque ecclesiastici, quia in hoc casu ecclesia supplet, vel potius quia lex ex voluntate ecclesiae in hoc casu non obligat: „Leges enim etiam irritantes et inhabilitantes in dubio iuris non urgent"[3]). Et quia cum eiusmodi impedimento licite iniri potest matrimonium, theologi dicere solent *impedimentum* (ecclesiasticum) *dubium* (dubio iuris) *impedimentum nullum.*

b. Non licet matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris divini aut dubium facti: Si dubium est *iuris divini*, ecclesia supplere non potest, et proinde sacramentum exponeretur periculo nullitatis; si dubium est *facti*, constat ipsam nolle supplere, ordinarius autem in hoc casu dispensare potest: „In dubio enim facti potest ordinarius in legibus etiam irritantibus et inhabili-

[1]) Cn. 1791.
[2]) Cn. 1036, 3.
[3]) Cn. 15.

tantibus dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus r. pontifex dispensare solet"[1]).

Si ergo e. g. probabile est, sponsum esse in tertio gradu consanguineum cum sua sponsa, illicite contrahit matrimonium, et si revera consanguineus est, etiam invalide. Ideo autem ecclesia matrimonium in dubio facti non reddit validum, quia in hoc dubio per se et ordinarie deprehendi potest veritas, et solum per accidens in particulari casu non deprehenditur. Hinc si matrimonio obstat impedimentum dubium dubio facti, ad cautelam petenda est dispensatio, quam in hoc casu concedere potest episcopus.

558. Impedimenta dirimentia dividuntur: 1. *Ratione originis* in impedimenta *iuris naturae, iuris positivi divini et iuris ecclesiastici* pro diversa auctoritate, quae impedimentum constituit. Impedimenta iuris naturae sunt *impotentia* et *consanguinitas* in primo gradu lineae rectae; iuris divini *ligamen;* cetera sunt iuris ecclesiastici.

Impedimentis iuris divini sive naturalis sive positivi omnes homines subiiciuntur, tum fideles tum infideles; impedimentis iuris ecclesiastici (saltem directe) soli fideles, impedimentis iuris civilis soli infideles ligantur.

2. *Ratione extensionis in absoluta,* quae matrimonium dirimunt cum qualibet persona: votum, ordo, ligamem, aetas, impotentia absoluta; et *relativa,* quae matrimonium dirimunt solum cum certis personis: cognatio, crimen, disparitas cultus, metus, honestas publica, affinitas, impotentia relativa et raptus.

3. *Ratione dispensationis* in impedimenta *dispensabilia,* in quibus ecclesia dispensare potest et solet; et *indispensabilia,* in quibus ecclesia aut dispensare non potest aut non solet. Primi generis sunt fere omnia impedimenta iuris mere ecclesiastici, secundi generis sunt impedimenta iuris naturalis et divini et nonnulla iuris ecclesiastici.

4. *Ratione finis immediati et iuris impugnandi matrimonium* in impedimenta *iuris publici,* quorum finis immediatus principaliter est bonum commune, ideoque ius et

[1]) Cn. 15.

officium impugnandi matrimonium ex tali impedimento invalidum competit iudici ecclesiastico; et impedimenta *iuris privati,* quorum finis immediatus principaliter est bonum privatum contrahentium, ideoque ius et officium impugnandi matrimonium ex tali impedimento invalidum proxime ipsis contrahentibus competit et iudex ecclesiasticus solum ad instantiam partium contrahentium contra matrimonium procedit.

Huiusmodi est *impotentia;* cetera sunt iuris publici. Hinc matrimonium propter impedimentum impotentiae invalidum solum coniux, declarationem nullitatis exigendo, impugnare potest. Econtra cum e. g. ligamen sit impedimentum iuris publici, matrimonium propter impedimentum ligaminis invalidum iudex ecclesiasticus ex officio impugnare potest et debet.

5. *Ratione gravitatis et momenti in impedimenta gradus minoris,* qualia sunt:

a. Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

b. Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

c. Publica honestas in secundo gradu;

d. Cognatio spiritualis;

e. Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, etiam per civilem actum tantum; et impedimenta *gradus maioris,* qualia sunt cetera omnia[1]).

In impedimentis minoribus dispensatio valida est, etsi in petitione obreptio vel subreptio intercesserit, etiamsi unica causa finalis falsa fuerit[2]).

559. Quis in ecclesia statuere possit impedimenta[3]).

1. Sola *suprema auctoritas ecclesiastica* (summus pontifex et concilium generale) potest:

a. impedimenta impedientia et dirimentia pro baptizatis statuere per modum legis sive universalis sive particularis;

Complures doctores censent, episcopos iure divino impedimenta impedientia et dirimentia ad modum legis statuere posse eosque hanc potestatem reipsa exercuisse, sed summum pontificem *Gregorium IX.*

[1]) Cn. 1042.
[2]) Cn. 1054.
[3]) Cn. 1038–1041.

(† 1241) eam sibi reservasse ad uniformitatem in usu huius sacramenti apud omnes fideles obtinendam. Eandem novus *Codex* romano pontifici reservat cn. 1038, 2.

b. authentice declarare, quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat;

c. impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare aut illis derogare atque in iis dispensare, nisi haec facultas a s. sede aliis concessa fuerit.

2. *Ordinarii locorum* omnibus in suo territorio actu commorantibus et subditis suis etiam extra territorium iusta de causa eaque perdurante matrimonium in casu particulari, sed ad tempus tantum, vetare possunt; at clausulam irritantem vetito sola sedes ap. addere potest[1]).

a. Causae, propter quas matrimonium iuste prohiberi potest, duae potissimum numerantur: α. suspicio probabilis impedimenti, quod matrimonium aut dirimat aut impediat: β. timor probabilis, ne ex matrimonio gravia incommoda, ut scandala vel inimicitiae oriantur.

b. Parochus, qui iurisdictione in foro externo caret, matrimonium ad tempus simplici prohibitione extraiudiciali interdicit, donec res ab episcopo decisa fuerit.

3. *Consuetudo* novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria a iure reprobatur.

Exsistunt impedimenta consuetudine introducta e. g. disparitas cultus, cognatio spiritualis; in posterum huius originis impedimenta excluduntur.

Nota. Cum Christus Dominus ipsum contractum matrimonialem, immutata eiusdem natura, ad dignitatem sacramenti elevaverit (n. 484), posset videri ecclesiam, eo quod impedimenta dirimentia instituit et obrogat, Christi institutionem sacramentalem immutare. Verum notandum est contractum, quem Christus dignitate sacramenti auxit, non esse contractum mere naturalem vel civilem, sed canonicum, cuius valor a lege naturali et positiva tum divina tum ecclesiastica dependet.

560. Quos obligent leges matrimoniales ecclesiae. 1. Leges matrimoniales ecclesiae *obligant omnes fideles*, non solum catholicos sed etiam haereticos (et schismaticos); quare impedimenta canonica afficiunt etiam matrimonia haereticorum. Et sane ecclesia nunquam ut valida agno-

[1]) Cn. 1039.

vit matrimonia haereticorum, quibus obstabat impedimentum canonicum[1]), et saepius declaravit ne longissimi quidem temporis consuetudinem efficere posse, ut quoad haereticos vim suam amittant leges matrimoniales ecclesiae[2]).

Nonnulli Germaniae theologi ut *Laymann et Schmalzgrueber* putabant, ecclesiam posse quidem, sed non velle suis legibus matrimonialibus obligare etiam haereticos, ideoque ecclesiam a quibusdam saltem impedimentis canonicis haereticos eximere. Verum hodie non est amplius theologus, qui hanc sententiam profiteatur. Nec tamen inferendum est, haereticorum prolem frequenter esse illegitimam: cum enim haeretici coniuges ordinarie in bona fide sint, eorum matrimonium est putativum ideoque proles legitima.

Haereticos et schismaticos quoque legibus ecclesiasticis quoad matrimonia teneri, ex novo Codice non est dubium, id quod evincitur *a.* ex generali principio cn. 12 et cn. 87 stabilito, quo omnes baptizati legibus ecclesiae tenentur; *b.* ex cn. 1038, 2, quo ecclesiae ius vindicatur pro omnibus baptizatis impedimenta constituendi; *c.* ex cn. 1099, quo id expresse indicatur, si haereticos ab aliqua lege eximere intendit; *d.* nec ignorantia aut bona fides eos excusat, cum cn. 16 dicatur, nullam ignorantiam a legibus irritantibus et inhabilitantibus excusare.

2. Leges matrimoniales ecclesiae *non obligant infideles*, ideo impedimenta canonica saltem directe non afficiunt matrimonia infidelium: in infideles enim ecclesia potestatem iurisdictionis exercet nullam.

Directe dicitur, quia indirecte, idque in triplici casu, potestas ecclesiae etiam ad matrimonia infidelium extendit. *a.* Matrimonia infidelium reguntur iure naturali et divino; ecclesia autem est infallibilis interpres iuris naturalis et divini; quare declarationes huius iuris ab ecclesia prolatae etiam ad infideles se extendunt. *b.* Si infidelis matrimonium contrahit cum fideli, quia hic subest legibus ecclesiae, ratione connexionis etiam infidelis indirecte subiicitur ecclesiae. *c.* Si infidelis matrimonio iunctus convertitur ad fidem, eius matrimonium per dispensationem summi pontificis solvi potest, quo in casu matrimonium eius, qui manet in infidelitate, ratione compartis fidelis subiicitur ecclesiae.

---

[1]) Cf. *Becker* p. 34 s.

[2]) De hac quaestione conferri possunt tres constitutiones *Benedicti XIV.: Matrimonia* 4. nov. 1741; *Magnae* 29. iun. 1748: *Ad tuas manus* 8. aug. 1748. Cf. cn. 12 et 87.

Articulus secundus.

De impedimentis impedientibus.

a. Impedimenta impedientia alia sunt *improprie dicta*, quae obstant matrimonio quatenus sacramentum est, ut peccatum mortale et excommunicatio; alia sunt *proprie dicta*, quae obstant matrimonio ut contractus est. De posterioribus hic est sermo.

b. Eiusmodi impedimenta in antiquo iure numerabantur quinque: *Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum et mixta religio.*

c. Antiquitus numerabantur duo alia impedimenta matrimonium impedientia, scilicet impedimentum *catechismi et criminis.* Nomine catechismi intelligitur professio fidei, quam baptizandus per interrogationes et responsiones ante fores ecclesiae antiquitus emittere debebat et partim adhuc emittit, quando interrogatur, num renuntiet satanae, num credat etc. Iam vero is, qui baptizandum in catechismo tenebat et pro eo respondebat (antiquitus a patrino baptismi diversus erat), quandam cognationem spiritualem imperfectam contrahebat, quae nomine impedimenti catechismi designabatur. Impedimentum criminis ortum est ex septem diversis delictis (ut incestus, occisio sacerdotis, occisio coniugis etc.). Impedimentum catechismi per concilium trid.[1]), impedimentum criminis per universalem consuetudinem abrogatum est.

d. In novo iure ex his duo tantum impedimenta impedientia referuntur; *votum et mixta religio*, quibus accedit tertium novum scil. *cognatio legalis.*

§ 1. Votum.

561. Declaratio. 1. Intelligitur *votum*, quod matrimonio immediate vel mediate adversatur, eo quod obligationem inducit, quae cum statu matrimoniali componi non potest. Quinque sunt eiusmodi vota matrimonium impedientia: *a. votum non nubendi* seu coelibatus; *b.* votum *virginitatis*; *c.* votum (simplex) *castitatis* (perfectae); *d.* votum *ingrediendi religionem; e.* votum *suscipiendi sacros ordines.* Haec vota non *dirimunt* matrimonium, ut constat ex iure[2]);

[1]) Sess. 24. c. 2. De reform. matr.

[2]) Cn. 1058, 1.

ea tamen matrimonium *impediunt*, quia status matrimonialis cum eorum obligatione componi nequit.

Duo vota postrema matrimonio mediate adversantur; immediate obligant ad suscipiendum statum, qui deinde obligationem perfectae et perpetuae castitatis inducit; tria priora matrimonio immediate opponuntur, sed diverso modo. Vovens enim *coelibatum* formaliter promittit *non contrahere matrimonium;* vovens *castitatem* promittit *abstinere ab omni delectatione venerea* sive illicita sive licita in matrimonio. Sunt, qui votum *virginitatis* a voto coelibatus distinguant et, si vim terminorum respicimus, iure merito id faciunt: nam vovens virginitatem proprie et stricte promittit *abstinere a primo actu, quo virginitas amittitur*. Practice autem vix alicuius momenti est haec distinctio: qui enim ex voto virgines manere cupiunt, aut coelibatum aut castitatem vovent.

In praxi quandoque difficulter discerni potest, utrum aliquis votum non nubendi seu coelibatus (virginitatis), an vero votum castitatis emiserit. Ad [illegible] discernendam vovens interrogandus est, quid Deo promiserit et qua intentione votum emiserit; etenim si [illegible] intentione votum emisit, ut ab oneribus matrimonii liber facilius et perfectius Deo servire possit, coelibatum, quodsi amore puritatis votum emisit, potius castitatem promisisse censendus est..

2. Qui aliquo horum votorum ligatus matrimonium contrahit, *graviter peccat:* ecclesia enim cum aliquo eorum matrimonium contrahere interdicit, quia habens votum aut huius impletionem sibi reddit impossibilem vel saltem periculo se exponit violandi votum, aut aliam partem decipit atque ideo iniuriam ei infert. Ut ergo licite matrimonium inire possit, antea dispensationem a voto petat oportet.

a. Contrahens graviter peccat: Habens *votum non nubendi* contrahendo matrimonium graviter peccat, quia contrahendo directe contra votum agit. Habens *votum virginitatis* directe contra votum peccat primo actu coniugali, quo virginitas amittitur; contrahendo autem peccat, tum quia voluntatem habet matrimonium consummandi, tum quia voti observationem sibi reddit impossibilem, eo quod comparti ius tradit exigendi debitum. Habens *votum castitatis* contrahendo non agit directe contra votum; attamen graviter peccat, quia voluntatem habet consummandi matrimonium et quia impletionem voti sibi reddit impossibilem, eo quod ius tradit exigendi debitum. Habens *votum ingrediendi ordinem* contrahendo peccat, tum quia voluntatem habet consummandi matrimonium, id quod indirecte et secundario repugnat voto, tum quia se exponit periculo laedendi votum vel decipiendi

alteram partem. Habens *votum sacros ordines suscipiendi* contrahendo graviter peccat, quia impletionem voti sibi reddit impossibilem.

b. Duo casus sunt, sed valde rari, in quibus contrahens aliquo horum votorum ligatus non peccat: Habens votum virginitatis, castitatis vel ingrediendi ordinem non peccat, si firmum propositum habet ante matrimonii consummationem accepta dispensatione (cn. 542, 1) ingrediendi ordinem religiosum; at nisi alteram partem de hac re moneat, eam decipiendo graviter peccat. Habens votum virginitatis vel castitatis non peccat, si utraque pars consentit in servanda in coniugio virginitate et castitate, quod tamen propter magna peccandi pericula raro permittitur.

Ad quid tenetur, qui ligatus uno horum votorum matrimonium contraxit? — In genere dicendum est ipsum eatenus a voto solvi, quatenus observatio facta est impossibilis, teneri autem ad voti observationem, quatenus sine compartis praeiudicio adhuc observari potest, nisi obtenta fuerit dispensatio. Et ordinarie quidem consulendum est, ut obligatio voti per dispensationem penitus auferatur, propter magna peccandi pericula.

§ 2. Mixta religio[1]).

562. Natura impedimenti. Impedimentum *mixtae religionis* exsistit inter duos baptizatos, quorum unus est catholicus, alter acatholicus (haereticus vel schismaticus). Matrimonium inter eos initum *matrimonium mixtum* (Mischehe) vocatur.

1. Matrimonia mixta *lege naturali et divina* prohibita sunt ex triplici potissimum ratione:

a. Periculum perversionis, quod subit pars catholica; et licet non adsit periculum amittendae fidei, tamen adest saltem periculum frigescendi in fide et periculum indifferentismi.

b. Periculum perversionis, quod subit proles ex matrimonio mixto nascitura; et licet non educetur in ipsa haeresi, tamen adest saltem periculum neglectae educationis vere catholicae.

---

[1]) *Krueckemeyer,* Die Mischehe in Theorie und Praxis 1904. *Ries,* Die Mischehe, eine ernste Pastorationsfrage 1918. *A. Stolz,* Der verbotene Baum (Freiburg, Herder. 1904). *H. Szillus,* Eine verbotene Frucht (Essen. Fredebeul u. Können. 1904).

c. Communicatio in sacris, quam committunt contrahentes, eo quod pars catholica sacramentum administrat haeretico et vicissim ab haeretico sacramentum recipit. Cui insuper accedit, quod pars catholica sacramentum administret indigno et sic ad eius sacrilegium cooperetur.

2. Matrimonia mixta etiam *lege ecclesiastica* prohibita sunt. Ecclesia iam antiquissimis temporibus ea prohibuit; et cum recenti tempore haec matrimonia invalescerent, antiquas prohibitiones innovavit, ut fideles a tanto malo averteret[1]). Novus *Codex* gravibus verbis de matrimoniis mixtis absterret[2]).

Ex decretis s. sedis parocho, cui se sistunt eiusmodi nupturientes, haec praestanda sunt[3]).

a. In primis eiusmodi matrimonium totis viribus *impedire* conetur.

b. Quodsi illud impedire nequit, exigendae sunt *condiciones*, quod universa proles in religione catholica educetur et quod parti catholicae et proli futurae plena libertas concedatur exercendi suam religionem.

c. Exigendae sunt *cautiones*, scilicet ordinarie scripto acatholicus promittere debet se condiciones fideliter servaturum esse[4]).

d. Quibus praemissis res deferenda est ed episcopum, qui a s. sede dispensationem procurabit.

e. Matrimonio assistere nequit, nisi consulto ordinario, qui id permittere potest, si urgeat gravis causa et si ipse iudicet condiciones promissas servatum iri.

f. Mixtis nuptiis iam celebratis sedulo invigilet, ut coniuges promissiones factas fideliter impleant[5]).

Matrimonio, quod contrahitur a parte catholica cum alia parte item catholica, quae fidem abiecit, sed nulli sectae haereticae accessit, non obstat quidem impedimentum ecclesiasticum mixtae religionis; nihilominus matrimonium iure naturali et divino per se graviter illicitum est, cum eadem immineant pericula.

563. Requisita ad dispensationem obtinendam tria sunt: *a.* debitae condiciones; *b.* opportunae cautiones; *c.* gravis dispensationis causa.

---

[1]) Cf. constitutio Benedicti XIV. *Magnae nobis* 29. iun. 1748, et instructio *Pii IX.* 15. nov. 1858 ad episcopos transmissa.

[2]) Cn. 1060 ss.

[3]) *S. Officium* 30. ian. 1867; 11. ian. 1899.

[4]) Cn. 1061, 2.

[5]) Cn. 1064, 3.

Condiciones sunt: a. ut universa proles in religione catholica educetur; *b.* ut parti catholicae plena libertas concedatur exercendi suam religionem.

Nota. Duplex promissio de procuranda conversione partis acatholicae et de non adeundo ministro haeretico, quae antea tamquam condiciones exigebantur, in novo iure inter condiciones non amplius recensentur; attamen alio loco de iis sermo est atque nupturientes de iisdem moneri debent. Cn. 1062 dicit: coniux catholicus conversionem partis acatholicae prudenter curare tenetur, et cn. 1063: coniuges nequeunt adire etiam ministrum acatholicum ad consensum matrimonialem praestandum vel renovandum.

Antiquitus ecclesia matrimonia mixta nunquam permisit nisi hac condicione, quod pars acatholica promiserit, se ad veram fidem redituram esse. Post ortum vero haeresis lutheranae ea etiam sine hac condicione permittere incepit[1]).

Cum his condicionibus non exhibitis matrimonium mixtum sit contra legem naturalem et divinam, patet ab iis praestandis nunquam dispensari posse[2]), et ecclesiam ab impedimento canonico non dispensare, nisi prohibitio legis divinae in casu particulari cessaverit.

Promissio de procuranda pro viribus conversione partis acatholicae continet obligationem caritatis, ad quam implendam pars catholica haec potissimum praestare debet, ut monitis et consiliis opportunis partem acatholicam ad veram fidem convertere prudenter conetur; ut pro eius conversione preces ad Deum fundat; praesertim vero ut virtutibus suis, maxime modestia, patientia et obsequiis (si sit uxor) fidei catholicae aestimationem et amorem insinuet[3]). De hoc medio sunt verba s. Petri[4]).

2. *Cautiones* opportunae i. e. tales promissiones utriusque partis, quae prudentem seu moralem certitudinem praebeant fore, ut condiciones essentiales fideliter impleantur.

---

[1]) Episcopi provinciae ecclesiasticae Milvaukensis decreverunt, non concedendam esse dispensationem ab impedimento mixtae religionis, nisi pars acatholica prius per sex hebdomadas bis in quavis hebdomada instructionem de religione catholica, praesertim de matrimonio et de obligationibus status matrimonialis, acceperit.

[2]) Sedes apostolica nuper 26. sept. 1890 litteris ad episcopos Hungariae datis iterum affirmavit, dispensationem a debitis condicionibus concedi non posse.

[3]) Instructio *S. C. de prop. fide* 9. dec. 1822.

[4]) 1. Petr. 3, 1 s. Cf. *s. Augustinus*, Confess. l. 9. c. 9.

Qua *forma* debitae cautiones praestandae sint (viva voce vel scripto, coram testibus vel notario, cum iuramento vel cum solo verbo honoris), lege universali hucusque praescriptum non est[1]). Lege autem particulari cautiones quandoque *scripto* per litteras reversales exhiberi debent; quodsi speciales rationes impediant, quominus cautiones scripto exhibeantur, episcopus permittere potest, ut pars acatholica verbis fidem seu promissionem praestet, si modo moraliter certus sit, promissa postea impletum iri[2]). Statuta tandem dioecesana quandoque etiam iuramentum vel contractum legalem vel alias insuper cautiones exigunt.

3. *Gravis causa,* ob quam dispensatio exigatur et concedatur, cum matrimonium mixtum sit contra legem universalem ecclesiae.

Olim ecclesia solum *ex publica* causa i. e. ex spe obtinendi magnum bonum commune dispensationem a lege prohibente matrimonia mixta concedebat; hodie dispensatio etiam ex causa *privata* conceditur, quae tamen vere gravis esse debet. Quodsi ecclesiae quandoque ad concedendam dispensationem sufficiat causa canonica, quae solum pro aliis impedimentis valeat, ipsa gravem causam habet permittendi eiusmodi matrimonia. Quare per se peccant sponsi, qui sine causa vere gravi dispensationem ad ineundum matrimonium mixtum petunt ecclesiamque timore maioris mali cogunt ad eam concedendam, quamvis cautiones debitas praestare parati sint[3]).

564. Liceitas matrimonii mixti. Exhibitis cautionibus et obtenta dispensatione *matrimonium mixtum* per se *licitum* dici debet. Duo enim obstant matrimoniis mixtis: perversionis periculum, quod imminet tum parti catholicae tum proli oriundae, et prohibitio ecclesiae; sed perversionis periculum saltem proximum cessat exhibitis cautionibus, et prohibitio ecclesiae cessat obtenta dispensatione. Verum ex concessa dispensatione non semper liceitas et minus plena liceitas matrimonii mixti colligi potest: quandoque enim ecclesia prudenti consilio permittit minora mala (perversionis pericula), dummodo seria adsit voluntas servandi cautiones, ad maiora mala vitanda e. g. ne pars catholica

---

[1]) Etiam novus *Codex* cn. 1061, § haec tantum habet: Cautiones regulariter in scriptis exigantur.

[2]) *S. Officium* 10. dec. 1902.

[3]) *Lehmkuhl,* Casus consc. II n. 911.

penitus a fide deficiat, ne sponsi diutius in matrimonio civili vivant etc.

a. Si perversionis periculum in casu particulari reipsa non solum non cessaret, sed etiam proximum esset, contrahentes contra legem naturae graviter peccarent.

b. Quamvis omne periculum animae in parte catholica et in prole vix unquam penitus sit exclusum, ex causa tamen sufficienter gravi remotum aliquod periculum licite admittitur. Ex hoc ipso, quia remotum aliquod perversionis periculum fere semper remanet, ecclesia in eiusmodi matrimoniis aegre dispensat eaque nunquam non dissuadet; insuper accedunt magna damna, quae religioni catholicae ex matrimoniis mixtis ubique oriuntur.

c. Sunt, qui dicant, matrimonium mixtum nunquam licitum esse posse, quia ab eo separari non possit vetita communicatio in sacris. Verum nihil occurrit, quod ob gravem causam non posset licite fieri. Et sane ex gravi causa licet indigno sacramentum administrare et hoc modo ad eius sacrilegium cooperari; licet ab haeretico sacramentum petere et recipere, quod ipse, si velit, sine peccato administrare potest (potest autem, si in mala fide sit, per contritionem perfectam statum gratiae sibi comparare); tandem communicatio in sacris cum excommunicatis post concilium constantiense non est amplius prohibita, nisi hi sint nominatim excommunicati[1]).

Nota. Quia matrimonia mixta per [illegible] tum legi divinae tum legi ecclesiasticae adversantur, et ecclesia ea semper detestatur; quia insuper eiusmodi matrimonia ordinarie infelicem exitum sortiuntur: parochus omnem curam adhibebit, ut partem catholicam a contrahendo eiusmodi matrimonio avertat. Et quoniam teste experientia sponsi initis sponsalibus aut praemissis iam diuturnioribus familiaritatibus vix amplius divelli possunt, conetur impedire, [illegible] inter catholicos et acatholicos contrahantur familiaritates, ex quibus matrimonia mixta oritura sint. Quodsi omnis conatus futurus sit irritus, id saltem curabit, ut requisitae condiciones ita exhibeantur, ut certa spes futurae exsecutionis praebeatur, et post celebratas mixtas nuptias diligenter invigilabit, ut promissae condiciones reipsa observentur.

§ 3. Cognatio legalis.

565. Declaratio. 1. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Dicitur *legalis*, quia a lege civili primum constituta est, etsi postea etiam a iure ecclesiastico recepta sit.

[1]) Cf. *Lugo*, De sacramentis disp. 8. n. 220 ss. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 714.

2. *Adoptio* definitur actus legitimus, quo in filium vel nepotem assumitur, qui filius vel nepos non est. Fieri debet per actum publicum iuxta statutas cuiusvis regionis leges. Quare adoptionis naturam, ambitum et effectus ex codice civili suae quisque regionis discere debet.

3. *Triplex cognatio legalis* ex adoptione oritur: *paternitas legalis* inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes; *fraternitas legalis* inter adoptatum et legitimos filios adoptantis, qui sub paterna potestate exsistunt; *affinitas legalis*, quae intercedit inter adoptantem et uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis.

4. In *iure romano* distinguitur adoptio *perfecta* seu arrogatio, si persona sui iuris a suprema auctoritate imperatoris ita in filium assumitur, ut in potestatem et familiam adoptantis transeat eiusque heres necessarius fiat aeque ac filii naturales et legitimi; et *imperfecta* seu adoptio simplex, si persona, quae sui iuris non est, ab inferiore auctoritate magistratus ita in filium assumitur, ut non transeat in familiam et potestatem adoptantis, sed tamen aliquod ius in hereditatem accipiat.

5. Ex adoptione perfecta in iure romano ortum est matrimonii *impedimentum dirimens* cognationis legalis, et quidem

a. Inter adoptantem, adoptatum et adoptati liberos ac descendentes (paternitas legalis).

b. Inter adoptatum et liberos legitimos adoptantis, qui tempore adoptionis in patria potestate constituti sunt (fraternitas legalis).

c. Inter adoptantem et uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis (affinitas legalis).

Impedimentum cognationis legalis *perpetuum* est i. e. etiam soluta adoptione durat in iis, inter quos paternitas et affinitas legalis exsistit, in iis vero, inter quos fraternitas legalis intercedit, soluta adoptione impedimentum cessat.

Adoptio solvitur tum per emancipationem personae adoptatae aut filii (filiae) adoptantis, tum per mortem adoptantis.

6. *Ecclesia* hanc romanorum legem suam fecit et cognationem ex adoptione perfecta ortam impedimentum ma-

trimonii dirimens constituit. Recentiore tempore pleraeque nationes iuri romano substituerunt proprios codices civiles, unde orta est quaestio, num adhuc vigeret impedimentum dirimens cognationis legalis. Quaestio in hunc modum soluta est: Impedimentum dirimens cognationis legalis in iis locis remanet, in quibus lex adoptionis quoad elementa substantialia cum adoptione perfecta iuris romani conveniat. Quare in singulis regionibus investigandum erat, num leges vigentes quoad substantialia adoptionem perfectam imitentur. Cum quaestionis decisio difficultate non careret factum est, ut hoc impedimentum tamquam dubium haberetur, nisi s. sedes authenticam declarationem de eo ediderit. Totam huius rei difficultatem novus Codex nunc aufert, eo quod legem civilem ut suam adoptat.

566. Natura impedimenti. 1. Peculiaris relatio, quae vi adoptionis inter adoptatum et familiam adoptantis exsurgit, rationem suppeditat statuendi, ne inter personas cognatione legali coniunctas matrimonium contrahatur. Reipsa ius civile adoptionem in multis regionibus impedimentum matrimonii constituit modo impediens modo dirimens. Utrum hoc impedimentum et quo modo matrimonio eccle. siastico obstet, a iure canonico dependet. Iam vero novus Codex legem civilem suam fecit eamque, ut aiunt, canonizavit.

2. In iis regionibus, ubi *legalis cognatio* ex adoptione orta matrimonium lege civili reddit illicitum, etiam iure canonico illicitum est[1]).

3. In unaquaque ergo regione dispiciendum est, num codex civilis cognationem legalem impedimentum matrimonii constituat, utrum impediens an dirimens, inter quas persanas vigeat et quamdiu duraturum sit. Haec omnia pari modo etiam in foro ecclesiae valent.

4. Cognatio legalis impedimentum matrimonii *impediens* affert in *Hungaria, Germania, Helvetia, Gallia.*

---

[1]) Cn. 1059.

In compluribus aliis regionibus cognatio legalis est impedimentum dirimens, ut infra dicetur[1]). Nota impedimentum canonicum non auferri dispensatione civili, sed solum dispensatione s. sedis.

567. De Indignis. Postquam de impedimentis impedientibus egerat, Codex statuit, quid parocho faciendum sit, si indigni matrimonium inire volunt[2]). Indignos duplicis generis recenset: *a.* notorios apostatas et sectae ab ecclesia damnatae adscriptos; *b.* publicos peccatores et censura innodatos. Quamvis eorum matrimonio proprie dictum impedimentum non obstet, peculiarem tamen pastorum curam merentur.

Ad 1. *a.* Fideles a matrimonio contrahendo cum apostatis vel sectae damnatae adscriptis deterrendi sunt: etenim tum alteri parti tum futurae proli non minus periculum ab his imminet, quam ab haereticis et schismaticis.

b. Parochus eiusmodi nuptiis assistere nequit, sed rem ad ordinarium referat.

c. Ordinarius licentiam assistendi concedere potest, si gravis causa urgeat et si prudenter iudicet, universam prolem catholice educandam et periculum perversionis alterius coniugis amotum esse.

Ad 2. *a.* Si publici peccatores vel notorie censura innodati ad confessionem accedunt, etsi sacrilege id faciant, in foro externo habentur tamquam reconciliati coram Deo et ecclesia; ideo nihil obstat, quominus ad matrimonium admittantur.

b. Si ad confessionem accedere recusant, parochus matrimonio ne assistat, nisi gravis causa (periculum matrimonii civilis, concubinatus, gravis damni etc.) urgeat.

c. De causa eiusque sufficientia, si fieri possit, ordinarius consulendus est.

---

[1]) Cf. *Chelodi* n. 57. In Austria ex adoptione Codex civilis nullum derivat impedimentum matrimonii; ibidem ergo nullum exsistit impedimentum canonicum impediens.

[2]) Cn. 1065 et 1066.

Articulus tertius.

De impedimentis dirimentibus.

568. Declaratio. *a.* Ut matrimonium valide et licite iniri possit, tria requiruntur: personae habiles, sufficiens consensus et debita forma. Tria ergo validitatem aut liceitatem matrimonii impediunt: *personarum inhabilitas*, *defectus consensus* et *defectus formae*. In antiquo iure haec omnia impedimenta matrimonii vocabantur et una simul sub titulo impedimentorum tractari solebant. Novus *Codex* solum inhabilitates personarum stricte et proprie impedimenta matrimonii vocat et sub hoc titulo de eis agit; de defectu consensus et de defectu formae alibi loquitur.

b. Impedimenta immediate ab ineundo contractu, mediate et consequenter etam a suscipiendo sacramento arcent.

c. In novo iure impedimenta dirimentia numerantur tredecim tantum: 1. Aetas, 2. Impotentia, 3. Ligamen, 4. Disparitas cultus, 5. Ordo sacer, 6. Professio religiosa, 7. Raptus, 8. Crimen, 9. Consanguinitas, 10. Affinitas, 11. Publica honestas, 12. Cognatio spiritualis, 13. Cognatio legalis.

§ 1. Aetas.

569. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *aetatis* in eo consistit, quod vir ante 16. aetatis annum completum, mulier ante 14. item completum matrimonium validum inire non possint[1]).

a. Etsi novum ius ad validum matrimonium ineundum maiorem aetatem quam antiquum exigat, fieri tamen potest, ut in nonnullis regionibus septemtrionalibus [illegible] hac quidem aetate plena pubertas naturalis cum potentia generandi proxima habeatur, ideo monet cn. 1067, 2: Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua matrimonium secundum regionis receptos mores iniri solet.

b. Ex duplici ratione maior aetas ad valorem matrimonii quam sponsalium requiritur, quia matrimonium tum maiorem iudicii maturi-

[1]) Cn. 1067, 1.

tatem tum etiam potentiam generandi postulat. Etenim contractus sponsalitius est contractus *promissorius* de futuro et natura sua rescindibilis, matrimonium vero est contractus *traditionis* de praesenti et indissolubilis; ideo in sponsalibus minor gradus cognitionis sufficit[1]).

2. Hoc impedimentum matrimonium dirimit *iure ecclesiastico*, quod iam ex eo patet, quod nunc ad validum matrimonium aetas maturior exigatur quam antea. Insuper iure naturali praeter sufficientem usum rationis nulla aetas ad valide contrahendum requiritur.

3. Quia hoc impedimentum est iuris ecclesiastici, summus pontifex per se in eo dispensare potest et reipsa ex gravissima causa quandoque dispensavit; quia tamen dispensatio rarissime conceditur, hoc impedimentum inter ea numeratur, in quibus *dispensari non solet*.

Cum impedimentum aetatis duplicem defectum respiciat, sufficientis discretionis et actualis potentiae generandi, et cum prior sit iuris naturalis, patet s. pontificem solum in posteriore dispensare posse.

570. Declaratio. *Iure naturae* ad valide contrahendum non requiritur nisi perfectus usus rationis, adeo ut habeatur plena cognitio iuris et obligationis, quae contrahendo suscipiuntur, quamvis usus iuris matrimonialis nondum sit possibilis. Quia tamen non convenit, ut matrimonium contrahatur, antequam coniuges ad usum matrimonii apti sint, sapienter ecclesia aetatem determinavit, qua haec aptitudo ex communiter contingentibus praesumi possit. Aetatis autem determinatio stricte intelligenda est, ita ut nullum sit matrimonium, etsi ad debitam aetatem pauci tantum dies deessent, immo si ultimus dies nondum esset completus.

a. In nostris regionibus vix contingit, ut impuberes matrimonium contrahant; in regionibus autem infidelium matrimonia inpuberum frequentissima sunt, quae quidem inter ipsos infideles, nisi aliud obstet impedimentum, valida haberi debent.

b. Si sponsi ante aetatem canonicam matrimonium inire intendunt, parochus rem ad episcopum deferre debet, ad quem pertinet declarare, num in sponsis reapse adsit habilitas, quae requiritur, nempe prudentia et potentia generandi; dispensare autem non potest, ne quidem in casu dubii[2]).

---

[1]) Cf. *Wernz* n. 314 nota 30.

[2]) *Benedictus XIV.* constitutione *Magnae nobis*.

§ 2. *Impotentia.*

571. Definitio. *Impotentia* est inhabilitas ad copulam perfectam i. e. per se aptam ad generationem prolis. Tria autem requiruntur, ut copula per se ad generationem apta sit; *a.* ex parte *viri* unus saltem testiculus; *b.* ex parte *mulieris* unum saltem ovarium; *c.* ex parte *copulae,* ut semen virile cum ovulo femineo misceri possit, et ideo in viro penis, quo semen in vaginam mulieris iaculatur, et in muliere vagina et uterus, atque inter haec communicatio, ut semen in uterum recipi et cum ovulo commisceri possit.

a. Ab impotentia distingui debet *sterilitas,* quae est inhabilitas ad *actualem generationem,* quamvis copula perfecta haberi possit, ut accidit in senibus. Patet essentiale discrimen inter steriles et impotentes: steriles enim solum propter defectum accidentalem, impotentes vero propter defectum substantialem inhabiles sunt ad generandum. Ideo [illegible] steriles sunt, eunuchi vero et spadones (castrati) impotentes sunt[1]): hi enim semine prorsus carent, sine semine autem copula naturalis haberi nequit; illi autem virili semine non carent, etsi hoc ob senium vel aliam causam non sit prolificum. Mulieres perfecte castratae impotentes, mulieres [illegible] steriles sunt: illae enim carent ovariis, hae ovariis non carent, etsi ob senium ovula non elaborent. *Causae* sterilitatis *ex parte viri* praeter senectutem sunt potissimum diversi morbi, quibus testiculi affecti sunt; in *mulieribus* sterilitas ex mala affectione ovariorum aliorumque organorum generationi inservientium provenire potest.

b. Ab impotentia *generandi* distingui debet impotentia *coeundi;* illa habetur, quando desunt elementa ad generationem necessaria, scilicet in viro testiculi et proinde semen, in muliere ovaria; haec est inhabilitas habendi copulam [illegible] se idoneam ad generationem.

c. Cum per copulam perfectam mixtio fiat seminum, ut veteres loquebantur, seu, ut recentes loquuntur, ovuli feminei et seminis virilis, per eandum coniuges fiunt *una caro.* Attamen ut coniuges fiant una caro, non requiritur, ut utriusque semina reipsa commisceantur, sed sufficit, ut per se commisceri possint, etsi per accidens, ut in sterilibus et senibus, [illegible] commisceantur et proin foetus non concipiatur.

d. In triplici ergo casu habetur *impotentia:*

α. Si vir caret utroque testiculo; ideo eunuchos et spadones impotentes declaravit *Sixtus V.*[2]); vel si subiit vasectomiam; vel si testiculi perfecta atrophia laborant.

---

[1]) *Eunuchi* dicuntur, qui absque testiculis nati sunt; *spadones* vocantur, qui arte vel casu testiculis orbati sunt.

[2]) Constitutione *Cum frequenter* 27. iun. 1587.

β) Si mulier caret utroque ovario vel utero aut his omnibus simul. Hodie quidem complures theologi opinantur non esse impotentem sed sterilem mulierem, quae utroque ovario vel utero aut ovariis et utero caret; hi nimirum impotentiam non inhabilitatem generandi, sed inhabilitatem coeundi definiunt; sed theoretice retinenda videtur sententia olim communis, quia ex mente auctorum certum videtur ibi adesse impotentiam, ubi adest inhabilitas ad copulam ex se aptam ad generationem[1]). Quaestionem, num validum sit matrimonium initum cum muliere ovariis atque utero carente, s. sedes hucusque non definierat, nec *Codex* iur. can. [illegible] resolvit, sed haec tantum addit: *Si impedimentum impotentiae dubium sit*, sive dubio iuris sive dubio facti, *matrimonium non est impediendum*[2]), quae erat praxis s. sedis hucusque servata[3]).

γ) Si deest potentia coëundi; haec autem deest in viro [illegible] defectu physico, si eius organum virile adeo imperfecte formatum est, ut copulam naturalem habere non possit, [illegible] defectu psychico, si propter frigiditatem irritari ad copulam non possit; deest in muliere, si vagina caret vel si vagina penitus occlusa vel si tam arcta est, ut penetrari nullatenus possit.

e. Inter causas impotentiae veteres theologi et canonistae etiam *maleficium* commemorant, quo daemon efficit, ut vir et femina coire non possint, etsi alias non sint inhabiles. Iam vero negari non potest, impotentiam [illegible] maleficio ope daemonis oriri posse et quandoque de facto ortam esse[4]); sed item exploratum est complura impedimenta coitus, quae veteres maleficio tribuebant, a causis naturalibus ortum habere.

Nota. Sunt naturae frigidae, quae libidine sexuali (Geschlechtstrieb) prorsus carent. Rarius inter viros, frequenter autem inter mulieres eiusmodi naturae reperiuntur. Et mulieres quidem actum coniugalem exercere, quin et prolem generare possunt, etsi hoc defectu laborent; viris tamen copula cum eiusmodi mulieribus, propter carentiam amoris sexualis, minus grata atque amoena exsistit, qui propterea non raro apud alias mulieres adulterando quaerunt amoenitates, quas propria uxor eis suppeditare nequit. Viri autem frigidi plerumque impotentes sunt, utpote erectionis atque eiaculationis incapaces.

---

[1]) Cf. *Antonelli*, De conceptu impotentiae et sterilitatis (Romae. Pustet 1900). *Idem*, Pro conceptu impotentiae et sterilitatis (Ibidem 1901). *Idem*, De mulieris excisae impotentia ad matrimonium (Ibidem, 1903). Econtra *Eschbach*, Disputationes etc. (Romae. Desclée. 1901) p. 14 ss. *Gasparri* n. 513.

[2]) Cn. 1068, 2.

[3]) *S. C. de Sacram.* 2. april. 1909.

[4]) Cf. Tob. 6, 14 ss.; 7, 11 ss.

572. Divisio. Impotentia est: *a. Perpetua* aut *temporalis,* prout mediis humanis licitis nec graviter periculosis tolli potest aut non potest.

Perpetua censetur impotentia, quae removeri non potest absque periculo vitae vel gravis morbi, afferentis scilicet periculum mortis. Hinc si mulier laborans impotentia perpetua subiret operationem periculosam, quae optatum effectum adduceret eamque redderet potentem, vel ad alias nuptias transire posset, vel cum priore viro valide contrahere deberet.

b. Absoluta aut *relativa,* prout habetur aut relate ad quamcunque personam, aut tantum relate ad determinatam personam. Impotentia relativa potest esse perpetua i. e. fieri potest, ut non exsistant media, per quae determinatae personae aptae fiant ad copulam inter se habendam.

c. Antecedens aut *consequens,* prout matrimonium antecedit, aut contracto demum matrimonio oritur, ut si viro contracto iam matrimonio excidantur ambo testiculi.

d. Naturalis aut *accidentalis,* prout a natura seu a naturali corporis constitutione, aut ex causa accidentali e. g. ex morbo originem ducit.

573. Impedimentum *impotentiae* in eo consistit, quod matrimonium inter eos initum, qui inhabiles sunt ad copulam ad generationem aptam, nullum sit: etenim non potest esse validum matrimonium, in quo primus et principalis matrimonii finis obtineri nequit[1]).

1. Impotentia *perpetua* et *antecedens* dirimit matrimonium, si *absoluta* est, cum quavis persona, si *relativa* est, cum illa, quacum copula perfecta haberi nequit.

2. Nec impotentia *temporalis* nec impotentia *consequens* dirimit matrimonium: non *prior,* quia non facit simpliciter ineptum ad generandum, sed solum ad tempus; non *posterior,* quia supervenit matrimonio valido, quod est indissolubile.

---

[1]) *Impotentia* antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit, cn. 1068, 1. *Sterilitas* matrimonium non dirimit nec impedit, cn. 1068, 3.

a. Ad quaestionem, *num obligatio sit tollendi impotentiam* post matrimonium detectam, ita respondendum: si absque periculo vitae vel gravis morbi, etsi non sine gravi molestia et dolore, auferri potest, exsistit obligatio eam tollendi: tenetur enim mulier grave incommodum subire, ut reddere possit ius, quod vir contractu matrimoniali acquisivit, quia hoc censetur medium ordinarium; quodsi absque periculo vitae vel gravis morbi auferri non potest, non tenetur, quia obligari nequit ad subeundum tantum incommodum, ut ius viri servetur (nisi dicendum sit, matrimonium in hoc casu esse invalidum), quia hoc censetur medium extraordinarium.

b. Attamen *s. Alphonsus* (n. 1009) valde probabilem censet hanc sententiam, mulierem non teneri ad subeundam incisionem, si prae verecundia toto animo abhorreret se subiicere oculis et manibus chirurgi. Verum nostri temporis modus sentiendi atque agendi in hac re longe distat a modo sentiendi agendique temporum s. Alphonsi. Quare hanc sententiam innuisse sufficiat.

c. Ad quaestionem, *num validum sit matrimonium*, si mulier per operationem facta sit potens, ita respondendum est: si operatio fuit periculosa, matrimonium est invalidum et per renovationem consensus convalidari debet, utrum in forma praescripta an privatim tantum, dicetur infra; si operatio non fuit periculosa, matrimonium validum est; si de periculo dubium est, consensus saltem ad cautelam privatim renovandus est. Eo autem sufficienter renovatur, quod coniuges, de dubio valore matrimonii conscii, vitam coniugalem continuant.

3. Hoc impedimentum est *iuris naturae:* obiectum enim contractus matrimonialis est ius in corpus prout aptum est ad copulam coniugalem perfectam, sed ubi deficit essentiale obiectum, contractus ex rei natura est nullus.

Nota 1. Ex recentiorum physiologorum sententia, quae experientia innititur, ad generationem absolute non requiritur, ut semen virile intra vas femineum immittatur, sed sufficit, ut ad ora vaginae affundatur. Inde orta est quaestio, num adsit impedimentum impotentiae, si vagina mulieris propter arctitudinem absolute penetrari non possit. Sunt, qui negent adesse absolutam impotentiam, quamvis vagina mulieris absolute penetrari non possit, quia generatio non est absolute impossibilis. Verum omnino assentiendum videtur *Eschbach, Lehmkuhl, Wernz*, qui censent eos ad matrimonium impotentes esse, qui ex causa qualicunque copulam cum penetratione vasis feminei habere non possunt, quia inhabiles sunt ad praestanda ea, quae ad *copulam naturalem* essentialiter requiruntur. Affirmanda enim videtur absoluta impotentia ad matrimonium, ubi habetur absoluta impotentia ad copulam naturalem, etsi *per accidens* haberi possit generatio. Practice impedi-

mentum in hoc casu haberi potest dubium, ideoque decisio a s. sede petenda esset.

Nota 2. Qui matrimonium contrahit, laborans impotentia temporanea, quam brevi auferendam putat, non peccat; sed qui matrimonium contrahit impotentia temporanea diu duratura laborans nec comparti eam detegit, dupliciter peccat, eo quod compartem decepit quoad qualitatem necessariam et eo quod periculo incontinentiae eam exponit.

4. De impotentia perpetua ante matrimonium *dubitans* non potest licite matrimonium contrahere, donec re diligenter investigata dubium deposuerit: secus enim exponit sacramentum periculo nullitatis et compartem periculo deceptionis in qualitate necessaria. Quodsi post investigationem dubium perdurat, positive dubitans potest licite matrimonium contrahere, dummodo alteram partem de dubio moneat, atque matrimonio uti, usquedum impedimentum factum sit certum.

574. De matrimonio cum parte impotente inito.

1. Si impotentia antecedens *certa* est, statim propria coniugum auctoritate facienda est separatio quoad torum; omnimoda autem separatio absque iudice ecclesiastico fieri non potest; quare possunt quidem quandoque excluso incontinentiae periculo tamquam frater et soror cohabitare, ordinarie autem ad iudicem ecclesiasticum recurrendum et impedimentum rite probandum est, quo facto iudex sententiam de nullitate matrimonii fert, et coniuges separantur.

a. Antiquitus quidem praxis separandi coniuges, quorum matrimonium ob impotentiam antecedentem nullum erat, nondum ubique in ecclesia invaluerat, sed putativi coniuges ut frater et soror cohabitare permittebantur; abolita autem hac licentia *per Sixtum V.* praxis separandi coniuges facta est universalis[1]), quia semper adesse solet periculum incontinentiae. Si tamen separatio coniugum sit moraliter impossibilis, ut ubi legcs civiles, quae impedimentum impotentiae non agnoscunt, coniuges simul permanere cogunt, etiam nostro tempore permittitur, ut cohabitent ad modum fratris et sororis, dummodo absit periculum peccandi[2]).

---

[1]) Constit. *Cum frequenter* 27. iun. 1587.

[2]) *S. C. C.* 15. dec. 1877. *S. Officium* 8. mart. 1900.

b. Si confessarius advertit coniuges esse in bona fide i. e. eos putare [redacted] in legitimo matrimonio vivere et simul advertit impotentiam esse occultam, separationem autem moraliter impossibilem, eos in bona fide relinquere potest.

2. Si impotentia *dubia* est (sive dubium supervenit, sive praecessit), licite possunt coniuges uti matrimonio, etsi extra vas semen effundatur: quamdiu enim impotentia dubia est, semper adest aliqua spes copulam rite exercendi. Interim tamen apta remedia ad auferendam impotentiam adhiberi debent. Quodsi adhibita remedia nihil prosint, et usus matrimonii cognoscatur impossibilis, res ad ordinarium deferenda est ad obtinendam aut coniugum separationem aut nullitatis declarationem.

a. Cum his consentit novus *Codex:* quod enim cn. 1068, 2 affirmat: „Si impedimentum impotentiae dubium est, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum", valet etiam de usu matrimonii, quamdiu impedimentum dubium est.

b. Olim coniugibus ab ecclesia concedebatur *triennalis experientia,* quo tempore debitum petere et reddere poterant, ut hac ratione constet, num revera adsit impotentia. Elapso demum triennio, si de impotentia constabat, matrimonium declarabatur solutum. Iuxta hodiernam praxim eiusmodi experimentum non amplius requiritur et cum novum ius de triennali experientia sileat, ea [redacted] amplius conceditur, sed conceditur dispensatio in matrimonio rato et non consummato. Etenim si constat matrimonium non fuisse consummatum, facilior et brevior exstat via solvendi matrimonium, nimirum petendo dispensationem in matrimonio rato non consummato, quam declarationem nullitatis, quia impotentia antecedens et perpetua difficulter probari potest.

De hermaphrodismo[1]).

575. Ut status quaestionis pateat, distinguendus est hermaphrodismus perfectus, imperfectus et improprie dictus.

a. Hermaphroditi (Zwitter) proprie dicuntur homines, qui organorum utriusque sexus participes sunt, ideoque in opere generationis pro lubitu vel virum vel feminam agere possunt. Eiusmodi hermaphroditos veros atque *perfectos* nunquam exstitisse nec exsistere unquam posse hodie ex physiologiae legibus certum est; at hermaphroditos im-

[1]) Hermaphroditus (ἑρμαφρόδιτος) dicitur homo, qui a Mercurio (Ἑρμῆς) et Venere (Ἀφροδίτη) natus utriusque sexus particeps est.

perfectos et improprie dictos exsistere et antea exstitisse experentia compertum est.

Ergo *antiquorum de hermaphroditis doctrina*, quam *s. Alphonsus* ex Busenbaum ita proponit: „si alter sexus emineat, secundum illum tantum valebit matrimonium; si uterque sit par, optio illis datur, utrolibet utantur, ita tamen, ut, quem semel elegerint, semper retineat" — haec inquam doctrina haberi debet tamquam antiquata.

b. Hermaphroditi *improprie dicti* sunt homines determinati quidem sexus, qui tamen praeter organa propria aliquo ex organis essentialibus alterius sexus donati sunt e. g. mas ovario vel utero femineo, femina testiculo virili. Hi quidem ad opus generationis perficiendum non sunt inepti.

c. Hermaphroditi *imperfecti* (Scheinzwitter) dicuntur homines dubii sexus, qui nec veri mares nec verae feminae sunt, cum eorum organa sexualia ita formata sint, ut utriusque sexus organa haberi possint. Hi ad opus generationis perficiendum ordinarie inepti sunt, cum in eo nec virum nec feminam agere possint[1]). Ab eligendo statu sacerdotali vel regulari eiusmodi homines arcendi sunt.

§ 3. Ligamen.

576. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *ligaminis* in eo est, quod coniux vinculo matrimonii ligatus non possit validum matrimonium inire, nisi prius matrimonium rite solutum fuerit: qui enim ius in corpus suum uni iam tradidit, non potest idem ius alteri tradere, nisi prior contractus legitime solutus sit[2]).

Nomine *ligaminis* intelligitur vinculum matrimoniale, quo uterque coniux alteri alligatus est. Hoc impedimentum constitutum est, ut servetur unitas matrimonii.

2. Impedimentum hoc fundatur in dogmate de unitate et indissolubilitate matrimonii, quare *iuris naturalis secundarii* est, si vir aliud matrimonium inire attentat vivente adhuc uxore; si autem uxor matrimonium inire attentat vivente adhuc viro, impedimentum *iuris naturalis primarii* est.

---

[1]) Cf. *A. Eschbach*, Disputationes physiolog. theolog.[2] p. 53.

[2]) Matth. 19, 9. I. Cor. 7, 39. Cn. 1069, 1; Invalide matrimonium attentat, qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consumati, salvo privilegio fidei.

Exsistente priore matrimonio aliud novum matrimonium valide iniri non posse, ecclesia nullo non tempore docuit, etsi secundum matrimonium consummatum, primum autem solum ratum fuerit. Quare secundum matrimonium simpliciter pro concubinatu habet, etsi iudex saecularis vel secta religiosa primum matrimonium solutum declaraverit. In polygamia vero infidelium prima uxor habenda est pro legitima, nisi ob aliquod dirimens impedimentum matrimonium demonstretur invalidum.

577. Certitudo de statu libero. 1. Ut secundum matrimonium *licite* iniri possit, requiritur, ut *morali certitudine* constet prius matrimonium vere solutum esse, nec sufficit probabilitas de obitu coniugis licet maxima[1]): sacramentum enim extra casum necessitatis periculo nullitatis exponere non licet, Quare secundum matrimonium absque certa cognitione de dissolutione prioris initum graviter illicitum, sed tamen validum est, si prius matrimonium revera solutum sit.

2. De comparanda morali hac certitudine complures instructiones romanarum congregationum prodierunt[2]), ex quibus haec habentur:

a. Non sufficit diutina absentia unius coniugis nec sola fama de eius obitu nec unius testis affirmatio, nisi sit omni exceptione maior eiusque testimonium ex adiunctis firmetur. Sed requiritur *probatio positiva et legitima*, qualis ordinarie est aut documentum authenticum aut, si hoc haberi nequeat, testimonia duorum testium, qui omni exceptione maiores sint.

b. Extraordinarie admittitur etiam *probatio per indicia*, quae simul sumpta sufficiant ad moralem certitudinem

---

[1]) Cn. 1069, 2: Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

[2]) *Instructio s. Officii (1870) ad probandum obitum alicuius coniugis;* Instructio *Clementis X.* 21. aug. 1670, quae plenam certitudinem de statu libero contrahentium procurandam praescribit. Cf. Acta s. sedis VI. p. 436 ss.

gignendam. Eisdem nixus iudex ecclesiasticus obitum coniugis authentice declarat.

Si [redacted] coniugis in ipsa parochia accidit, in qua secundae nuptiae celebrantur, testimonium non requiritur, cum agatur de facto publice noto. Quodsi coniux in alio loco obiit, requiritur testimonium authenticum parochi loci, ubi mors accidit. Hoc testimonium sigillo parochiali, et si e dioecesi longinqua acquirendum sit, etiam sigillo curiae episcopalis munitum esse debet[1]). [redacted] eiusmodi testimonium authenticum obtineri nequit, res non amplius ad parochum spectat, sed ad ordinarium deferenda est. Quid in hoc casu agendum sit, docet citata instructio s. Officii.

Si coniux bona fide novum matrimonium contraxit vivente adhuc altera parte, hoc matrimonium post mortem compartis reipsa secutam non fit [redacted] validum, sed renovari debet consensus.

§ 4. Disparitas cultus.

578. Natura impedimenti. Impedimentum *disparitatis cultus* in eo consistit, quod inter baptizatum in ecclesia catholica vel ad eam conversum et non baptizatum matrimonium validum iniri non possit. Quodsi ex haeresi vel schismate conversus postea ab ecclesia catholica iterum deficit, habetur ut catholicus, et propterea hoc impedimento ligatur.

Disparitas cultus inter coniuges dicitur *perfecta*, si una pars baptizata, altera non baptizata est, et dicitur *imperfecta*, si una pars catholica, altera acatholica seu haeretica vel schismatica est. Illa proprio et stricto sensu disparitas cultus, haec proprio nomino *mixta religio* vocatur.

1. Hoc impedimentum, quatenus *dirimens* est, *iuris ecclesiastici* est: etsi enim testimonium iuris antiqui hoc impedimentum statuentis non exstet, longo tamen usu ecclesiae, qui vim legis obtinuit, certum est disparitatem

[1]) Ut matrimonium in foro civili validum habeatur, in Austria (C. A. n. 112. ss.) testimonium potestatis civilis de morte coniugis requiritur, quo testimonio nondum obtento parochus ad nuptias procedere non potest. Etsi hoc testimonium civile in foro eccles. non sufficiat, iudex ecclesiasticus tamen illo iuvari potest.

cultus matrimonium dirimere[1]); novo *Codice* autem expresse statuitur[2]).

a. Statutum est hoc impedimentum, ne ex arcta familiaritate cum infidelibus fidelis [illegible] cum prole *periculum amittendae fidei* subeat; deinde etiam [illegible] matrimonium, quod inter baptizatos sacramentum est, contrahatur a baptizato cum [illegible] baptizato: praesertim vero quia matrimonio, quod natura sua involvit intimam animorum coniunctionem, nihil magis adversatur, quam disparitas cultus et proinde disparitas in supremis vitae moralis et religiosae principiis.

b. Ecclesia ergo in hoc impedimento *dispensare potest*, et in regionibus quidem infidelium ex causa urgenti facilius dispensat; in nostris autem regionibus valde difficulter conceditur dispensatio, et multo difficilius, si agitur de matrimonio christiani cum iudaeo. Quodsi ecclesia ex gravi causa in hoc impedimento dispensat, id solum fit *sub iisdem condicionibus, sub quibus matrimonia mixta permittuntur*[3]). Quae condiciones si non praestantur, dispensatio nunquam conceditur. Dispensatio [illegible] impertita ab habente [illegible] sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus, invalida est. Et matrimonii nullitatem, si de [illegible] ob hanc causam evidenter constat, ipse Ordinarius declarare potest, nec necessarius est ad s. sedem recursus[4]).

c. Ad convalidandum matrimonium propter impedimentum disparitatis cultus invalidum facilius conceditur dispensatio. Sic episcopis americanis concessa est facultas convalidandi per sanationem in radice etiam matrimonia propter disparitatem cultus invalida; solum si agitur de matrimonio inito cum iudaeo, in singulis casibus, expositis accurate omnibus adiunctis, recurrere debent ad s. sedem.

2. Hoc impedimentum, quatenus *prohibens* est, *iuris naturalis et divini* est; ratio *primi* est perversionis periculum, quod tum coniugi fideli tum proli futurae imminet; ratio *secundi* est prohibitio, quae in s. scripturis habetur:

---

[1]) Cf. constit. Benedicti XIV. *Singulari nobis* (9. febr. 1749) n. 10. Ineunte saeculo 13. disparitas cultus iam est impedimentum matrimonii dirimens.

[2]) Nullum est matrimonium contractum [illegible] persona non baptizata cum persona baptizata in ecclesia catholica vel ad eandem [illegible] haeresi vel schismate conversa. Cn. 1070, 1.

[3]) Quae de mixtis matrimoniis (n. 540) praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus. Cn. 1071.

[4]) *S. Officium* 21. iun. 1912.

nolite iugum ducere cum infidelibus[1]) i. e. nolite coniugium inire cum infidelibus.

Ergo etiam graviter illicitum est matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, quod tum solum licitum fieri potest, si proximum perversionis periculum fiat remotum, et si gravis causa exsistat petendi et concedendi dispensationem ab hoc impedimento.

3. *Haeretici et schismatici* hoc impedimento non tenentur. Matrimonium ergo inter haereticum vel schismaticum valide baptizatum et infidelem nunc validum est.

a. Apostatae a vera fide catholica, item haeretici vel schismatici conversi, qui postea a vera fide iterum defecerint, hoc impedimento ligantur.

b. Magnum intercedit *discrimen* inter antiquum impedimentum disparitatis cultus et modernum. Hucusque enim disparitas cultus matrimonium dirimebat inter quemcunque baptizatum et non baptizatum, nunc autem solum inter baptizatum in ecclesia catholica (cui aequiparantur haeretici vel schismatici conversi) et non baptizatum. Ergo validum est matrimonium inter haereticum valide baptizatum et infidelem, quod antea invalidum erat.

c. Quia hoc tempore de valore baptismi ab haereticis collati saepe merito dubitatur, complura matrimonia haereticorum ob disparitatem cultus erant invalida. Forte ideo ecclesia hoc impedimentum restrinxit, ne multa haereticorum matrimonia essent invalida.

d. Matrimonia ergo haereticorum et schismaticorum usque ad 19. maii 1918 contracta iuxta legem pristinam diiudicanda sunt.

579. In dubio de baptismo. Hic non agitur, nisi de quaestione, num baptismus dubius in casu disparitatis cultus inter nupturientes ad validum matrimonium contrahendum sufficiat. Iam vero ex compluribus decretis et declarationibus *s. Officii* atque ex novo *Codice*[2]) servanda est haec regula:

1. Baptismus dubius, sive de eius collatione sive de valore baptismi collati dubitetur, in ordine ad matrimonium tum contrahendum tum contractum *ex praesumptione* pro

---

[1]) 2. Cor. 6, 14; idem prohibetur etiam 1. Cor. 7, 39.

[2]) *S. Officium* 17. nov. 1830; 7. iul. 1880; 9. sept. 1868; 18. sept. 1872; 18. sept. 1890. Cn. 1070, 2.

valido habetur, et solum si certo constat baptismum aut non collatum aut [invalide collatum fuisse, adest impedimentum disparitatis cultus.

a. Catholicus, qui de valore baptismi suscepti [illegible] dubitat, sive in casu matrimonii ineundi sive extra hunc casum, sub condicione rebaptizandus est: agitur enim de sacramento ad animae salutem necessario.

b. Illicita atque reprobanda est praxis administrandi baptismum sub condicione parti acatholicae, quae in haeresi permanere declarat, si ante matrimonium [ineundum oriatur dubium de eiusdem valore. Sed orto einsmodi dubio imprimis investigationes instituendae sunt, quae si inutiles fuerint, dubium ex praesumptione auferendum et matrimonium sive contrahendum sive contractum pro valido habendum est.

c. Si baptismus dubius, qui validus praesumitur, reipsa nullus erat, nonnulli auctores putabant, matrimonium, etsi obstet disparitas cultus, tamen validum fuisse, sive quod ecclesia implicite dispensaverit, sive quod hunc casum ab initio [illegible] lege impedimenti exemerit, reipsa autem ex cn. 1070, [illegible] invalidum est.

2. Si baptismus dubius, qui praesumitur validus, postea *certo detegatur nullus*, recurrendum est ad s. sedem, quae praescribet, quid faciendum sit.

Ut sciatur, quando *valor* baptismi rite praesumi possit, *s. Officium* haec statuit:

Quoad haereticos, quorum ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

Quoad alios, qui iuxta ritualia sua valide baptizant, validum censendum est baptisma, nec requiritur ulterius examen in casibus particularibus.

Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. Unde colligitur principium generale, quod s. sedes in hac re tenet: *baptismus dubius in ordine ad matrimonium contrahendum vel iam contractum haberi debet ut validus.*

§ 5. Ordo sacer.

580. Natura impedimenti. Impedimentum *ordinis* in eo consistit, quod matrimonium validum inire non possit,

qui ordinem sacrum (subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus) suscepit[1]).

a. Ordo sacer matrimonium antea contractum non dirimit, sed solum eius usum impedit.

b. Quaestionem hucusque agitatam, num clericus ordinem maiorem suscipiens votum castitatis saltem implicite emittere debeat, novus Codex non solvit. Ideo certo non constat, utrum vis matrimonium irritans sola lege ecclesiastica, an ex lege ecclesiae mediante voto, vel ex lege et voto simul oriatur.

1. Triplex condicio requiritur ad inducendum hoc impedimentum: *a.* ut ordinatio valida sit;

b. Ut sit libere suscepta. Codex de hac re statuit: Qui gravi metu coactus ordinem sacrum suscepit nec, metu remoto, ordinationem ratam habuit, ab obligationibus clericalibus immunis declaretur[2]). Quo facto valide et licite matrimonium inire potest.

c. Ut sit suscepta cum cognitione obligationis: ecclesia enim non vult clerico hoc onus imponere, nisi ipse ultro velit.

a. Si quis gravi et iniusto metu coactus sacram ordinationem suscipit, ordinatio valida quidem est, attamen ordinatus neque ad continentiam tenetur, neque ad matrimonium contrahendum inhabilis redditur, nisi postea expresse vel tacite (per exercitium s. ordinis) in obligationem coelibatus ex statuto ecclesiae ordini annexam consentiat.

b. Sunt, qui dicant, votum sollemne in ordine religioso et in suscipiendo ordine sacro emissum unum esse impedimentum[3]); attamen nonnulli auctores tenent *diversa esse impedimenta*, quia utriusque impedimenti diversa sit ratio et diversus effectus[4]).

2. Hoc impedimentum est *iuris ecclesiastici*: etenim neque ex natura ordinis sacri neque ex vi interna voti sollemnis castitatis, sed ex sola lege ecclesiastica derivandum est[5]). Votum enim non natura sua, sed ex dispositione ecclesiae matrimonium dirimit. Ordinem sacrum autem cum matrimonio consociari posse, ex praxi ecclesiae orientalis colligitur.

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. can. 9. De sacr. matrim. Cn. 1072. Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.

[2]) Cn. 214 1.

[3]) *Lehmkuhl* Th. mor. II. n. 749 (n. 981).

[4]) Cf. *Matharan* n. 251.

[5]) *Benedictus XIV.* De synodol. 12. c. 4. n. 2. *Wernz* IV. n. 392 s.

Licet ideo non sit omnino indispensabile, valde tamen difficile sacerdoti conceditur dispensatio, adeo ut ex actis non constet, unquam concessam [illegible] hanc dispensationem ad contrahendum (sed solum ad convalidandum) matrimonium. Minor est dispensationis difficultas cum diaconis et subdiaconis.

3. *Poenae* hodie vigentes sunt: *a. Excommunicatio* latae sententiae sedi apostolicae simpliciter reservata, quam incurrit tum clericus matrimonium attentans, tum persona, quacum illud attentat[1]). *b. Ammissio* omnium officiorum ipso facto, si matrimonium etiam civile tantum contraxerit[2]); *c. Degradatio*, si ab ordinario monitus post praefinitum tempus non resipuerit[3]); *d.* Irregularitas ex delicto[4]).

§ 6. *Votum sollemne.*

581. Natura impedimenti. Impedimentum *voti* in eo consistit, quod validum matrimonium inire non possint, qui votum sollemne castitatis perfectae in ordine religioso sponte emiserint, vel simplex tantum, cui tamen ex speciali privilegio vis inest dirimendi matrimonii[5]).

a. Votum sollemne: votum enim *simplex* castitatis perfectae in religione emissum matrimonium impedit, non dirimit. *b. In ordine religioso:* votum enim simplex castitatis perfectae et perpetuae in aliqua congregatione emissum pariter matrimonium non dirimit. *c.* Castitatis *perfectae:* votum enim sollemne castitatis non perfectae sed coniugalis tantum, quod in nonnullis ordinibus equestribus emittitur, impedimentum non constituit. *d. Sponte:* nam ut votum sollemne matrimonium dirimat, professio religiosa debet esse valida; at non est valida, si non est omnino libera, sed fraude vel metu gravi et iniusto extorta.

---

[1]) Cn. 2388, 1.
[2]) Cn. 188, 5.
[3]) 2388, 1.
[4]) 985, 3.
[5]) *Concilium trid.* sess. 24. can. 9. De sacr. matrim. Cn. 1073: Invalide matrimonium attentant religiosi, qui vota sollemnia professi sint aut vota simplicia, quibus [illegible] speciali s. sedis praescripto vis addita est nuptias irritandi.

b. Votum igitur sollemne castitatis in religione emissum quoad matrimonium duplicem effectum habet, solvendi matrimonium iam contractum, si nondum consummatum est, et dirimendi matrimonium futurum.

1. Impedimentum voti est *iuris ecclesiastici* tantum: etenim si ipsum votum natura sua hunc effectum produceret, etiam votum simplex, quippe quod interna sua natura a sollemni non differat, matrimonium dirimeret; ergo illud dirimit, quatenus sollemne est; atqui sollemnitatem habet votum ab ecclesia; ergo etiam vim dirimendi matrimonium ab ecclesia habet.

a. Hinc sequitur summum pontificem eum, qui sollemnem professionem emiserit, ad matrimonium ineundum *dispensare* posse; quae quidem dispensatio, etsi raro et difficile concedatur, a summis pontificibus tamen quandoque tum antea, tum nuper iterum a Leone XIII. concessa est[1]).

b. In voto sollemni ad ineundum matrimonium dispensans proprie duplicem eamque diversam potestatem exercet, alteram, qua sollemnitatem voti [illegible] inhabilitatem ad contrahendum voto annexam aufert, alteram, qua votum ipsum relaxat. Sollemnitas voti est iuris ecclesiastici et matrimonium reddit invalidum; obligatio voti est iuris divini et matrimonium reddit solum illicitum.

2. Ex speciali privilegio summi pontificis *vota simplicia* scholasticorum et coadiutorum societatis Iesu futurum matrimonium dirimunt, nisi generalis dispensaverit seu quamdiu in societate manserint[2]).

Ex iure antiquo coniux in saeculo manens, cuius altera pars cum illius consensu religionem ingressa fuerit vel sacros ordines susceperit, votum simplex castitatis emittere debebat. Hoc votum matrimonium post mortem coniugis ab altera parte initum iuxta alios illicitum, iuxta alios invalidum faciebat[3]). Hodie haec quaestio obsoleta est, cum coniux durante matrimonio ad novitiatum valide admitti nequeat[4]).

---

[1]) *S. Officium* 20. febr. 1888.

[2]) Constitutio *Ascendente Domino* Gregorii XIII. 25. maii 1584; const. *Dolentes* Leonis XIII. 13. iul. 1886.

[3]) Cf. *Wernz* IV. n. 380. 395. *Benedictus XIV.* De synodo l. 13. c. 12. n. 16.

[4]) Cn. 542, 1.

§. 7. *Raptus.*

582. **Natura impedimenti.** 1. Impedimentum raptus in eo consistit, quod matrimonium inter virum, qui mulierem invitam matrimonii ineundi causa abducit, et mulierem abductam, quamdiu in potestate raptoris exsistit, nullum sit[1]).

a. Raptus, prout est impedimentum dirimens matrimonii, definitur: mulieris invitae abductio matrimonii ineundi gratia.

b. Etsi cum raptu plerumque coniunctus sit metus gravis, impedimentum tamen raptus non ratione metus iniuste incussi matrimonium dirimit, sed est impedimentum speciale a metu distinctum.

2. Hoc impedimentum solum exsistit *inter raptorem et mulierem raptam,* non autem inter raptam et alios viros, qui e. g. raptum in alterius favorem exsecuti sunt.

Si quis existimans [redacted] rapientem certam mulierem amico suo rem gratam facturum, eam inscio amico rapit et in domum suam transfert, amicus valide cum ea contrahere potest, quia raptor non est.

3. Impedimentum tamdiu exsistit, quamdiu mulier *sub potestate* raptoris est, etsi post raptum libere in matrimonium consentiat; cum primum vero libertate donata est, cessat impedimentum absque dispensatione; hinc si extra raptoris potestatem constituta libere consentiat, eam raptor sibi in uxorem habere potest. Nihil autem refert, utrum raptor per se [redacted] per alios mulierem raptam in sua potestate detineat.

4. Impedimentum raptus est *iuris ecclesiastici* tantum, quod statutum est, ne mulier rapta ex metu in matrimonium consentiat, ideoque ad tuendam libertatem consensus matrimonialis[2]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 6. De reform. matr. Cn. 1074: 1. Inter virum raptorem et mulierem intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium. 2. Quodsi rapta, [redacted] raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.

[2]) Cf. Instructio *s. Officii* ad episcopos *Albaniae* 15. febr. 1901.

In impedimento raptus ecclesia non solet dispensare. Attamen si mulier rapta libere in matrimonium consentiat, quandoque dispensando permittit matrimonium, etsi mulier nondum sit reddita loco tuto[1]).

583. Declaratio. Ut raptus matrimonium dirimat, requiruntur sequentes *condiciones*:

1. Ut sit abductio *mulieris* non viri: Ius enim solum loquitur de raptu mulieris, qui fiat a viro; ideo matrimonium inter mulierem raptricem et virum raptum non est invalidnm. Nihil autem refert, utrum mulier, quae rapitur, sit honesta an inhonesta, virgo an vidua, desponsata an libera, maioris an minoris aetatis.

Quaestio, num impedimentum raptus incurrat, qui rapit sponsam vel puellam minoris aetatis, per novum *Codicem* resoluta est. Utitur enim generica voce *mulierem* (Weibsperson). Insuper ubi mulieres minoris aetatis excipiendae sunt, id expresse notatur, ut cn. 2353.

2. Ut sit *a.* vel *abductio*, qua mulier de loco in locum moraliter diversum transferatur, sive per ipsum raptorem sive eius nomine per alium; *b.* vel *retentio*, qua vir mulierem in loco, ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detineat[2]).

Ergo superflua evadit quaestio de loco moraliter diverso, num e. g. sit vera abductio, si mulier transferatur ab una in aliam contignationem eiusdem domus, vel de via publica seorsim in agrum: etenim semper adest impedimentum raptus aut ratione abductionis aut ratione violentae retentionis.

3. Ut sit *violenta* abductio, quae nimirum fiat invita et repugnante muliere; si ergo mulier consentit in abductionem et in matrimonium, potius fuga est, quam raptus, quae non dirimit matrimonium, etsi invitis parentibus fiat: ius enim nihil aliud intendit, nisi ut libertatem matrimonii tueatur, quae non laeditur, si mulier in matrimonium consentiat.

---

[1]) Cf. citata instructio ad episcopos *Albaniae*.

[2]) Cn. 1074, 3. Eo quod iste canon statuit raptui parem haberi violentam *retentionem* mulieris, pristinum impedimentum, qua sola abductio invalidabat matrimonium, extenditur etiam ad violentam detentionem mulieris, etsi non raptae seu abductae.

Violenta autem censetur abductio, si fiat per vim physicam vel per metum gravem iniuste incussum; si fiat fraude et dolosa sollicitatione, etsi consentiente muliere; at non est violenta, si mulier precibus, blanditiis, muneribus, promissionibus inducatur ad fugiendum.

4. Ut fiat *matrimonii ineundi causa:* ecclesia enim statuens hoc imdedimentum id praecipue intendit, ut salvetur libertas consensus matrimonialis. Si ergo ex alia ratione e. g. solum libidinis explendae gratia abducitur, non oritur impedimentum matrimonii.

Nota. *Raptus* (Entführung) est *crimen*, quod committitur, si quis intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel invitis parentibus aut tutoribus. Crimen raptus in foro ecclesiastico semper punitur (cn. 2353), at non semper ex eo sequitur impedimentum dirimens matrimonii, id quod ex iis patet, quae supra exposita sunt.

§ 8. Crimen.

584. Natura impedimenti. 1. *Crimen*, quod matrimonium dirimit, consistit in *iniuria*, quam ambo, qui matrimonium inire intendunt, matrimonio unius illorum iam exsistenti inferunt. Reipsa impedimentum criminis tria impedimenta continet inter se diversa:

a. Primum contrahitur ab iis, qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt[1]).

b. Secundum contrahitur ab iis, qui perdurante eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit[2]).

c. Tertium contrahitur ab iis, qui perdurante eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel

---

[1]) Caius cum Bertha coniugatus conspirat cum Sempronia ad occidendam Bertham, ut Semproniam ducat.

[2]) Caius cum Bertha coniugatus adulterium committit cum Sempronia et deinde interficit Bertham, ut Semproniam ducat.

ipsum matrimonium, etiam per civilem actum tantum, attentaverunt[1]).

Impedimentum criminis ergo contrahitur in triplici casu; *a.* ob solum coniugicidium; *b.* ob coniugicidium cum adulterio; *c.* ob solum adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii. Triplex hoc impedimentum, denominatione sumpta a solo coniugicidio, etiam in hunc modum exhiberi solet, ut dicatur, illud contrahi ob crimen *a. utroque patrante; b. uno patrante; c. neutro patrante commissum.*

2. Tria haec impedimenta sunt *iuris ecclesiastici*[2]). Ecclesia autem statuens haec impedimenta intendit: *a. consulere fidei coniugali et vitae coniugum:* adempta enim omni spe matrimonii contrahendi cum complice sive occisionis sive adulterii, simul praeripit ansam committendi haec crimina; *b. punire coniuges* ob crimen commissum, quo iniuria infertur matrimonio et coniugi innocenti.

3. Ab his ergo impedimentis ecclesia *dispensare potest;* at non in omnibus dispensat. Si nempe impedimentum oritur *ex adulterio* cum promissione matrimonii, exsistente causa canonica dispensat; si impedimentum oritur *ex coniugicidio* sive ab utraque sive ab alterutra parte patrato et coniugicidium *occultum est,* raro et solum ex urgentissima causa dispensat; quodsi coniugicidium *publicum* est, non dispensat „ob scandali enormitatem"[3]).

Num incurrant hoc impedimentum, qui illud ignorant. Sententia affirmans nunc certa est, cum *Codicis* cn. 16, 1 statuat: „Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur"; aliud autem de hac re nullibi dicitur.

585. Ut ex solo coniugicidio seu ex crimine *utroque patrante* oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:

1. *Mutua conspiratio* in occisionem coniugis alterutrius ipsorum. Habetur autem conspiratio tum in casu coo-

---

[1]) Caius cum Bertha coniugatus adulterium committit cum Sempronia (sive soluta sive coniugata) eique matrimonium promittit post mortem Berthae ineundum vel ipsum matrimonium cum ea attentat.

[2]) Cn. 1075, qui impedimentum exhibet verbis supra relatis.

[3]) Cf. *Gasparri* I. n. 653 ss.

perationis etiam remotae, sive physicae e. g. dato veneno, sive moralis e. g. corrumpendo medicum, ne mortem arceat, tum in casu inductionis, qua una pars alteram consilio, precibus aut solo consensu ad necem movet.

Si ergo alteruter tantum machinatur mortem coniugis, inscia altera parte, neque inter eos intercessit adulterium, non contrahitur impedimentum, etsi pars ignara postea mortem coniugis approbaverit. Pariter non contrahitur, si una pars occisioni quidem consenserit, nec tamen consensus alterum ad occisionem ullatenus moverit.

2. Ut coniugicidium comissum sit saltem ab una parte *ex intentione ineundi matrimonii* cum complice homicidii, hac intentione exterius manifestata. Quamvis haec condicio in novo iure non sit expressa, recte tamen ex fine legis praesumitur et ab interpretibus communiter exigitur.

Si ergo occisio fieret non ex intentione contrahendi matrimonii cum persona complice, sed ex alio motivo e. g. vindictae vel liberius peccandi cum persona complice, non adest impedimentum, quippe quod a iure statutum est, ne desiderio alieni matrimonii coniuges occidantur.

3. *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis, non ex alia causa.

Ergo non sufficit homidicium attentatum, sed requiritur realis occisio, sive complices criminis per se sive per alium occisionem exsequantur.

586. Ut ex coniugicidio cum adulterio seu ex crimine *uno patrante* oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:

1. *Adulterium* verum, ex utraque parte formale, perfectum, ante coniugicidium actuale commissum.

a Verum, quod supponit validum matrimonium saltem ex parte unius adulteri; ergo non contrahitur impedimentum, si complex adulterii putat alteram partem esse coniugatam, cum non sit; vel si altera pars passim habetur coniugata, cum tamen non sit, quia e. g. eius matrimonium propter occultum impedimentum est invalidum.

b. Ut ex utraque parte *formale* sit adulterium, requiritur, ut notus sit status coniugalis illius, quocum committitur adulterium; si ergo adulterorum unus tantum est coniugatus, requiritur, ut solutus sciat se peccare cum coniugato, et si ambo adulteri coniugati sunt, non sufficit, ut uterque sciat se esse coniugatum, sed requiritur, ut alteruter sciat complicem adulterii esse coniugatum. Scilicet ut adulterium

formale committatur, sufficit quidem, ut adulter sciat se vel complicem esse coniugatum, sed ad inducendum impedimentum criminis non sufficit, ut uterque sciat se esse coniugatum, quia ab utroque adultero eidem matrimonio inferri debet iniuria.

c. Perfectum i. e. de se aptum ad generandam prolem: ceterum si copula reipsa intercessit, praesumitur perfecta, nisi de contrario constet.

d. Ante coniugicidium actuale commissum. Si adulterium praecesserunt solum machinationes coniugicidii, contrahitur impedimentum; quodsi mors ipsa coniugis praecedit, non contrahitur, quia post-mortem coniugis iam non amplius committitur adulterium.

2. *Coniugicidium* ab una parte patratum, etsi inscia vel etiam invita altera parte, *cum intentione ineundi matrimonii* cum complice adulterii; ergo non requiritur, ut ambo conspirent in occisionem, sed sufficit, ut alteruter per se vel per alium eam peragat.

Ergo nec intentio homicidii patrandi nec intentio homicidii patrandi ad ineundum matrimonium alteri parti manifestari debet, sed intentio ineundi cum ipsa matrimonii alteri parti nota sit oportet.

3. *Mors coniugis realiter secuta* actione physica vel morali coniugis.

587. Ut ex solo adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii seu ex crimine *neutro patrante* oriatur impedimentum, haec requiruntur:

1. *Adulterium* verum, ex utraque parte formale et perfectum, ut supra explicatum est.

2. *Promissio matrimonii* cum adultero ineundi *vera* (non sufficit ficta), *absoluta* (non sufficit condicionata) et *mutua* i. e. ex una parte facta et ex altera acceptata cum repromissione.

a. Quaestio, num adsit impedimentum, si in promissione matrimonii non servantur condiciones per decretum *Ne temere* praescriptae, eo vel magis affirmanda videtur, quod novus *Codex* ad contrahendum impedimentum non exigat sponsalia sed simplicem promissionem matrimonii.

b. De promissione matrimonii *post* mortem coniugis ineundi Codex nihil habet, quare haec condicio non amplius requiritur.

c. Si *promissio* matrimonii *revocatur* ante adulterium commissum, nullum oritur impedimentum; quodsi revocatur post adulterium commissum, non cessat impedimentum iam contractum.

d. Matrimonii attentatio impedimentum constituit, quamvis sit clandestina tantum (coram ministro haeretico, coram magistratu civili, inter solos delinquentes), dummodo attentans sciat alteram partem esse coniugatam vel detecto errore in coniugio perseverat. Si quis ergo post initum validum matrimonium divortium civile assequitur et deinde novum matrimonium civile contrahit illudque vivente priore coniuge consummat, contrahit impedimentum criminis; quare mortua priore coniuge non potest sine dispensatione matrimonium inire cum coniuge civili, nisi haec prius matrimonium ignoraverit.

e. Non raro accidit, ut ii, qui vel dispensationem in matrimonio rato et non consummato, vel documentum libertatis ob praesumptam mortem coniugis obtinuerunt, matrimonium contrahere velint cum persona, quacum exsistente priore vinculo matrimonium civile contraxerant illudque consummarant.

Cum tamen ab impedimento criminis orto ex adulterio cum attentato matrimonio raro petatur dispensatio, *Pius X.*, ne matrimonium periculo nullitatis exponeretur, statuit, ut dispensatio ab hoc impedimento concessa censeatur per datam sive dispensationem in matrimonio rato et non consummato sive permissionem transeundi ad alias nuptias[1]).

f. Hucusque agitabatur quaestio, utrum ad contrahendum hoc impedimentum sufficiat promissio ab altera parte solum acceptata, an requiratur etiam repromissio. Nunc dicendum est, requiri *promissionem cum repromissione*, cum cn. 1075, 1 dicat; qui fidem sibi *mutuo* dederunt de matrimonio ineundo.

3. Adulterium et promissio fieri debent *durante eodem coniugio:* nam ut oriatur impedimentum, tota iniuria uni eidemque coniugio inferri debet. Nihil autem refert, utrum promissio praecedat an comitetur vel sequatur adulterium, et pariter nihil refert, quanto tempore ab invicem distent adulterium et promissio, modo durante eodem coniugio facta sint.

Si Caius matrimonium promittit Berthae vivente sua coniuge Anna, et hac mortua ducit Semproniam, qua vivente adulterium committit cum Bertha, nullum contrahitur impedimentum.

588. Impedimentum criminis **multiplicari potest** tum ratione delicti tum ratione matrimonii.

1. Si impedimentum oritur *ex solo homicidio*, duplex habetur impedimentum, quando ambo conspirantes coniugati sunt et utriusque coniux ab eis occiditur.

---

[1]) *S. C. de Sacr.* 3. iun. 1912. Cn. 1053.

2. Si impedimentum oritur ex *homicidio cum adulterio* duplex habetur impedimentum, quando ambo adulteri coniugati sunt et uterque coniugem suum occidit.

3. Si impedimentum oritur ex *solo adulterio*, duplex habetur impedimentum *a.* quando ambo adulteri coniugati sunt et ambo hanc circumstantiam cognoscunt; *b.* si Caius cum Bertha coniugatus Semproniam adulterat eique matrimonium promittit, dein mortua Bertha Annam ducit et durante hoc matrimonio Semproniam cum promissione matrimonii iterum cognoscit.

§ 9. Consanguinitas.

589. Natura Impedimenti. Impedimentum *consanguinitatis* in eo consistit, quod personae in certo aliquo gradu cansanguineae validum matrimonium inter se inire non possint.

a. Consanguinitas est propinquitas personarum ex eodem stipite proximo per naturalem generationem descendentium; oritur ergo ex participatione eiusdem sanguinis. Dicitur *proximo:* qui enim a communi remoto stipite (ultra tertiam generationem) descendunt, non solent amplius vocari consanguinei.

b. Consanguinitas est: legitima, si ex matrimonio legitimo, est *illigitima*, si ex coniunctione fornicaria oritur; est *simplex*, si ex uno tantum fonte, et *multiplex*, si ex duplici vel multiplici fonte oritur.

c. Patet impedimentum matrimonii aeque ex legitima atque ex illegitima consanguinitate oriri. Porro ad consanguinitatem, quae matrimonii impedimentum constituit, nihil refert, utrum uterque an alteruter tantum parens sit communis.

590. Declarationes. Ut impedimentum consanguinitatis rite intelligatur, tria explicanda sunt; quid sit stipes, quid linea, quid gradus.

1. *Stipes* dicitur illa persona, ex qua aliae per naturalem generationem descendunt, et in qua tamquam prima radice conveniunt; sic fratres stipitem habent patrem, fiii duorum fratrum stipitem habent avum.

a. Ordinarie communem stipitem constituunt duae personae, scilicet parentes; sed fieri etiam potest, ut illum constituat una persona (sive vir sive mulier), si haec non cum una sed cum pluribus personis prolem habuit.

b. Quia ex eodem stipite nati eundem sanguinem participant, *consanguinei* vocantur. Consanguinei in primo gradu lineae collateralis sunt *germani* aut *non germani*, prout utrumque parentem aut unum tantum communem habent. Non germani dicuntur *uterini*, si eandem matrem sed diversum patrem, et dicuntur *consanguinei* tantum, si eundem patrem sed diversam matrem habent.

2. *Linea* est series personarum ab eodem stipite per varias generationes descendentium. Linea diversos gradus continet et duplex est, recta et obliqua.

a. Linea *recta* est series personarum, quarum una ab altera descendit, sive immediate ut filius a parentibus sive mediate ut nepos ab avis. Linea *recta* in duas dividitur, quarum altera est *ascendentium*, a quibus aliquis originem habet, scilicet pater, avus, proavus etc., altera *descendentium*, qui ab aliquo originem habent, scilicet filius, nepos, pronepos etc.

b. Linea *obliqua* (*collateralis, transversalis*) est series personarum, quarum una ab altera non descendit, omnes tamen communem stipitem habent ut fratres, patrueles.

Linea *collateralis* aut est *aequalis*, si personae in utraque linea collocatae eodem gradu a communi stipite distant, aut *inaequalis*, si personae in utraque linea collocatae diverso gradu a communi stipite distant. Sic duo fratres aequalis, frater autem et fratris filia inaequalis lineae sunt.

3. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea. Gradus potest esse *simplex vel mixtus*.

591. Principia[1]. 1. In *linea recta* consanguinitatis matrimonium irritum est inter *omnes* ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

Consanguinitas ergo matrimonium dirimit in quocunque gradu iure saltem positivo, probabiliter etiam iure naturae.

Auctores, qui affirmant consanguinitatem *iure naturae* matrimonium dirimere indefinite, hoc utuntur argumento. Omnes posteri debent progenitoribus eandem fere reverentiam, quam liberi parentibus, ideo progenitores nomine parentum, posteri nomine liberorum

[1]) Cn. 1076.

vocari solent. Ob hanc rationem consanguinei in linea recta non censentur a Deo accepisse potestatem tradendi sibi mutuo ius in corpora. Qui vero affirmant consanguinitatem *iure positivo* nunc vigente matrimonium dirimere indefinite, docent summos pontifices (Calixtum I. et Nicolaum I. in responsis ad consult. bulgaror.) dispositiones iuris romani, matrimonium inter consanguineos in quocunque gradu irritantis, in ius ecclesiasticum recepisse.

2. In *linea collaterali* matrimonium irritum est usque ad *tertium gradum* inclusive, sed non ultra, etsi remotior gradus sit mixtus cum propinquiore e. g. quartus cum secundo.

Impedimentum, quod olim extendebatur usque ad septimum gradum, a concilio lateranensi IV. sub Innocentio III. et postea a concilio tridentino[1]) ob magnam difficultatem tot graduum prohibitiones observandi ad quartum, a novo *Codice* ad tertium gradum coarctatum est. Ergo quartus consanguinitatis gradus et quartus tangens tertium matrimonium non amplius dirimit.

3. Nunquam matrimonium permittatur, si subsit dubium, num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis, quia dubium aut certe aut probabiliter est iuris divini.

592. Impedimenti origo. 1. *In primo gradu lineae rectae* (inter patrem et filiam, matrem et filium) impedimentum certo est *iuris naturae*; in aliis gradibus lineae rectae matrimonia pariter iure naturae (secundario) videntur esse invalida, etsi nonnulli auctores ea valida sed illicita esse dicant.

Ratio *primi:* ipso naturali lumine rationis intelligimus usum matrimonii inter consanguineos in primo gradu lineae rectae contrarium esse singulari reverentiae parentibus debitae; ideo fere omnes gentes moribus non depravatae nuptias in primo gradu lineae rectae tamquam nefandas detestantur[2]). Quare ob naturalem turpitudinem, quae eiusmodi matrimoniis inest, consanguinei in primo gradu lineae rectae iure naturae carere censentur potestate sibi mutuo ius in corpora tradendi.

---

[1]) Sess. 24. c. 4. De reform. matr.

[2]) Excipiendi sunt *Assyrii* et *Persae*, qui matrimonia inter filium et propriam matrem non respuebant; *Aegyptii* matrimonia inter fratrem et sororem permittebant.

Ratio *secundi:* omnes quidem posteri suis progenitoribus reverentiam debent, quae tamen in remotiore gradu tanta esse non debet, quanta in primo. Quare nuptiae inter consanguineos remotioris quoque gradus lineae rectae iuri naturae adversantur: verum haec repugnantia non videtur [redacted] tanta, ut eiusmodi nuptiae iure naturae absolute irritae dici debeant, sed solum iure naturae secundario.

2. *In primo gradu lineae collateralis* (inter fratrem et sororem) impedimentum est *iuris naturae*[1]*;* in aliis gradibus lineae collateralis certo est *iuris mere ecclesiastici.*

a. Complures auctores tum antiqui tum recentes negant matrimonium inter fratrem et sororem iure naturae invalidum esse. Et recte quidem, si de iure naturae primario intelligitur: nam singularis illa reverentia parentibus debita, propter quam ipsa natura matrimonium inter parentes et liberos interdicit, in eo potissimum fundatur, quod parentes sint principium filiorum; atqui in linea collaterali haec potissima ratio non valet; ergo natura matrimonium inter fratres et sorores absolute non interdicit sicut inter parentes et filios[2]). Quare initio ob gravissimam necessitatem propagandi generis humani, quod Deus ab uno homine voluit, ut descenderet, per dispositionem divinam valida erant matrimonia inter filios et filias Adami; postea vero genere humano iam satis propagato iure naturae invalida evaserunt.

b. Quare de matrimoniis, quae infideles consanguinei intra gradus ab ecclesia prohibitos ineunt, haec tenenda sunt:

α. Matrimonia inter consanguineos in primo gradu linea rectae inita *certo* invalida sunt. Idem dicendum est de matrimoniis consanguineorum, quae a lege civili irritantur.

β. Matrimonium inter avum et neptem, et matrimonium inter fratrem et sororem initum pariter invalidum est. Si eiusmodi coniuges ad fidem convertantur, novum matrimonium inire possunt iuxta praxim [redacted] s. sede servatam. Si superest dubium de valore matrimonii in infidelitate contracti, standum est pro nullitate matrimonii in favorem fidei[3]).

γ) Matrimonia consanguineorum in secundo et ulteriore gradu, si nihil aliud obstat, valida sunt; et si coniuges ad fidem convertantur, in contracto matrimonio absque dispensatione manere possunt.

3. Ratio prohibendi matrimonia inter consanguineos contrahenda potissimum triplex est: alia *socialis*, ut mutua

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De reform. matr.

[2]) Gen. 20, 12.

[3]) *S. Officium* 18. maii 1872.

caritas et amicitia magis dilatetur; alia *moralis*, ut ablata spe matrimonii refrenetur amor carnalis inter membra familiae; alia demum *physica*, ut prospiciatur proli: constat enim consanguineorum coniugia aut esse infoecunda aut proles saepe morbis et defectibus laborare[1]).

593. Computatio graduum canonica[2]). Ad computandos gradus consanguinitatis in iure canonico tres regulae statuuntur, alia pro linea recta, alia pro collaterali aequali, alia pro collaterali inaequali.

1. In *linea recta* tot numerantur gradus, quot personae stipite dempto seu tot sunt gradus, quot sunt generationes.

Descendentes	Titius.	Ascendentes
1		1
Filius		Pater
2		2
Nepos		Avus
3		3
Pronepos		Proavus

Ergo pater et filius in primo, avus et nepos in secundo, proavus et pronepos in tertio gradu consanguinei sunt.

In adiecto schemate *Titius* cum patre et filio in primo, cum avo et nepote in secundo, cum proavo et pronepote in tertio gradu lineae rectae consanguineus est.

2. In *linea collaterali aequali* tot numerantur gradus quot personae ex una parte stipite dempto; ergo duae personae toto gradu consanguineae sunt, quoto a communi stipite distant.

	Claudius.	
1		1
Anna		Titius
2		2
Iacobus		Theresia
3		3
Maria		Iulius

[1]) Cf. *Wernz* IV. n. 413 ss.

[2]) Cn. 96.

Ergo frater et soror in primo, filii fratris et filii sororis (patrueles et consobrini) in secundo, nepotes fratris et nepotes sororis in tertio gradu linenae collateralis aequalis consanguinei sunt.

In adiecto schemate, Iulius et Maria in tertio, Iacobus et Theresia in secundo, Titius et Anna in primo gradu lineae collateralis aequalis consanguinei sunt.

3. In *linea collaterali inaequali* tot numerantur gradus, quot sunt personae ex parte remotiore stipite dempto; ergo duae personae toto gradu consanguineae sunt, quoto remotior a communi stipite distat.

Sempronius.

1	1
Flavia	Lucius
2	2
Anna	Petrus
3	3
Caesar	Victor
	4
	Melania

Si ergo ex una parte sunt tres personae, ex altera parte quatuor stipite dempto, ultimae duae personae consanguineae sunt in quarto gradu lineae collateralis inaequalis. Mixtus eiusmodi gradns in hunc modum exhiberi solet: A. et B. consanguinei sunt iu quarto gradu mixto cum tertio, aut etiam *in quarto gradu tangente tertium.*

In adiecto schemate Melania et Caesar consanguinei sunt in quarto gradu tangente tertium. Victor et Anna in tertio gradu tangente secundum, Petrus et Flavia in secundo gradu tangente primum lineae collateralis inaequalis.

594. Nomina consanguineorum. 1. Nomina *consanguineorum ascendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: pater, Vater; mater, Mutter.
Secundus gradus: avus, Grossvater; avia, Grossmutter.
Tertius gradus: proavus, Urgrossvater; proavia, Urgrossmutter.

2. Nomina *consanguineorum descendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: filius, Sohn; filia, Tochter.

Secundus gradus: nepos, Enkel; neptis, Enkelin.

Tertius gradus: pronepos, Urenkel; proneptis, Urenkelin.

3. Nomina *consanguineorum descendentium in linea collaterali ex parte patris:*

Primus gradus: frater, Bruder; soror, Schwester.

Secundus gradus: patrueles, Geschwisterkinder, wenn die beiden Väter Brüder sind; amitini, Geschwisterkinder, wenn der Vater des einen und die Mutter des andern Geschwister sind.

Tertius gradus: patrueles magni, amitini magni, andere Geschwisterkinder.

4. Series consanguineorum *descendentium* in linea collaterali *ex parte matris:*

Primus gradus: frater, Bruder; soror, Schwester.

Secundus gradus: consobrini, Geschwisterkinder, deren Mütter Schwestern sind.

Tertius gradus: consobrini magni, andere Geschwisterkinder.

5. Nomina consanguineorum *ascendentium* in linea collaterali *ex parte patris*:

Primus gradus: patruus, Onkel (Vatersbruder); amita, Tante (Vatersschwester).

Secundus gradus: patruus magnus, Grossonkel (Grossvatersbruder); amita magna, Grosstante (Grossvatersschwester).

Tertius gradus: propatruus, Urgrossvatersbruder; proamita, Urgrossvatersschwester.

6. Nomina consanguineorum *ascendentium* in linea collaterali *ex parte matris:*

Primus gradus: avunculus, Oheim (Muttersbruder); matertera Muhme (Muttersschwester).


Secundus gradus: avunculus magnus, Grossoheim (Grossmuttersbruder); matertera magna, Grossmuhme (Grossmuttersschwester).

Tertius gradus: proavunculus, Urgrossoheim (Urgrossmuttersbruder); promatertera, Urgrossmuhme (Urgrossmuttersschwester).

595. De consanguinitate multiplici. Ex multiplici consanguinitate oritur impedimentum consanguinitatis multiplex. Consanguinitas autem est multiplex, si duae personae in pluribus stipitibus conveniunt[1]).


[1]) Cn. 1076, 2: „Impedimentum toties *tantum* multiplicatur, quoties communis stipes multiplicatur"; antea etiam tunc multiplicabatur, cum duae personae ex eodem stipite multiplici via descendebant.

Duplex stipes.




Cornelius sponsus et Anna sponsa ex duplici stipite (Aloisio et Stanislao) descendunt. Itaque in secundo gradu aequali tum ex stipite Aloisio tum ex stipite Stanislao consanguinei sunt.

Duplex stipes diversus.



Felix sponsus et Lucia sponsa ex duplici stipite (Petro et Carolo) descendunt. Itaque in secundo gradu aequali ex stipite Petro et in tertio gradu aequali ex stipite Carolo consanguinei sunt.

Duae causae in uno eodemque coniugio.



Linus sponsus et Anna sponse consanguinei sunt in duplici secundo gradu, quia ex duplici stipite (Pio et Leone) descendunt; insuper in tertio gradu, quia ex communi stipite (Iulio) descendunt.

596. Nota 1. Ut detegatur, num et quale impedimentum consanguinitatis inter duos sponsos exsistat, aptior modus, ubi nempe ignotus est stipes, is [redacted] videtur, ut supra sponsi ac sponsae nomina scribantur nomina patris et matris, avi et aviae et sic porro usque ad quartam generationem. Si inter utriusque ascendentes sic descriptos nullus invenitur communis stipes, nulla inter eos intercedit cognatio; quodsi inter ascendentes reperitur communis stipes, computandus est gradus, quo uterque ab eo distet, quo facto constabit, qualis consanguinitas inter eos exsistat.

Nota 2. Ex dictis patet, inter ius hucusque vigens et novum Codicem quoad impedimentum consanguinitatis duplex discrimen intercedere:

a. *Hucusque* consanguinitas matrimonium dirimebat in linea recta indefinite in quocunque gradu, in linea collaterali usque ad quartum gradum; *nunc* matrimonium dirimit in linea recta indefinite, in linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive. Ergo consanguinitas in quarto gradu et in quarto gradu tangente tertium matrimonium non amplius dirimit.

b. *Hucusque* impedimentum multiplicabatur tum ex pluralitate stipitum, tum ex pluralitate viarum, per quas ad stipitem ascendi poterat; *nunc* multiplicatur ex pluralitate stipitum tantum.

§ 10. Affinitas.

597. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *affinitatis* in eo consistit, quod matrimonium inter personas in certo gradu affines sit invalidum.

2. Affinitas, qua late patet, est *iuris ecclesiastici;* nec videtur admittendum affinitatem in primo gradu lineae rectae matrimonium dirimere iure naturae.

a. Ex iure naturae quidem est, quod oriatur affinitas; sed ex iure naturae non est, quod affinitas matrimonium dirimat; et sane inter personas affines in primo gradu non exsistit relatio principii et ex principio orti, et proinde nec debitum specialis reverentiae ut inter patrem et filiam; ergo deest fundamentum, quo impedimentum iuris naturae oriatur.

b. Olim vehemens agebatur controversia de quaestione, num ecclesia in impedimento affinitatis primi gradus lineae rectae *dispensare possit;* verum hodie communis evasit inter theologos sententia affirmans, nec superest ratio dubitandi, cum impedimentum sit iuris ecclesiastici et ecclesia ipsa declaraverit, non esse dubitandum de potestate pontificis concedendi dispensationem in hoc casu[1]). Attamen ecclesia saepius rogata et exsistentibus gravissimis dispensandi causis dispensationem in affinitate lineae rectae nunquam concessit ob magnam indecentiam, quam matrimonia inter affines in linea recta prae se ferunt; etenim apud omnes gentes satis cultas affines in linea recta descendente instar filiorum habentur. Concurrentibus peculiaribus omnino adiunctis s. Sedes 2. dec. 1911 prima vice in hoc impedimento dispensavit. Cf. Archiv f. k. K. 1913, S. 677 ff.

---

[1]) *S. Officium* 4 Sept. 1743.

598. Declarationes. 1. *Affinitas* est propinquitas personarum orta ex matrimonio valido, sive rato tantum sive rato et consummato, inter virum et consanguineos mulieris, et vicissim inter mulierem et consanguineos viri[1]).

a. Statuta hac affinitatis definitione tum praxis confessariorum tum examen sponsorum multo redduntur faciliora, cum de copula carnali habita cum persona consanguinea non sit amplius interrogandum. Ex eadem definitione patet, nullam oriri affinitatem ex matrimonio invalido, etsi putativo.

b. Quamvis *Codex* de solo matrimonio rato baptizatorem loquatur, affinitas tamen atque impedimentum affinitatis oriri videtur etiam ex matrimonio legitimo non baptizatorum. Scilicet affinitas, quippe quae naturaliter ex matrimonio valido oriatur, etiam inter infideles exsistit, impedimentum vero affinitatis inter eos non exsistit. Quodsi infideles soluti ad fidem convertuntur, impedimento affinitatis ligantur, quam in infidelitate contraxerant. Ideo coniux e. g. qui post mortem uxoris suae baptismum suscepit, non posset ducere sororem baptizatam defunctae uxoris.

c. Soluto matrimonio, quod est veluti principium affinitatis, sive per mortem alterius coniugis sive per dispensationem s. pontificis sive per professionem, ipsa affinitas non cessat, sed perdurat usque ad mortem.

d. Ergo affinitas *superveniens*, qua coniux propter adulterium cum persona affine commissum amittebat ius petendi debitum ab altero coniuge, non amplius exsistit. Propter adulterium autem amittit ius exigendi debitum ab altero coniuge.

e. Nova hac affinitatis definitione stabilita, in hac re conformitas est iuris canonici cum iure civili Austriae atque Germaniae[2]).

2. Affinitas contrahitur a *solo viro* cum consanguineis uxoris et a *sola muliere* cum consanguineis mariti. Ergo non contrahitur *a.* a marito et uxore, qui sunt veluti principium affinitatis, nec *b.* a consanguineis unius cum consanguineis alterius: *affinitas non parit affinitatem*[3]).

Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, immo pater et filius possunt ducere matrem et filiam, et generatim quilibet consanguineus mariti potest ducere consanguineam uxoris, et vicissim quilibet consanguineus uxoris potest ducere consanguineam mariti. Ideo etiam

---

[1]) Cn. 97. 1, 2.
[2]) Cf. Cod. austr. § 66. Cod. germ. § 1590.
[3]) Cn. 97, 2.

privigni, qui pleno sensu tales sunt, i. e. qui nec patrem nec matrem communem habent, ut cum viduus habens filium ducit viduam habentem filiam, matrimonium inire possunt.

3. Affinitas sequitur *gradum et lineam* consanguinitatis; quare in determinanda affinitate haec regula servanda est: Qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sunt affines mulieres et vice versa[1]).

Claudius ergo cum matre uxoris suae in primo et cum avia eiusdem in secundo gradu lineae rectae — cum sorore uxoris suae in primo et cum nepte uxoris suae in secundo gradu lineae collateralis affinis est.

4. Etiam affinitas potest esse *multiplex*. Multiplicatur autem *a*. quoties multiplicatur consanguinitas, a qua procedit; *b*. iterato succesive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti[2]).

599. Nomina personarum affinium.

a. Socer, Schwiegervater; socrus, Schwiegermutter.
b. Vitricus, Stiefvater; noverca, Stiefmutter.
a. Gener, Schwiegersohn; nurus, Schwiegertochter.
b. Privignus, Stiefsohn; privigna, Stieftochter.
a. Levir, des Mannes Bruder; glos, des Mannes Schwester.
b. Sororius, der Schwester Mann, Schwager; fratria, des Bruders Weib, Schwägerin.

600. Principia. 1. Affinitas *in linea recta* matrimonium dirimit in quolibet gradu.

2. Affinitas in *linea collaterali* matrimonium dirimit usque ad secundum gradum inclusive[3]).

Nota. Impedimentum affinitatis per novum Codicem tum quoad *fundamentum* tum quoad *ambitum* immutatum est.

a. *Hucusque* fundamentum impedimenti erat copula perfecta quaecunque, dummodo fuerit perfecta. *Nunc* eius fundamentum est matrimonium validum, sive consummatum fuerit sive ratum tantum.

b. *Hucusque* affinitas licita matrimonium dirimebat in linea recta in quolibet gradu, in linea collaterali usque ad gradum quartum; af-

[1]) Cn. 97, 3.
[2]) Cn. 1077, 2.
[3]) Cn. 1077, 1.

finitas illicita usque ad gradum secundum. *Nunc* affinitas (licita) matrimonium dirimit in linea recta in quovis gradu, in linea collaterali usque ad gradum secundum inclusive. Affinitas illicita nulla exsistit.

c. Hucusque ex matrimonio rato non consummato ortum est impedimentum publicae honestatis; *nunc* ex eodem oritur impedimentum affinitatis.

d. Hucusque coniuges (per incestum) contrahere poterant affinitatem (subsequentem); nunc affinitas subsequens nulla exsistit.

§ 11. Publica honestas.

601. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *publicae honestatis* in eo consistit, quod matrimonium inter eos, qui matrimonium invalidum contraxerunt (sive consummatum sit sive non), item inter eos, qui in publico vel notorio concubinatu vivunt, et certas personas consanguineas invalidum sit[1]).

a. Publica honestas in iure vocatur etiam *quasiaffinitas*, quae ex novo Codice definienda est: propinquitas personarum orta ex matrimonio invalido (sive consummato sive non consummato) et ex publico vel notorio concubinatu inter virum et consanguineos mulieris et vicissim. Haec propinquitas huius impedimenti fundamentum est.

b. Sicut affinitas oritur ex matrimonio valido, ita publica honestas procedit ex matrimonio invalido atque ex publico vel notorio concubinatu. Ergo ex commercio carnali extra concubinatum hoc impedimentum non oritur, sed solum si coniunctum sit cum concubinatu.

c. Hoc impedimentum ex matrimonio utcunque invalido oritur, sive invalidum sit ex defectu consensus sive ex alio impedimento; ergo etiam ex matrimonio civili, [illegible] hoc matrimonium inter catholicos ob clandestinitatem invalidum sit.

2. Impedimentum publicae honestatis exsistit inter virum, qui matrimonium invalidum contraxit aut in publico vel notorio concubinatu vivit, et consanguineos mulieris; item inter mulierem, quae matrimonium invalidum contraxit vel in concubinatu vivit, et consanguineos viri.

3. Impedimentum publicae honestatis matrimonium dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum

---

[1]) Cn. 1078.

et consanguineos mulieris et vice versa, non item in linea collaterali[1]).

4. Hoc impedimentum *iuris ecclesiastici* est. Ius naturae ostendit quidem, esse contra decentiam, ut quis matrimonium ineat cum propinquis personae, quae sibi publice tam intime coniuncta est, at eiusmodi matrimonium invalidum esse non ostendit. Quare *ab infidelibus* hoc impedimentum non contrahitur. Insuper affinitas matrimonium solum iure ecclesiastico dirimit, ergo a fortiori publica honestas.

Nota. Antiquum impedimentum publicae honestatis tum quoad *naturam* tum quoad *ambitum* valde immutatum est.

a. Antea impedimentum ortum est ex matrimonio rato tum valido tum invalido, dummodo invalidum non fuerit ex defectu consensus. *Nunc* non oritur, nisi ex matrimonio invalido, quaecunque sit invaliditatis causa, aut ex publico vel notorio concubinatu.

b. Antea hoc impedimentum matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum inclusive in utraque linea, sive matrimonium validum fuerit sive invalidum. *Nunc* publica honestas matrimonium dirimit usque ad secundum gradum lineae rectae tantum, sive matrimonium consummatum fuerit sive non fuerit.

c. Hucusque hoc impedimentum ortum est etiam ex sponsalibus validis (quae inde a 19. april. 1908 debent esse scripto inita) et absolutis (non sub condicione suspensiva initis). Nunc ex sponsalibus nulla oritur publica honestas.

§ 12. Cognatio spiritualis.

602. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *cognationis spiritualis* in eo consistit, quod inter personas, quae ex collatione et susceptione baptismi cognationem contraxerunt, validum matrimonium iniri non possit.

Cognatio spiritualis est propinquitas personarum orta ex regenerazione spirituali in sacramento baptismi. Quandoquidem regeneratio spiritualis similitudinem habet cum generatione naturali, qui in illa partes habent, minister et patrinus, considerantur ut parentes spiri-

[1]) Cn. 1078.

tuales baptizati; ideo voluit ecclesia, ut reverentia spiritualiter coniunctis debita matrimonium dirimeret, sicut reverentia consanguineis debita illud dirimit.

2. Hoc impedimentum est solum *iuris ecclesiastici:* iuris enim naturalis esse non potest, quia oritur ex collatione et susceptione sacramenti; iuris autem divini non est, quia nullum voluntatis divinae afferri potest argumentum. Quare in hoc impedimento dispensari potest, et quidem ex quavis rationabili causa, cum sit gradus minoris.

603. Declaratio. 1. Ea tantum cognatio spiritualis matrimonium irritat, quae intercedit:

a. inter baptizatum et baptizantem;

b. inter baptizatum et patrinum[1]).

Ex confirmatione oritur quidem cognatio spiritualis, nullum autem impedimentum matrimonii. Huius rei haec videtur esse ratio. Cognatio oritur, quia patrinus vi cognationis filioli sui spiritualis christianam educationem curare debet; cum autem confirmatus et patrinus eiusdem sexus esse debeant, cognatio inter ipsos intercedens non habet effectum matrimonii irritantem.

a. Cognatio spiritualis, quae ex iure antiquo multo latius protendebatur, a Concilio tridentino restricta est[2]) et per novum Codicem magis adhuc coarctatur, adeo ut solum intercedat α. inter baptizatum et baptizantem; β. inter baptizatum et patrinum.

b. Cognatio spiritualis ex baptismo sollemni et privato oritur[3]).

2. Ut cognatio spiritualis oriatur, requiritur, ut sacramentum valide conferatur, et ex parte patrini, ut valide, etsi illicite, patrinum egerit.

a. Qui patrini munus per procuratorem exercet, ipse, non procurator, cognationem contrahit[4]).

b. Si infidelis baptizat filium hominis fidelis, ipse non contrahit cognationem spiritualem, quia infidelis illius incapax est; cognatio autem ex una parte tantum oriri non potest, cum sit relatio, quae

---

[1]) Cn. 1079 et cn. 768.

[2]) Sess. 24. c. 2. De reform. matr.

[3]) Cf. cn. 762, 2.

[4]) S. C. C. 11. iun. 1881.

natura sua est reciproca[1]). Hinc si eiusmodi infidelis postea ipse baptismum recipiat, nulla exsistit cognatio spiritualis.

3. *Cognatio spiritualis multiplex*, quae antea in nonnullis casibus intercedere poterat, nunc vix unquam exsistit. Unicus casus, qui fingi posset, hic est: si nempe idem esset baptizans et patrinus, qui munus patrini per procuratorem exerceret, duplex adesset cognatio spiritualis inter baptizatum et baptizantem. Jam pridem declaratum fuit, cognationem spiritualem non multiplicari, si quis eorundem parentum plures filios in eodem sacramento teneat[2]).

4. Si *baptismus sub condicione iteratur*, cognatio spiritualis non contrahitur, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit. Ergo eam non contrahit nec patrinus, qui priori, nec patrinus, qui posteriori adfuerit[3]).

§ 13. Cognatio legalis.

604. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *cognationis legalis* (Bürgerliche Verwandtschaft) in eo consistit, quod inter personas, quae ex adoptione cognationem contraxerunt, validum matrimonium iniri non possit.

Huius rei declarationem vide supra n. 543.

2. Impedimentum cognationis legalis est mere *iuris ecclesiastici*. Ratio potissima statuendi hoc impedimentum est peculiaris relatio reverentiae et amicitiae, quae ex adoptione inter adoptantem et adoptatum oritur. Huic accedit alia ratio, cavendi scilicet periculum fornicationis, quod immineret inter personas in eadem familia commorantes, si spes matrimonii affulgeret.

3. Hucusque impedimentum dirimens cognationis legalis in iis locis vigebat, in quibus lex adoptionis quoad substantialia cum adoptione iuris romani conveniebat. Hoc

---

[1]) *Lacroix* l. 6. pr. 1. 368 s. *Sanchez* l. 7. disp. 60.
[2]) *S. Officium* 29. apr. 1894.
[3]) Cn. 763, 2.

autem accidit ex authentica declaratione s. sedis in Gallia et in regno neapolitano et ex interpretatione auctorum in Germania, Italia, Hispania et in compluribus rebuspublicis Americae latinae. In his ergo locis cognatio legalis usque ad 19. maii 1918 impedimentum dirimens constituit.

4. Novus Codex statuit, cognationem legalem matrimonium ibi dirimere, ubi ea ex lege civili matrimonium dirimit[1]). In diiudicando igitur hocce impedimento non amplius ad ius romanum, sed ad ius recens cuiusque civitatis attendendum est. Ex modernis codicibus cognatio legalis impedimentum dirimens est in *Croatia, Slavonia, Italia, Hispania, Polonia.* In *Germania* cognatio legalis matrimonium impedit, non dirimit[2]).

5. In hoc impedimento, ut supra monuimus, materia legis ex codice civili desumitur, forma legis seu vis obligandi ex iure ecclesiastico descendit. Habemus legem civilem ab ecclesia canonizatam.

Quaestio sexta.

De dispensationibus matrimonialibus.

Articulus primus.

De ipsa dispensatione.

605. 1. Si matrimonio contrahendo obstat impedimentum, hoc imprimis removeri debet, ut matrimonium valide et licite iniri possit. Porro impedimenta matrimonii

[1]) Cn. 1080.

[2]) Cf. *Chelodi* n. 107 s.

[3]) *Zitelli*, De dispensationibus matrimonialibus (Romae. 1887). *Ballerini-Palmieri* VI. De dispensationibus q. 734 ss. *Wernz*, IV. De dispensationibus impedimentorum matrimonialium n. 806 ss.

sive dirimentia sive impedientia tribus modis auferri possunt: *a.* remotione causae (ligamen, disparitas cultus, raptus); *b.* lapsu temporis (aetas); *c.* dispensatione, quae est ordinarius modus auferendi impedimenta matrimonii.

Dispensatio est legis in speciali casu relaxatio[1]). Ubi de dispensatione agitur, sermo esse nequit, nisi de impedimentis iuris ecclesiastici: impedimenta enim iuris divini a nulla potestate humana auferri possunt.

2. Facultas dispensandi conceditur pro *foro externo* aut pro *foro interno*. Forum internum duplex est, *sacramentale* et *extrasacramentale*.

a. Dispensatio pro foro externo valet etiam pro foro interno, sed qui potestatem accepit dispensandi pro foro externo, eam adhibere nequit pro foro interno tantum.

b. Si quis usus sit potestate dispensandi in impedimento occulto pro foro interno sacramentali atque impedimentum postea fiat publicum, matrimonium quidem validum est, at nova dispensatio petenda est pro foro externo; quodsi potestas dispensandi data sit pro foro interno non sacramentali, nova dispensatio pro foro externo necessaria non est[2]).

3. Cum impedimenta matrimonii sint leges irritantes vel prohibentes universalis ecclesiae; in iis dispensare nequit, nisi summus pontifex et qui ab ipso specialem facultatem dispensandi acceperit. Eiusmodi facultas conceditur ordinariis et in quibusdam adiunctis etiam ministris inferioribus, parochis et confessariis.

Articulus secundus.

De potestate dispensandi.

Consideranda est potestas *a.* summi pontificis; *b.* potestas episcopi; *c.* potestas parochi et confessarii.

---

[1]) Cn. 80.
[2]) Cn. 1047.

§ 1. De potestate summi Pontificis.

606. 1. *Romanus pontifex* dispensare nequit in impedimentis dirimentibus *iuris divini absoluti;* at dispensare potest in impedimentis *iuris divini condicionati,* quorum exsistentia ab actu humanae voluntatis dependet (voti, matrimonii rati).

2. Romanus pontifex dispensare potest in omnibus impedimentis, quae *certo* sunt *iuris ecclesiastici*, non tamen in omnibus reipsa dispensat.

a. Tria sunt impedimenta, in quibus nunquam dispensat: affinitas in primo gradu lineae rectae (cf. tamen n. 575); ordo episcopalis ad ineundum matrimonium, coniugicidium publicum.

b. Septem sunt impedimenta, in quibus rarissime dispensat praesertim si agitur de ineundo matrimonio: coniugicidium cum adulterio, raptus, aetas, votum sollemne, ordo sacer, cultus disparitas in regionibus fidelium.

c. Tria sunt impedimenta, in quibus raro dispensat: consanguinitas in linea collaterali tangente primum gradum, cognatio spiritualis inter levantem et levatum.

607. Dispensationes non ipse per se concedit, sed utitur ad hoc negotium congregationibus et tribunalibus suis, quae sunt:

a. Congregatio s. Officii. Haec dispensat in impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis et iudicat in omnibus, quae directe vel indirecte circa haec et privilegium paulinum versantur[1]).

b. Congregatio de Sacramentis. Haec dispensat pro foro externo in omnibus reliquis impedimentis sanationemque in radice concedit pro universo orbe exceptis orientalibus[2]).

c. Congregatio pro ecclesia orientali. Haec dispensat orientales in omnibus impedimentis, etiamsi una pars tantum sit ritus orientalis, salvo tamen iure s. Officii[3]).

---

[1]) Cn. 247, ■.
[2]) Cn. 249, 2.
[3]) Cn. 257.

d. S. Poenitentiaria. Haec dispensat in omnibus impedimentis occultis pro foro interno tantum tum sacramentali tum extrasacramentali[1]).

§ 2. *De potestate Ordinarii.*

608. Locorum ordinariis in novo Codice amplissima potestas conceditur.

Potestate ordinaria dispensare potest:

1. In impedimento impedienti voti ex votis non reservatis orto, et quidem subditos et peregrinos.

Vota *non reservata* sunt: votum virginitatis, votum non nubendi, suscipiendi ordines sacros, amplectendi statum religiosum in congregatione. Etiam vota perfectae castitatis et ingrediendi religionem votorum sollemnium non sunt reservata, si emissa sint ante annum 18. aut non absolute cn. 2309.

2. *In mortis periculo* ad consulendum conscientiae, et si casus ferat, legitimationi prolis, dispensare potest *a.* super forma in celebratione matrimonii servanda; *b.* in omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis etiam multiplicibus, duobus exceptis; *c.* proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes; *d.* remoto scandalo et, si dispensatio conceditur in cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus[2]), quibus non requisitis vel non exhibitis dispensatio invalida esset.

a. Periculum mortis; sive ex morbo sive ex causa externa naturae vel hominis proveniat.

b. Facultas valet, etsi non aegrotet persona, quae impedimento afficitur[3]).

c. Conscientiae consulitur, quod peccatum vel peccati proxima occasio vel magna tentatio aufertur, undecunque haec deriventur, sive ex luxuria sive avaritia sive odio sive ex alia causa.

d. Proli consulitur, quod haec postea facilius legitimatur, quin necesse sit pro legitimatione novam gratiam s. sedis impetrare,

---

[1]) Cn. 258.

[2]) Cn. 1043.

[3]) *S. Officium* 1. iul. 1891.

sive proles sit naturalis sive incestuosa (non autem adulterina vel sacrilega)[1]).

e. Excipienda sunt duo impedimenta ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta (consummato matrimonio) provenientia.

f. Scandalum removendum est, si impedimentum sit publicum; eo autem removetur, quod dispensatio conceditur coram testibus, quibus eiusdem rationes explicantur.

g. Si loci ordinarius adiri non possit, eadem facultate pollent parochus, sacerdos matrimonio assistens et confessarius, hic tamen pro foro interno tantum[2]).

h. Haec facultas tum pro foro externo tum pro interno adhiberi potest, et cum sit ordinaria, etiam aliis habitualiter delegari potest cn. 202, 3.

3. *In urgenti necessitate*, quando nempe iam omnia sunt parata ad nuptias et matrimonium sine probabili periculo gravis mali differri nequeat, donec a s. sede obtineatur dispensatio, dispensare potest in iisdem impedimentis et sub iisdem condicionibus ut in periculo mortis. Haec facultas valet etiam pro *convalidatione* matrimonii iam contracti, si idem periculum adsit nec tempus suppetat recurrendi ad s. sedem[3]).

a. Malum grave esset infamia, scandalum, notabile damnum temporale etc. Si de convalidatione agitur, grave malum esse posset periculum incontinentiae, si nempe contracto demum matrimonio delegatur impedimentum occultum et coniuges nec sine scandalo vel infamia separari nec sine periculo peccandi cohabitare possent.

b. Ut dispensatio s. sedis obtineri possit, requiritur tempus quindecim circiter dierum, nemo teneatur per telegraphum recurrere.

4. In impedimentis dubiis dubio facti sive occultis sive publicis dispensare potest et solet, dummodo agatur de impedimentis, in quibus r. pontifex dispensare solet; in dubio iuris declarat matrimonium tuto celebrari posse[4]).

609. Potestate delegata dispensare potest in iis impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus, pro quibus specialem delegationem accepit. Antea a diversis officiis

---

[1]) *S. Officium* 8. iul. 1903.
[2]) Cn. 1044.
[3]) Cn. 1045.
[4]) Cn. 15.

s. sedis concedebantur complures facultates, quinquennales, triennales, annuales, quae post amplissimas facultates per novum Codicem concessas vix non factae sunt superfluae[1]).

S. Officium tribuit facultatem dispensandi (vel ad certum tempus vel in certo numero casuum) in mixta religione et in locis missionum etiam in disparitate cultus.

S. Poenitentiaria concedit facultatem dispensandi pro foro interno tantum subditos (sive ipsi et ordinarius sint intra sive extra dioecesim) in occculto impedimento criminis neutro patrante, si agatur de matrimonio iam contracto. Haec facultas habitualiter delegari potest, pro solo tamen foro sacramentali.

§ 3 De potestate parochi et confessarii.

610. 1. *Urgente mortis periculo* eandem dispensandi facultatem et sub iisdem condicionibus ac ipse ordinarius habent tum parochus, tum sacerdos matrimonio assistens, tum etiam confessarius, qui ordinarie erit sacerdos assistens[2]).

a. In hoc casu, si tempus suppetat recurrendi ad ordinarium, recursus necessarius est.

b. Confessarius iisdem facultatibus pollet pro foro interno, sed in confessione sacramentali tantum. Attamen si ipse simul est sacerdos assistens, facultate pollet etiam pro foro externo.

c. Parochus et sacerdos assistens de concessa dispensatione pro foro externo ordinarium loci certiorem reddere et curare debent, ut eadem in libro matrimoniorum inscribatur[3]).

2. *In urgenti necessitate*, ubi nempe iam omnia parata sunt ad nuptias et *matrimonium* vel (si agatur de matrimonio contracto) *convalidatio* sine probabili periculo gravis mali differri non possit, donec a s. sede obtineatur dispen-

---

[1]) Ideo per decretum *Congregationis consistorialis* 25. apr. 1918 in omnibus dioecesibus iuri communi obnoxiis abrogatae sunt omnes facultates fori externi, quae dici solent triennales, quinquennales et decennales, ita ut iis amplius uti non liceat.

[2]) Cn. 1044.

[3]) Cn. 1046.

satio, parochus vel sacerdos assistens vel confessarius eadem pollent facultate[1]).

Cum casus iste antehac difficultatibus non careret et ab auctoribus diversimode solveretur, nomine *casus perplexi* circumferebatur. Nunc autem, concessa amplissima facultate dispensandi, omnis evanescit difficultas et casus cessat esse perplexus. Enucleate exponam, quid parocho etc. in hoc casu agendum sit.

611. 1. Si deprehendit *impedimentum publicum* e. g. consanguinitatis, impedimentum revelandum et matrimonium differendum est, donec obtenta sit dispensatio: id namque sine scandalo et sponsorum infamia fieri potest.

2. Si impedimentum *occultum et indispensabile* est (e. g. ligaminis), matrimonium omitti debet, quidquid incommodi ex omissione sequatur, nisi adiuncta sint eiusmodi, ut impedimentum nupturientibus sine gravissimo incommodo tertii revelari non possit.

3. Si impedimentum *dispensabile* est, iam haec conceditur facultas dispensandi[2]):

a. Dispensari potest in omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis solum ex presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta (consummato matrimonio) provenientibus; remoto tamen scandalo et praestitis cautionibus, si in cultus disparitate aut in mixta religione dispensatur.

b. Dispensare potest:

Ordinarius loci suos subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes;

Parochus et sacerdos, qui matrimonio assilit, sed solum in *casibus occultis* et si ordinarius aut nullatenus aut solum cum periculo violandi secretum adiri possit.

Confessarius, sed solum *pro foro interno* et in actu *sacramentalis confessionis.*

c. Eadem facultas valet etiam pro *convalidatione* matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad s. sedem.

---

[1]) Cn. 1045.

[2]) Cn. 1045.

d. Parochus et sacerdos de concessa dispensatione statim certiorem faciant ordinarium loci, id quod a confessario, qui solum pro foro interno dispensavit, non exigitur.

Si impedimentum, in quo parochus vel sacerdos assistens dispensavit, postea fit publicum, nihil ultra requiritur, quia dispensatio etiam pro foro externo concessa est; sed si impedimentum, in quo confessarius dispensavit, postea fit publicum, petenda est dispensatio pro foro externo, cum data sit solum pro foro interno.

§ 4. De usu facultatum delegatarum.

612. 1. Si contrahentes sunt *diversae dioecesis* et *a.* impedimentum est unius contrahentis *personale* ut impedimentum voti, contrahens a proprio episcopo dispensari debet; hinc si ambo eiusmodi impedimento constringuntur, a suo quisque episcopo dispensari debet; quodsi *b.* impedimentum est utrique *commune* ut consanguinitas, affinitas, utriusque episcopus dispensare potest: sublato enim impedimento ex una parte, etiam altera pars libera evadit. Convenit autem, ut dispensatio petatur ab episcopo, in cuius dioecesi matrimonium contrahitur.

2. Si petitio dispensationis ad s. sedem missa est, ordinarius suis facultatibus uti nequit, nisi superveniat gravis et urgens causa. In hoc casu concedenda est dispensatio, at s. sedes statim ea de re monenda est[1]).

3. De facultate *cumulandi dispensationes* i. e. dispensandi in pluribus simul impedimentis in eodem casu concurrentibus, nunc valent, quae sequuntur[2]):

a. Qui facultatem generalem habet dispensandi in certo aliquo impedimento (e. g. in cognatione), eadem uti potest tum in matrimonio contrahendo tum in contracto, etiamsi idem impedimentum sit multiplex, nisi in ipso indulto aliud praescribatur.

---

[1]) Cn. 1048; cn. 204.
[2]) Cn. 1049; 1050.

b. Qui facultatem generalem habet dispensandi in pluribus impedimentis diversae speciei, in iis dispensare potest, etsi plura concurrant, sive dirimentia sive impedientia, sive publica sive occulta.

c. Si cum impedimento seu impedimentis *publicis*, in quibus dispensare potest, concurrat aliud impedimentum, in quo dispensare nequit, *pro omnibus s. sedes adiri debet.* Si tamen impedimentum seu impedimenta, in quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam s. sedis dispensationem, facultate sua uti potest. Quodsi in hoc casu impedimentum, in quo ordinarius dispensare potest, sit *occultum*, facultate sua pariter uti potest[1]).

d. Ordinarius in dispensationibus concedendis sequi debet praxim s. sedis circa causas dispensationum i. e. ex iis tantum causis dispensare potest, quae a s. sede sufficientes pro illo impedimento existimantur.

Articulus tertius.

De causis dispensandi[2]).

613. Declarationes. 1. Ut dispensatio *valida* sit, *iusta dispensandi causa* requiritur, non solum ubi dispensatio vi potestatis vicariae ab episcopo vel alio iudice delegato, sed etiam ubi vi potestatis propriae a summo pontifice conceditur, quia sine causa illicite dispensare non vult. In omnibus ergo dispensationibus subintelligitur condicio, *si preces veritate nitantur,* et nulla est dispensatio, si nulla sit causa motiva dispensandi, exceptis impedimentis minoribus[3]).

---

[1]) Cn. 1050.

[2]) *Formulae apostolicae Datariae* pro matrimonialibus dispensationibus (Romae. Typographia augustiniana. 1901). *Praxis apostolicarum dispensationum* super impedimentis matrimonii (Romae. Typogr. augustiniana. 1902). Libelli in hac re summi momenti sunt, quia ex eis discitur, quomodo supplices libelli exarandi sint.

[3]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De ref. matr. Cn. 1054.

2. Ut iusta habeatur dispensandi causa, ex concilio tridentino causa *gravis et proportionata* requiritur[1]), i. e. eo gravior, quo gravius est impedimentum, a quo petitur dispensatio. Hinc fieri potest, ut causa aliqua sufficiat quidem ad obtinendam dispensationem ab impedimento minus gravi et facilius dispensabili, at non sufficiat ad eam obtinendam in impedimento graviore et difficilius dispensabili.

3. Praeter divisionem causarum dispensandi, quae omnibus dispensationibus communis est, scilicet in causas motivas seu finales et impulsivas[2]), hoc loco notanda est divisio:

a. In causas *infamantes (famosas, inhonestas)*, quae originem habent ex oratorum delicto vel in eorum infamatione consistunt, et in causas *honestas*, quae nec delictum neque infamationem continent. Quoad concessionem dispensationis graviores sunt causae infamantes quam honestae.

Causae infamantes sunt e. g. α. legitimatio prolis, quae supponit copulam illicitam; β. suspecta familiaritas, quae impediri non potest.

b. In causas *canonicas et non-canonicas*. *Canonicae* vocantur, quae ex stilo curiae romanae tamquam admissae pro dispensationibus matrimonialibus expresse referuntur; *non-canonicae* vocantur omnes aliae, quae inter causas ex stilo curiae romanae admissas expresse non referuntur.

Etiam causas non-canonicas in dispensationibus matrimonialibus admitti certum est; immo quandoque ex solis causis non-canonicis dispensatio conceditur.

614. Causae **dispensandi canonicae** numero sexdecim hae sunt[3]):

1. „*Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris condicionis, cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum."

---

[1]) *Concilium trid.* ibid.

[2]) Cf. *De principiis*[12] n. 185.

[3]) Recensentur in instructione *S. C. de prop. fide* 9. maii 1877.

Haec causa praeprimis in sponsa attenditur. *Locus* potest esse locus, ubi orta est vel ubi habitat seu domicilium vel quasi-domicilium habet sponsa. Si locus sponsi idem est vel si alius est, sed pari modo angustus, id in libello indicari potest in hunc modum: angustia loci, ubi *oratores* orti sunt vel angustia *locorum*, ubi oratores etc.

Locus hic non intelligitur parochia, sed pagus vel civitas, etsi in ea plures sint parochiae, dummodo ab aliis locis una saltem milliari (1500 metris) distet. Si ergo suburbium sit locus ab urbe distinctus propriumque nomen habeat, allegari potest angustia loci, dummodo ab urbe metris 1500 circiter distet[1]).

Angustus censetur locus, si non plures contineat quam 300 focos seu 1500 incolas demptis acatholicis, non autem incredulis et impiis.

Paris condicionis late accipiendum est, non solum de statu et opibus, sed etiam de aetate, educatione, genio, indole religiosa etc.

Invenire nullum sponsum dicitur mulier, si hic et nunc aptam nubendi occasionem non habeat, etsi nullum sponsum quaesierit, unum alterumve antea respuerit, ex alio loco virum habere possit, unus paris condicionis eam ducere velit, [illegible] scilicet matrimonii libertas nimium coarctetur.

2. „*Aetas feminae superadulta*, si scilicet vigesimum quartum aetatis annum iam egressa hactenus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur *viduae*, quae ad alias nuptias convolare cupiat".

Si femina maioris adhuc aetatis sit, iuvat id in libello supplici exprimere, quo facilius dispensatio obtineatur.

Opinabantur complures, si quando dispensatio concedatur propter aetatem sponsae superadultam, in verificatione causae ad validitatem dispensationis utrumque probari debere: mulierem [illegible] superadultam eamque usque ad illud tempus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenisse, verum satis est, *si certo constet de aetate superadulta*[2]).

3. „*Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis condicionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit."

---

[1]) S. C. C. 8. iul. 1876.

[2]) *S. Poenitentiaria* 5. apr. 1902.

Dotis nomen late intelligendum est de bonis fortunae, quibus onera matrimonii sustineri possint, non solum de dote stricte accepta, ubi nempe viget systema dotale.

Actu, etsi postea dotem habitura sit, sive a parentibus, qui eam nunc dare non possunt aut dare nolunt, nec ad eam dandam cogi possunt, sive a consanguineo, qui partem hereditatis promisit.

4. „*Lites super successione bonorum iam exortae* vel *earundem grave* aut *imminens periculum* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur praeter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet: interest enim reipublicae, ut lites exstinguantur. Huc proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit."

5. „*Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit atque in pericnlo incontinentiae versetur."

6. „*Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter eos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem maxime conduceret."

7. „*Nimia, suspecta, periculosa familiaritas* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non posset."

Cum ratio huius causae reponitur in scandalo vitando, requiritur, ut haec familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto originem dederit suspicioni de turpi conversatione inter nupturientes[1]).

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* VI n. 940.

8. „*Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret."

Si copula incestuosa, quae allegatur tamquam causa dispensationis, non ex humana fragilitate, sed ex spe facilius dispensationem obtinendi habita fuerit, haec circumstantia in supplicatione amplius exprimi non debet.

9. „*Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta maneret, vel disparis condicionis viro nubere deberet aut gravia damna orirentur."

10. „*Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata tridentini forma, contractum est, quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente conc. trid. (Sess. 24. c. 5. de reform. matrim.)."

a. Ubi agitur de dispensatione ad convalidandum matrimonium, indicari debet, num oratores impedimentum ignoraverint, num ignorantia facti vel iuris, num in facie ecclesiae contraxerint, num copulam habuerint, eamque bona vel mala fide, num de impedimento edocti copulam continuaverint.

b. Si una tantum pars matrimonium mala fide contraxit, semper anteactis quoque temporibus, concedebatur dispensatio; hodie vero conceditur, etsi utraque pars mala fide matrimonium contraxit, praesertim si proles iam nata sit vel matrimonii civilis immineat periculum.

11. „*Periculum matrimonii mixti* vel *coram acatholico ministro celebrandi*."

12. „*Periculum incestuosi concubinatus*."

13. „*Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam." Item matrimonium civile iam contractum, quod convalidandum sit.

14. „*Remotio gravium scandalorum.*“

15. „*Cessatio publici concubinatus.*“

16. „*Excellentia meritorum,* cum aliquis (sive sponsorum sive progenitorum) aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga ecclesiam aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus.“

615. Causae non-canonicae canonicis adiungendae sunt, sed his deficientibus quandoque ex solis non-canonicis in gradibus remotioribus conceditur dispensatio. Eiusmodi sunt:

1. *Ex parte oratricis*: *a.* Si alterutro vel utroque parente orbata; *b.* ex natalibus illegitimis orta; *c.* infirmitate, deformitate aliove defectu detenta; *d.* iam ab alio defloratа est.

2. *Ex parte oratoris: a.* Si infirmitate detentus; *b.* si viduus prole oneratus, cui quaerit bonam matrem; *c.* si adiutorio huius mulieris indigens est e. g. ad gerendam rem domesticam.

3. *Ex parte matrimonii*: *a.* Propositum contrahendi divulgatum; *b.* convenientia matrimonii; *c.* boni mores oratorum; *d.* bonum parentum, si pater vel mater indiget adiutorio.

Articulus quartus.

De modo petendi dispensationem.

616. Declarationes. Dispensatio petitur per libellum supplicem.

1. Si dispensatio petitur ab impedimentis publicis pro foro externo, libellus supplex conficitur a parocho; si ab impedimentis occultis pro foro interno petitur, a confessario.

2. Libellus supplex, sive a parocho sive a confessario confectus est, ordinarie dirigitur ad episcopum, qui vel ipse dispensat, si ad id potestatem habet, vel libellum dirigit ad congregationes romanas. Solum si agitur de

impedimento, quod petentem apud ordinarium diffamaret, vel periculum violandi sigillum adduceret, libellus immediate ad s. Poenitentiariam dirigitur.

3. Si cui ordinarius negaverit dispensationem, eandem a s. sede petere potest, etiam nulla denegationis facta mentione. Quodsi a s. sede primum negata fuerit dispensatio, non potest eadem ab ordinario peti. Immo dispensatio ab una congregatione negata non potest ab alia congregatione aut ab ordinario concedi sine prioris assensu, salvo iure s. Poenitentiariae pro foro interno[1]).

4. Libellus supplex fit nomine oratorum, non parochi vel confessarii, et quidem, si dispensatio pro foro externo petitur, expressis, si vero dispensatio pro foro interno petitur, tectis oratorum nominibus. In libellis ad congr. de Sacram. directis alloquendus est s. pontifex (beatissime pater); in libellis ad poenitentiariam directis poenitentiarius maior (eminentissime princeps).

5. Ad praecavenda varia incommoda, quae ex petitione dispensationum *per telegraphum* contingere possunt, *Leo XIII.* prohibuit, ne ss. congregationes *ordinarie* petitiones hoc medio factas acciperent, idemque ab ordinariis servari mandavit. Si tamen necessitas quamprimum obtinendae dispensationis urgeat, non prohibetur, quominus congregationes vel ordinarii petitiones per telegraphum missas accipiant[2]).

6. Dispensatio *peti* dicitur *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium*, si oratores solvendae taxae non sunt impares; dispensatio petitur *in forma pauperum*, si oratores declarant se solvendae taxae aut omnino aut ex parte impares esse. Pari modo dispensatio in forma ordinaria vel nobilium *concedi* dicitur, quando exigitur taxa, et in forma pauperum concedi dicitur, quando aut nulla aut solum parva iniungitur taxa.

---

[1]) Cn. 43.

[2]) *Secretaria status* 10. dec. 1891.

617. Quae in libello supplici exprimenda sint. Etsi libelli supplices ex usu diversarum regionum diversimode conficiantur, complura tamen sunt, quae sive ex iure sive ex stilo curiae necessario exprimenda sunt, ut dispensatio valida sit[1]).

1. *Nomen et cognomen oratorum,* utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scriptum.

Oratorum nominibus additur: *a. aetas* sive eo, quod numerus annorum sive eo, quod dies, mensis et annus nativitatis indicatur, quamvis id necessarium non sit, nisi aetas sit causa dispensandi; *b. dioecesis* originis vel actualis domicilii aut quasi domicilii: etenim si petitur dispensatio pro foro externo, exsecutio dispensationis committi solet ordinario. Quodsi petitur dispensatio pro foro interno, reticito nomine dioecesis, indicatur tantum lingua vernacula locus, ad quem mittenda sit dispensatio.

2. *Impedimentum seu impedimenta in infima sua specie* (consanguinitas, affinitas, publica honestas etc.).

3. *Gradus,* utrum simplex an mixtus, remotior an propinquior et in qua linea.

4. *Numerus* impedimentorum, non solum diversae sed etiam eiusdem speciei.

Praeter impedimenta dirimentia indicanda sunt etiam *impedimenta impedientia,* quamvis episcopus in iis dispensare possit aut iam dispensaverit: si enim cum impedimento dirimente simul concurrit impediens e. g. mixtae religionis, multo difficilius in dirimente conceditur dispensatio.

5. *Circumstantiae,* quae efficiunt, ut facilius vel difficilius dispensetur, scil. utrum matrimonium contrahendum sit an contractum, num in forma praescripta, num cognito impedimento, num consummatum sit et utrum bona vel mala fide.

Nota 1. Olim ex variis decretis et instructionibus romanarum congregationum ad validitatem dispensationis exprimi debebat *copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis exsecutionem, etiamsi ipsa copula incestuosa non fuerit causa dispensandi. Nunc vero abrogatis hisce statutis per decretum *s. Officii* 25. iun. 1885 dispensatio valida est, etsi reticita fuerit copula incestuosa inter sponsos habita.

[1]) Enumerantur haec in instructione *S. C. de propag. fide* 9. maii 1877, supra n. 592 in nota iam citata.

Quin etiam hoc eodem decreto, quo abrogatur obligatio exprimendi incestum commissum, abrogatur etiam obligatio exprimendi intentionem, si adfuerit, per illam facilius obtinendi dispensationem[1]). Ideo sponsi consanguinei in examine sponsorum de incestu inter se habito et de intentione per eum facilius obtinendi dispensationem interrogandi non sunt; quodsi incestus inter ipsos habitus evaserit publicus vel si sponte ab eis aperiatur, haec circumstantia in libello supplici indicari vel etiam omitti potest. Ex aliis tamen rationibus necessarium esse potest, ut in libello supplici declaretur incestus a sponsis commissus e. g. ad legitimandam prolem ex incestu susceptam.

Nota 2. *Schema genealogicum* (Stammbaum) ex parte congregationum non requiritur, in multis tamen dioecesibus statutum est, ut supplicationi in separato folio addatur.

6. *Causae dispensationis.* Supremum hac in re principium hoc est: „expressio et verificatio causarum pertinet ad substantiam dispensationis."

a. Necesse non est, ut omnes causae dispensationis, quae forte exsistunt, afferantur; sed pluribus exsistentibus afferendae pro lubitu eligi possunt, modo veritate nitantur. Praestat tamen, si adsint, plures afferre, ut certior sit supplicationis effectus.

b. Nihil impedit, quominus in libello supplici praeter causas canonicas etiam aliae non canonicae afferantur, quibus canonicae confirmentur.

c. Quandoque dispensatio concedi dicitur *sine causa*, quod significat, dispensationem concedi sine causa canonica aut sine causa expresse allegata. In hoc casu oratoribus pium opus aut largior eleemosyna in compensationem imponitur, adeo ut bonum ecclesiae, quod illo opere promovetur, sit causa dispensandi.

d. Ad concedendas dispensationes ab impedimentis gradus minoris non requiruntur causae canonicae, sed sufficiunt rationabiles causae s. sede probatae, proindeque in omni casu validae sunt dispensationes.

7. *Status fortunae oratorum,* ut taxa solvenda determinari possit, vel ut dispensatio, si oratores pauperes sint, gratis concedatur. Usus tamen indicandi hunc statum in diversis regionibus diversus est.

a. Iuxta praxim tribunalium romanorum *vere pauperes* non ii vocantur, qui labore manuum vel industria vivunt: hi proprio nomino *miserabiles* dicuntur, sed illi, quorum bona detractis debitis aliisque oneribus non multum excedunt tria millia (3000) francorum; et *fere pauperes* appellantur, quorum bona maiora sunt, sed decem millia (10.000) francorum non notabiliter excedunt.

b. In taxanda oratorum fortuna simul computari debent utriusque partis facultates, nisi una pars acatholica sit: huius enim fortuna

[1]) *S. Officium* 18. mart. 1891.

non attenditur; insuper ratio habenda est hereditatis, quam iure exspectant et muneris valde lucrosi e. g. regii ministri, medici etc., quod exercent.

c. De condicione oratorum s. sedi constare debet ex ordinarii authentico testimonio, quam condicionem cum ordinarius raro propria scientia cognoscat, eam discere debet ex attestatione parochi, qui proinde interrogatis ipsis oratoribus aliisque personis fide dignis ordinarium de oratorum fortuna certiorem reddere debet.

Nota. Hodie tamen s. sedes in multis regionibus acceptat oblationes ab oratoribus sponte factas, etsi taxa minores sint.

Num una pars altera ignara dispensationem petere possit.

a. Si impedimentum natura sua utramque partem simul afficit, ut consanguinitas vel affinitas, sufficit, ut una pars dispensationem petat et acceptet: nam cum dispensatio [illegible] extendat ad necessario connexa, una parte dispensata eo ipso impedimentum aufertur etiam ab altera, etsi dispensationem ignoraverit.

b. Si impedimentum natura [illegible] unam partem tantum independenter ab altera afficit, ut votum castitatis sive ab [illegible] sive ab utraque emissum, dispensatio peti potest inscia parte, quae impedimento afficitur. Et licet ipsa possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud [illegible] appositis clausulis appareat[1]).

618. De solvenda taxa vel componenda. Dispensationes pro *foro interno* conceduntur *gratis* omnino; pro aliis autem exigitur *taxa.*

1. *Taxa solvenda* occasione dispensationis obtentae plura in se continet: *a. taxam* proprie dictam pro sustentatione ministrorum congregationis romanae; *b. componendam* seu eleemosynam pro arbitrio s. sedis in pia opera impendendam; *c.* salarium pro labore *agentis*, qui in negotiis dioecesis Romae agendis operam suam praestat; *d. expensas postales.*

2. Si petitur dispensatio *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium*, oratoribus solvenda iniungitur aliqua taxa, quae pro eorum facultatibus, pro natura impedimenti et pro causa dispensandi diversa est.

---

[1]) Cn. 37.

Exigit quidem concilium tridentinum, ut gratis dispensetur[1]); attamen his illae tantum taxae prohibentur, quae in lucrum dispensantium cedant, non autem taxae, quae pro necessariis expensis et in pia opera impendantur, praesertim cum hoc modo rariores reddi possint dispensationes.

3. Si dispensatio petitur ab impedimento publico in *forma pauperum*, aliqua sed minor exigitur componenda, quae pro quibusdam regionibus plane condonatur.

4. *Si episcopus* vi delegationis in impedimentis matrimonialibus dispensat, excepta modica aliqua praestatione in dispensationibus pro divitibus ad sustentandam cancellariam, *nullum emolumentum* exigere potest; et si exegerit, tenetur ad restitutionem[2]).

619. Num valeat dispensatio, si in libello supplici contineatur error.

1. *Error circa nomen vel cognomen* oratorum non reddit invalidam dispensationem, si error est accidentalis seu parvi momenti, vel si e. g. una alterave littera vel aliqua syllaba mutatur, vel si omittitur unum nomen illius, qui duo habet, modo de identitate personae constet.

2. *Error circa impedimentum.*

a. Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu[3]).

b. Data a s. sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secum fert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero si intervenit machinatio[4]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De reform. matr.
[2]) Cn. 1056.
[3]) Cn. 1052.
[4]) Cn. 1053.

3. *Error circa causas.*

a. Si una tantum causa motiva affertur eaque falsa, dispensatio invalida est, etsi causa impulsiva sit vera.

b. Si una causa motiva affertur eaque vera, dispensatio valet, etsi causae impulsivae omnes falsae sint.

c. Si plures causae motivae et impulsivae afferuntur, dispensatio valet, modo una causa motiva vera sit.

d. Levis quaedam exaggeratio causae ceteroquin verae dispensationem non reddit invalidam.

4. Dispensationes tamen ab impedimentis gradus minoris nullo vitio obreptionis vel subreptionis irritantur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit[1]).

Error circa condicionem oratorum non reddit dispensationem invalidam: „gratiae enim validitati nihil unquam officiet error aut fraus circa oeconomicam oratorum condicionem“[2]).

620. De legitimatione prolis occasione dispensationis matrimonialis[3]).

1. Per dispensationem ab impedimento dirimente concessam ab eo, qui potestatem dispensandi ordinariam habet vel delegatam per indultum generale[4]), conceditur etiam *eo ipso* legitimatio prolis iam natae vel conceptae ex iis, qui dispensantur, nisi proles sit adulterina vel sacrilega.

2. Proles *non legitimatur* ipsa dispensatione, si dispensatio conceditur ab eo, qui potestatem delegatam habet per rescriptum particulare ad certum casum, sed legitimari debet per decretum speciale.

a. Facultas dispensandi ad certum casum concessa strictae interpretationis est (cn. 85), quae ideo praeter facultatem dispensandi non continet etiam facultatem legitimandi.

b. Ad legitimationem, quae nunc ipso iure fit, hucusque necessarium erat speciale decretum, quare ipsa expresse peti et seorsim a dispensatione concedi debebat, nisi per clausulam in rescriptis romanarum congregationum provisum erat.

---

[1]) Cn. 1054.

[2]) Constitutio *Sapienti consilio* Pii X. 29. iun. 1908.

[3]) Cn. 1051.

[4]) Cf. cn. 1043, cn. 1044.

Articulus quintus.

De modo concedendi et exsequendi dispensationem.

621. De modo concedendi dispensationem. 1. Dispensationes conceduntur aut in forma commissoria aut in forma gratiosa. In *forma commissoria* concedi dicuntur, si alicui committitur delegata facultas exsequendi dispensationem; in *forma gratiosa* concedi dicitur, si ipse superior (sancta sedes, episcopus) concedit plenam dispensationem et alteri solum iniungit mandatum cum dispensatis ex officio communicandi dispensationem factam[1]).

a. In impedimentis *occultis* dispensatio tum a s. sede tum ab episcopis concedi solet in forma commissoria. In impedimentis *publicis* a sancta sede dispensationes solent dari in forma commissoria, ab episcopis autem potius in forma gratiosa.

b. Ad diiudicandum valorem dispensationis attendi debet ad fornam, qua illa conceditur: nam ut valida sit dispensatio, causae in libello supplici allatae verae [redacted] debent eo tempore, quo conceditur dispensatio. Hinc si dispensatio conceditur in forma commissoria, causae verae [redacted] debent, quando commissarius dispensationem exsequitur, et si dispensatio conceditur in forma gratiosa, causae verae esse debent, quando dispensat curia sive romana sive episcopalis[2]).

2. Dispensationes conceduntur aut pro *foro externo* aut pro *foro interno*. Inter haec duo genera dispensationum duplex notandum est discrimen: *a.* dispensationes pro foro externo a s. sede exsequendae committuntur ordinario; dispensationes vero pro foro interno committuntur con-

---

[1]) Dispensationes matrimoniales s. sedes tripliciter diverso modo concedit. Quandoque ipsa plenam dispensationem confert, adeo ut nulla exsecutione opus sit (*in forma gratiosa*). Quandoque facultatem plene dispensandi concedit, quo in casu delegatus totum negotium dispensationis (dispensationem et exsecutionem) ipse perficit. Si dispensatio conceditur *in forma commissoria*, ipsam dispensationem confert s. sedes, dispensationis exsecutio vero *committitur* delegato (ideo forma *commissoria*). Dispensatio in hoc casu effectum non sortitur ante exsecutionem, delegatus tamen eam exsequendo non pro arbitrio procedere potest, sed *nudum ministerium* exercet.

[2]) Cn. 41; cf. tamen cn. 1054.

fessario ab oratoribus eligendo; *b.* aliae sunt condiciones et clausulae, sub quibus conceduntur dispensationes pro foro externo, et aliae, sub quibus conceduntur dispensationes pro foro interno.

3. In iure antiquo is, qui censura etsi occulta irretitus erat, incapax erat, qui gratiam vel dispensationem s. sedis reciperet. Ideo communicationi gratiae pontificiae praemittebatur ad cautelam absolutio a censuris. Nunc vero etiam ii, qui aliqua censura irretiti sunt, valide rescripta gratiae consequi possunt, iis tantum exceptis, in quos lata est sententia declaratoria vel condemnatoria. Post latam eiusmodi sententiam prius a censuris absolvi debent, ut rescriptum s. sedis valide recipere possint, nisi in rescripto pontificio censurae mentio fiat[1]). Quam ob rem in facultate dispensandi habitualiter concessa confertur etiam potestas absolvendi a censuris sed solum ad effectum dispensationis consequendae[2])

622. De commissario seu exsecutore dispensationum, quae pro *foro externo* conceduntur, ex iure recenti haec notanda sunt[3]).

a. Dispensationes ordinario oratorum commissas exsequi debet ordinarius, qui litteras testimoniales dedit vel preces ad s. sedem transmisit, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri. Attamen monendus est ordinarius loci, in quo matrimonium contrahere cupiunt[4]).

b. Dispensationes ordinario commissas exsequi potest etiam eius vicarius generalis et sede vacante vicarius capitularis.

c. Vicarius capitularis exsequi potest etiam dispensationes episcopo (defuncto) vel eius vicario generali re-

---

[1]) Cn. 2265, 3.
[2]) Cn. 66, 3.
[3]) *S. Officium* 20. febr. 1888. iussu *Leonis XIII.* Cn. 1055.
[4]) Cn. 1055.

missas et nondum exsecutioni mandatas. Dispensationes sede vacante vicario capitulari remissas exsequi potest episcopus successor et eius vicarius generalis.

d. Ordinarius, a quo dispensatio exsequenda est, potestatem eam exsequendi etiam alteri delegare potest, praesertim ordinario, in cuius dioecesi sponsi actu degunt, nisi subdelegatio prohibita fuerit[1]).

623. De modo exsequendi dispensationes pro foro externo concessas. 1. Facultas dispensandi ab impedimento matrimonii *valide* exerceri non potest, antequam rescriptum datae facultatis receptum sit; nec sufficit notitia datae facultatis aliunde accepta e. g. per telegraphum, nisi ex officio auctoritate s. sedis transmissa fuerit. Exsecutio ante receptum documentum facta, eodem recepto, repetenda foret[2]).

2. Commissarius accurate *observare debet clausulas* seu condiciones dispensationis, quae in rescripto continentur: omnes enim rationem praecepti pro qualitate materiae sub gravi vel sub levi obligantis habent; [redacted] nonnullis etiam validitas dispensationis dependet[3]). Praecipuae clausulae sunt:

a. Verificatio precum ante exsecutionem dispensationis, nisi agatur de impedimento gradus minoris. Modus hanc verificationem perficiendi arbitrio ordinarii relinquitur, qui [redacted] plerumque [redacted] parocho perficiendam curat. Verificatio potissimum fit examinando testes ipsosque oratores.

b. Remotio, si adsit, scandali praesertim per separationem sponsorum, tempore ordinario bene viso, si fieri possit. Haec clausula, quae in rescriptis continetur, quando incestus vel aliud delictum oratorum ut causa dispensationis affertur, ita intelligenda est, ut inter media reparandi scandalum praeferenda sit separatio sponsorum, quodsi haec fieri non possit, aliud medium eligi debet, modo aptum sit ad finem[4]).

---

[1]) Cn. 57.

[2]) *S. Poenitent.* 15. ian. 1894, [redacted] *Officium* 14. aug. 1892. Cn. 53.

[3]) *S. Poenitent.* 27. apr. 1886, Cn. 39.

[4]) *S. Poenitent.* 12 apr. 1889. Plerumque [redacted] hunc finem obtinendum nupturientes coram parocho et duobus testibus declarant se detestari iniuriam commissam et paratos [redacted] ad implendam poenitentiam impositam.

3. His (per parochum) praemissis commissarius dispensationem concedit, quae non ad validitatem, sed ut licita sit[1]), dari debet in *scriptis* facta expressa mentione delegationis apostolicae et impedimenti, in quo oratores dispensantur[2]).

4. Si exsecutor in exsecutione rescripti quocunque modo *erraverit*, dispensationem iterum exsecutioni mandare potest[3]).

624. De modo exsequendi dispensationes pro foro interno concessas. *Si Poenitentiaria* facultatem dispensandi *pro foro interno* concedit, quoad clausulas haec notanda sunt

1. Litterae dispensationis solent inscribit: *Discreto viro confessario ab ordinario approbato et ab orationibus electo;* quare dispensationem exsequi potest quilibet confessarius ab oratore electus, dummodo approbatus sit ab ordinario loci, in quo concedenda sit dispensatio.

2. Si in rescripto haec continentur: *discretioni tuae committimus, quatenus, si ita sit* — his verbis confessario iniungitur obligatio (ut *licita* sit dispensatio) inquirendi ex ipso poenitente, num exposita vera sint. Eius affirmationi simpliciter credere potest, nisi scientia extrasacramentali aliud sciat.

3. Si in litteris dispensationis haec continentur: *Latorem, audita prius eius sacramentali confessione a quibusvis censuris etc. absolvas,* non valet dispensatio, nisi praemissa confessione sacramentali detur in actu confessionis; at non requiritur absolutio sacramentalis. Hinc si poenitens non sit dispositus ad obtinendam absolutionem, tamen dispensari potest, et si absolutio esset sacrilega, nihilominus valida esset dispensatio[4]). Quodsi confessio expresse non prae-

---

[1]) *S. Officium* 19. iun. 1875. Cn. 56.
[2]) *S. C. de prop. fide* 12. ian. 1869 Cn. 1057.
[3]) Cn. 59, 1.
[4]) *S. Poenitent.* 19. maii 1854.

cipitur, dispensatio pro foro interno concedi potest extra confessionem.

4. Vi huius clausulae: *iniuncta poenitentia salutari*, iniungi debet poenitentia a poenitentia sacramentali distincta. Quandoque iniungenda praescribitur poenitentia gravis et longa, gravis et diuturna, gravissima et perpetua. Haec poenitentia determinanda est ab eo, qui dispensationem exsequitur, ratione habita condicionis, aetatis, sexus illius, cui iniungenda est.

a. Poenitentia *gravis et longa* esset opus poenitentiae, quod per annum vel per semestre quin etiam per trimestre singulis hebdomadis peragendum imponitur e. g. singulis hebdomadis semel aut bis rosarium recitare, singulis hebdomadis semel sacrum audire, singulis dominicis *viam crucis* peragere, saltem semel in mense ss. sacramenta suscipere etc. Poenitentia *gravis et diuturna* esset eiusmodi opus poenitentiae, quod per tres annos, aut per duos, quin etiam per unum annum peragendum iniungitur. Poenitentia *gravissima et perpetua* esset eiusmodi opus usque ad mortem peragendum.

b. Poenitentia in exsecutione dispensationis matrimonialis imponi et acceptari quidem debet, sed dispensatio non redditur invalida, eo quod poenitentia imposita a dispensato non impletur[1]); neque in eo casu, quo dispensatus ne intentionem quidem eam implendi habeat[2]).

5. Cum dispensatio manere debeat occulta, in rescripto dispensationis continentur haec verba: *praesentibus litteris sub poena excommunicationis latae sententiae per te post exsecutionem statim destructis.* Destructio *statim* i. e. saltem inter triduum facienda est *comburendo* vel *dilacerando* rescriptum. Hisce tamen confessarius non prohibetur litteras descriptas pro sua instructione servare, dummodo omnia omittantur, ex quibus persona poenitentis cognosci possit.

6. Si impedimentum unam tantum partem afficit ut votum castitatis, sufficit cum una parte dispensare. At si impedimentum utrique parti commune vel ex utriusque culpa inductum est ut impedimentum criminis, utraque pars confessarium (sive eundem sive etiam diversum) adire et dispensationem accipere debet.

---

[1]) *S. Poenitent.* 14. sept. 1891.
[2]) *S. Poenitent.* 12. nov. 1891.

a. Si altera pars alium eligit confessarium, rescriptum a primo confessario reddi debet poenitenti, qui illud tradit comparti, ut haec dispensationem a suo confessario petere possit[1]).

b. Utriusqae partis dispensatio non requiritur ad auferendum impedimentum, quod, cum sit indivisibile, una dispensatione quoad utramque partem aufertur, sed ut poenitentia salutaris utrique parti imponatur, cum utriusque sit culpa communis[2]).

7. Dispensatio pro foro interno *voce* conceditur et si in confessione concedenda sit, post absolutionem sacramentalem.

Determinata formula dispensationis non praescribitur; ideo concessa absolutione sacramentali confessarius uti poterit his vel similibus verbis: *Insuper auctoritate apostolica mihi commissa dispenso tecum super impedimento* (e. g. affinitatis), *ut eo non obstante matrimonium inire* (si iam contractum sit: *denuo inire*) *valeas. In nomine Patris etc.*

Quaestio septima.

De consensu matrimoniali.

Articulus primus.

De natura et proprietatibus consensus.

625. Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier de iure habiles mutuo sibi tradunt et acceptant ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actum coniugalem.

a. Sicut omnes alii contractus ita et matrimonium considerari potest *in fieri* seu prout est *actus* voluntatis inducens statum coniugalem, et *in facto esse*, prout est *status* coniugalis per ipsum illum actum productus et definitur legitima coniunctio viri et mulieris ad prolem generandam et educandam.

b. De iure habiles dicuntur personae, quibus neque ex iure naturali neque ex iure positivo obstat impedimentum, quo eorum matrimonium reddatur invalidum aut illicitum, proindeque personae, quae valide et licite matrimonium inire possunt.

---

[1]) *S. Poenitent.* 15. nov. 1748.

[2]) *S. Poenitent.* 7. febr. 1832.

c. Ius in corpus, quibus verbis significatur obiectum contractus matrimonialis, quod innuit s. Paulus his verbis: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*[1]). Quod mutuum ius et, quod cum eo cohaeret, mutuum officium significatur, si obiectum contractus matrimonialis dicitur: *individua vitae consuetudo*, quae *essentialiter* in illo ipso iure et officio consistit; *integraliter* etiam commune torum et cohabitationem continet.

d. Essentiale *obiectum contractus matrimonialis* est igitur ius et potestas in corpus, sed eatenus tantum, quatenus ex se aptum est ad actum coniugalem [illegible] ad generandam prolem. Scilicet distingui debet ius et potestas in coniugis corpus, quatenus aptum est ad actum generationis, quod est ius utendi corpore ad actum coniugalem, et [illegible] seu exercitium iuris per ipsum actum coniugalem; iam vero primum ad essentiale obiectum matrimonialis contractus pertinet; alterum vero ad eius essentiam non requiritur, ideoque salva matrimonii essentia ab obiecto contractus matrimonialis excludi potest.

e. Quandoquidem ius in corpus suum relate ad generationem quilibet coniugum alteri tradit, non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam peccat, tum qui post initum matrimonium ipse abutitur corpore suo, tum qui alteri extraneo usum corporis sui concedit.

626. Eius necessitas et sufficientia. 1. Consensus matrimonialis ad ineundum matrimonium plane *necessarius* et essentialis est, adeo ut nulla humana potestate unquam suppleri possit[2]).

2. Consensus matrimonialis ad matrimonium constituendum *sufficiens* est; copula carnalis ad id non requiritur: matrimonium enim potius in animorum unione quam in corporum commixtione essentialiter consistit.

Sunt, qui affirment mutuum consensum ad ineundum verum matrimonium non sufficere, nisi accedat *copula carnalis*, siquidem copula affectu maritali peracta constituat verum proprieque dictum matrimonium. Putant enim matrimonium non esse contractum consensualem, qui mutuo consensu, sed realem, qui mutua corporum traditione per copulam carnalem perficiatur. Verum cum doctrina ecclesiae catholicae haec theoria (Kopulatheorie) [illegible] concordat.

---

[1]) 1 Cor. 7, 4.
[2]) Cn. 1081, 1.

a. Ex doctrina ecclesiae constat, *matrimonium solo consensu contrahi.* Matrimonium, habet novus *Codex*, facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus[1]).

b. Si praeter consensum internum copula carnalis ad ineundum matrimonium essensialiter requireretur, rationem signi externi haberet, quo consensus exterius manifestaretur tum alteri contrahenti tum communitati (ecclesiae); atqui tale signum copula esse nequit, nec alteri contrahenti, cum non sit signum indubium, nec ecclesiae, quia non admittit testes.

627. Proprietates. Cum consensus matrimonialis essentialiter sit contractus bilateralis onerosus, easdem qualitates habere debet, quae ad eiusmodi contractus generatim requiruntur. Debet esse *a.* verus, *b.* deliberatus; *c.* mutuus; *d.* signo sensibili manifestatus; *e.* inter personas habiles initus, quarum qualitatum si una desit, nullum est matrimonium.

1. *Verus* seu internus (non externus seu fictus tantum), quo coniuges sibi mutuo tradere et acceptare volunt potestatem in corpus in ordine ad generationem prolis; sufficit autem consensus implicitus, modo *nihil eorum excludatur, quae ad essentiam contractus matrimonialis pertinent.*

a. Qui *ficte contrahit* i. e. exterius verba consensum exprimentia profert, at sine animo contrahendi seu tradendi ius ad actum coniugalem, invalide contrahit: deficiente enim consensu, etiam unius partis tantum, nullus est contractus[2]).

b. Si quis dicat se ficte consensisse: In foro externo ei fides non adhibetur, nisi id probet: internus enim animi consensus semper praesumitur conformis verbis et signis in celebrando matrimonio adhibitis[3]). In foro interno tenetur a debito petendo et reddendo abstinere, donec consenserit, et ordinarie tenetur etiam ad verum consensum ponendum, ut iniuria alteri parti illata reparetur; pars, quae verum consensum posuit, non tenetur credere alteri asserenti se ficte consensisse, etsi id iuramento confirmet, ideo licite debitum peteret, donec constet de defectu consensus.

---

[1]) Cn. 1081, 2.
[2]) Cn. 1086, 2.
[3]) Cn. 1086, 1.

628. 2. *Deliberatus* i. e. positus cum plena mentis advertentia et perfecto voluntatis consensu, quia contractus matrimonialis gravem obligationem inducit; nemo autem censetur ultro gravem obligationem in se suscipere, nisi plene et perfecte consentiat.

a. Qui ergo sive habitualiter sive actualiter i. e. eo tempore, quo matrimonium ineunt, *actus perfecte humani non sunt capaces*, nequeunt valide contrahere:

Infantes, perpetuo amentes et habitualiter semifatui, qui, etsi aliquem rationis usum habeant, non tamen ea deliberatione utuntur, quae ad peccatum mortale requiritur. Si tamen lucida intervalla habeant, in quibus actus perfecte humani capaces sunt, hoc tempore valide contrahere possunt.

Ebrii, semidormientes, hypnotisati etc., qui ratione ebrietatis, somni etc. perfecto usu rationis carent; qui tamen aliqua monomania laborant, valide matrimonium inire possunt, modo usus rationis non sit circa matrimonium turbatus.

b. Qui sciunt quidem matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad habendos filios institutam, sed *ignorant, quo modo filii procreentur*, valide contrahunt, quia implicite in verum matrimonium consentiunt: volunt enim societatem ad habendos filios institutam; ergo volunt etiam medium seu actum ad id necessarium[1]).

629. 3. *Mutuus* i. e. ab utraque parte positus: contractus enim matrimonialis est contractus bilateralis onerosus, qui ex utraque parte obligationem imponit; sed non potest ex utraque parte inducere obligationem, nisi uterque velit: nemo enim per contractum obligari potest, nisi ipse velit.

a. Mutuus contrahentium consensus debet esse *simultaneus*, at non requiritur, ut sit physice simultaneus, i. e. ut ab utroque eodem tempore eliciatur, sed sufficit, ut moraliter simultaneus sit, i. e. ut unius consensus adhuc perduret, quando alter consensum suum exhibet: maiorem enim simultaneitatem et unionem, quam hanc moralem nec ratio contratus nec ratio sacramenti exigit. Non *ratio contractus:* etenim si unius consensus semel elicitus non fuerit revocatus ideoque moraliter duret, alterius consensus se ei coniungere, atque ideo mutuum consensum constituere potest. Non *ratio sacramenti*, quia sufficit, ut materia et forma simul coëxsistant ea simultaneitate, quam exigit natura sacramenti; atqui natura huius sacramenti, quippe quod in contractu consistat, aliam simultaneitatem nisi moralem non exigit.

[1]) Cf. cn. 1082, 1.

b. Ad quaestionem, quantum temporis spatium inter unius et alterius consensum intercedere possit, ut adhuc moraliter simultranei censeantur, non una est auctorum responsio: alii enim censent quodcunque temporis intervallum, alii septennium, alii triennium, alii denique [redacted] intercedere posse, quin impediatur moralis simultaneitas consensuum, modo prior consensus non fuerit revocatus nec pro determinato tantum tempore elicitus. Duo in hac re certa videntur: consensum per lapsum longi temporis tacite revocatum censeri, nisi in aliquo effectu externo virtualiter perduret; quamdiu duret consensus semel elicitus, non absolute, sed relative determinandum esse, scilicet ratione habita adiunctorum particularium, quae efficiunt, ut consensus modo diutius, modo brevius perseveret[1]).

630. 4. *Legitime manifestatus:* ad validum enim matrimonium ineundum tum ratione contractus tum maxime ratione sacramenti (quod essentialiter in signo sensibili consistit) non sufficit consensus internus, sed requiritur externus, signo sensibili manifestatus.

Determinatum signum iure naturae non requiritur, iure autem ecclesiastico praescribitur, ut consensus *verbis* erprimatur[2]). Iis, quo loqui non possunt, adhibere licet aequipollentia signa: traditionem annuli, porrectionem manus, inclinationem capitis etc.

Si alteruter contrahentium ignota lingua utatur, consensus valide et licite manifestari potest per *interpretem*[3]). Sed requiritur *a.* ut adsit iusta causa; *b.* ut de interpretis fide dubitare non liceat; et *c.* si tempus suppetat, ut ordinarii licentia habeatur.

631. 5. *Personae de iure habiles* ad valide et licite contrahendum sunt vir et femina nullo impedimento dirimente vel impediente obstrictae. De impedimentis quidem supra sermo erat; hic solum quaeritur, *num validum sit matrimonium, si a contrahentibus a. ignoratur, b. dubitatur, c. falso putatur adesse impedimentum dirimens.*

---

[1]) Cf. *Sanchez*, l. 2. disp. 32. n. 6.
[2]) Cn. 1088, 2.
[3]) Cn. 1090.

1. Si reipsa adest impedimentum dirimens, etsi ignoratum ab uno vel ab utroque contrahentium, matrimonium est nullum, quaecunque est ignorantia sive iuris sive facti: ignorantia enim excusat quidem a peccato contra legem prohibentem, at non potest efficere, ut actus sit validus contra legem irritantem.

2. Si reipsa nullum adest impedimentum, sed tamen unus vel uterque contrahentium dubitat vel suspicatur inter ipsos forte aliquod impedimentum exsistere, matrimonium est validum: hi enim censentur consensum dare sub condicione de praesente: *si habilis sum;* quoniam autem condicio verificatur, consensus fit absolutus et validus.

3. Si unus vel uterque contrahentium certo sibi persuadet adesse impedimentum dirimens, cum tamen nullum inter ipsos exsistat, matrimonium validum esse potest: „scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit“[1]). Ex quibus supponi videtur, contrahentes consentire quantum possunt seu contrahere velle, si possibile sit, reipsa autem possibile est.

In praxi contrahentes diligenter examinandi sunt circa intentionem, qua contractum matrimonialem inierunt.

632. 6. Matrimonium est **contractus individuus** (unteilbar). Cum matrimonium natura sua sit contractus, isque bilateralis, de eo valet, quod de aliis eiusmodi contractibus statuitur, ipsum esse individuum, i. e. pro utraque parte aut validum aut invalidum, ita ut nequeat claudicare seu pro una tantum parte esse validus.

Si ergo ex una parte exhibetur consensus invalidus, aut si pars ad contrahendum est inhabilis seu impedimento dirimente irretita, matrimonium pro utraque parte est invalidum: ex natura enim individuitatis contractus pars inhabilis, ut ita dicam, inhabilitatem communicat alteri parti, minime vero pars habilis parti inhabili communicare potest habilitatem. Quodsi tamen accidit, ut pars habilis alteri parti communicaret habilitatem, id non factum est ex individuitate

[1]) Cn. 1085.

contractus, sed ex dispositione positiva legis. Dispositio autem legis hucusque vigens, vi cuius alter sponsorum a forma tridentina exemptus suam exemptionem alteri communicavit, sublata est per decretum *Ne temere*, adeo ut nunc pars, quae ad formam praescriptam tenetur, ad se trahat partem, quae ad formam non tenetur[1]).

633. Contrahentium praesentia. Ad matrimonium valide ineundum necesse est, ut contrahentes sint *praesentes* vel ipsi per se vel per *procuratorem*[2]). Sicut alii contractus, valet etiam matrimonium per procuratorem initum, sive unus sive uterque per procuratorem contrahit, modo adsint conditiones requisitae[3]): etsi enim ad validum matrimonium requiratur consensus proprius et personalis ipsorum contrahentium, hunc tamen consensum etiam per alium exhibere possunt. *Licite* autem id fieri potest solum ex iusta causa, si de authenticitate mandati constat et, si tempus suppetat, licentia ordinarii adsit[4]).

Quatuor condiciones requiruntur, ut matrimonium per procuratorem valide iniri possit:

a. Ut procurator speciale mandatum acceperit ad contrahendum cum determinata persona, quod subscriptum esse debet a mandante et vel a parocho aut ordinario loci, in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato vel a duobus saltem testibus. — Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur, qui scripturam ipse quoque subsignet, secus mandatum irritum est.

b. Ut mandans mandatum non revocaverit ante contractum matrimonium, neque in amentiam inciderit. In hoc casu matrimonium invalidum est, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint.

c. Ut procurator per se munere suo fungatur.

d. Ut serventur statuta dioecesana, si quae insuper de hac re exsistant.

---

[1]) *Boeckenhoff*, De individuitate matrimonii (Berolini. Germania. 1901).

[2]) Cn. 1088.

[3]) Cn. 1089.

[4]) Cn. 1091.

Articulus secundus.

De consensu condicionato[1]).

634. De ipsis condicionibus. Nec natura contractus nec ratio sacramenti per se impedit, quominus matrimonium sub condicione iniri possit, nisi condicio substantiae matrimonii repugnet. Attamen matrimonia condicionata non admittuntur, nisi ex urgentissima causa. De ipsis autem condicionibus, quae a contrahentibus privatim aponi possent, haec notanda sunt:

1. Condicio de futuro necessaria (*si cras sol orietur*) vel impossibilis (*si digito coelum tetigeris*) vel turpis (*si patrem occides*) pro non adiecta habetur: praesumitur enim eam non esse serio accipiendam. Matrimonium ergo sub eiusmodi condicione initum in foro externo validum habetur. Quodsi certo constaret ea serio adiecta esse, condicio quidem necessaria et impossibilis matrimonium reddit nullum, condicio autem turpis efficit, ut matrimonium impleta condicione valeat, condicione autem non impleta invalidum sit: praesumtio enim cedit veritati.

Ratio huius dispositionis iuris, vi cuius matrimonium in hoc casu potius validum praesumitur, quam invalidum, est, quia haec dispositio cedit in favorem matrimonii; cavetur enim periculum solvendi matrimonium forte validum et aliud contrahendi invalidum, si nempe consensus reipsa adfuisset.

2. Condicio de futuro contra substantiam matrimonii hoc reddit invalidum. Quaenam sint condiciones contra substantiam matrimonii mox dicetur.

3. Condicio de futuro licita (*si pater tuus consentit*) valorem matrimonii suspendit. Si non impletur condicio, nullum est, impleta autem condicione validum est, sive contrahentes sciunt sive nesciunt condicionem impletam esse. Interim vero tenentur exspectare condicionis eventum, nec licet uni, altero invito, revocare consensum.

---

[1] Cn. 1092.

a. Impleta condicione de futuro requiritur *novus consensus,* si alterutra pars interim consensum revocavit; quodsi consensus revocatus non fuit, matrimonium impleta condicione fit validum, quin renovetur consensus: nulla enim est ratio de matrimonio aliud statuendi ac de aliis contractibus, quia Christus rationem contractus non immutavit, cum illum ad rationem sacramenti elevaret. Nihilominus suaderi potest, ut renovetur consensus. Hanc doctrinam, cononistis eam passim concedentibus, complures moralistae impugnant. Verum cum nullo iure quoad matrimonium statuatur exceptio, tenendum est matrimonium aeque atque alios contractus sub condicione initos sine novo consensu validum esse.

b. Ex iure antiquo et recenti (cn. 1100) expressa episcopi licentia necessaria est, ut consensus matrimonialis sub condicione detur.

c. Contrahentes de exsistentia condicionis certi esse debent, antequam matrimonio utuntur.

4. Condicio de praeterito (*si pater tuus mortuus est*) vel de praesenti (*si es filia Sempronii*) matrimonium reddit validum vel invalidum, prout condicio verificatur vel non.

635. De condicionibus contra substantiam matrimonii. Sicut tria sunt bona essentialia matrimonii, ita pariter tres distinguuntur obligationes eius essentiales et tres condiciones, quae iisdem obligationibus et proinde etiam substantiae matrimonii adversantur: *a.* si generationem evites; *b.* si te adulterandam tradas; *c.* nisi te ditiorem reperiam.

1. Matrimonium initum cum condicione, quae sit *contra essentialem obligationem matrimonii,* invalidum est: etenim sine essentialibus obligationibus matrimonium exsistere nequit.

a. Qui contrahit sub condicione, qua se obligat sive ad non utendum matrimonio nisi modo onanistico sive ad generationem frustrandam vel impediendam, sive ad procurandum abortum, invalide contrahit, quia condicio apposita contraria est *bono prolis.*

Qui de *partiali frustratione generationis* conveniunt, una nempe alterave prole suscepta nonnisi onanistice congrediendi, valide contrahunt, si hac condicione non ipsam obligationem rite congrediendi, sed solum voluntatem obligationem susceptam implendi excludere inten-

dunt. Quodsi hac condicione ipsam obligationem rite utendi matrimonio excludere intendunt, invalide contrahunt: ad essentiale enim obiectum contractus matrimonialis pertinet obligatio perpetua, non solum temporanea, actum coniugalem peragendi iuxta naturam. Si intentio contrahentium dubia esset, in praxi renovari deberet consensus.

Matrimonium sub condicione initum *filios educandi in haeresi*, non est invalidum: haec namque condicio est quidem contra bonum spirituale, non autem contra bonum naturale prolis; etenim solum condicio, quae est contra bonum naturale prolis, adversatur substantiae matrimonii, quippe quae obligationem involvat ad actus, quibus proles generari et physice, non pie et sancte, educari possit.

b. Qui contrahit sub condicione, *qua excluditur ius in corpus alterius*, item qua alterutri vel utrique conceditur ius vel imponitur obligatio *cum aliis se commiscendi*, invalide contrahit, quia condicio apposita est contra *bonum fidei*.

Quaeritur, num matrimonium initum sub expressa condicione *servandi virginitatem* seu nunquam utendi matrimonio invalidum sit. In hac quaestione distinguendum est id, quod certum et ab omnibus admissum est, ab eo, quod inter doctores controversum est.

Certum est matrimonium esse validum, si contrahitur ab iis, qui votum emiserunt servandi continentiam in matrimonio seu non utendi matrimonio contracto: in hoc enim casu condicio de servanda continentia a coniugibus non deducitur in pactum.

Controversum est, num valeat matrimonium, si contractui matrimoniali ab utraque parte apponitur condicio de praesenti: *tecum contraho, si te obligas ad servandam continentiam;* uno ergo eodemque consensu traditur ius ad usum corporis et simul iniungitur obligatio non utendi iure traditio. Atqui etiam in hoc casu matrimonium validum esse videtur, quia hac condicione apposita contrahentes non excludunt mutuum ius in corpus, sed tradito hoc iure eiusdem usui renuntiant. Et sane, qui contrahit sub condicione servandae virginitatis, acquirit ius in copulam, sed simul obligationem induit non utendi hoc iure seu copulam non exigendi[1]).

---

[1]) Cf. Zeitschrift für k. Theol. XXVII. (1903) S. 719. Quoad matrimonium *b. Virginis Mariae cum s. Iosepho* certum est inter ipsos intercessisse verum matrimonium; pariter certum videtur eos iam ante matrimonium emisisse votum perpetuae virginitatis proindeque contraxisse sub condicione servandae virginitatis. Verum cum certum non sit eos hanc condicionem in pactum deduxisse et expresse contractui matrimoniali apposuisse, ex eorum matrimonio nequit desumi argumentum ad confirmandam doctrinam expositam.

c. Qui contrahit sub condicione in certo aliquo eventu e. g. adulterii, discordiarum etc. *solvendi vinculum matrimoniale*, invalide contrahit, quia condicio adiecta est contra *bonum sacramenti*.

Ex his non sequitur invalidum esse *matrimonium graecorum*, qui docent propter adulterium solvi matrimonium, vel *haereticorum et infidelium*, qui putant matrimonium in certis adiunctis solubile esse, et ideo contrahunt cum animo illud in certo eventu solvendi; condicio enim solvendi matrimonium non deducitur in pactum neque ulla ratione exterius manifestatur. Scilicet hi omnes in contrahendo matrimonio duas intentiones habent, alteram contrahendi verum et validum matrimonium et alteram contrahendi matrimonium solubile; haec autem secunda intentio per priorem utpote praevalentem destruitur, atque ideo valide contrahunt. Cum hac doctrina concordat praxis ecclesiae, quae acatholicorum matrimonia propter eiusmodi errorem nunquam habuit irrita et nulla.

2. Ut invalidum sit matrimonium initum sub condicione, quae eius substantiae repugnet, requiritur, ut condicio *in pactum deducatur* seu expresse contractui matrimoniali ab utroque contrahente apponatur.

a. Si ab uno tantum contrahente eiusmodi condicio apponatur altero contradicente, et ille nihilominus contrahat, eo ipso a prava condicione recessisse praesumitur. Si tamen reipsa haberet intentionem excludentem essentialem aliquam obligationem, matrimonium in foro interno esset nullum, quia sine vero interno consensu contractus matrimonialis fieri non potest.

b. Qui contrahit cum intentione *non servandi obligationes matrimoniales*, ergo non generandi, adulterandi, negandi debitum etc., illicite quidem contrahit, sed tamen valide, quia solum propositum habet non implendi obligationes susceptas. Item si condiciones turpes, quae essentiae matrimonii non adversantur, in pactum deducantur, matrimonium non fit invalidum.

Nota. *Matrimonium s. Iosephi (Iosephsehe)*, quod dicitur, est matrimonium initum ad exemplum matrimonii s. Iosephi et beatae v. Mariae, nimirum cum voto perpetuae et perfectae castitatis. Ut eiusmodi matrimonium iniri possit, haec requiruntur: *a.* votum castitatis perpetuae mutuo consensu emissum; *b.* animi propositum contrahendi verum matrimonium i. e. acquirendi omnia iura veri coniugii, praesertim ius utendi corpore alterius partis; *c.* voluntas in perpetuum cedendi usu iuris in alterius corpus per matrimonium acquisiti *d.* moralis certitudo, quod exclusum sit periculum peccandi.

Articulus tertius.

De defectibus consensus.

Defectus consensus duplex esse potest: *a.* ex parte *intellectus*, qui circa contractum, personam vel qualitates eius *errat; b.* ex parte *voluntatis*, quae per *vim aut metum* cogitur inire matrimonium. Iam quaeritur, utrum et quando error vel vis aut metus in contractum matrimonialem influentia matrimonium faciant invalidum. In antiquo iure error vel vis aut metus sub certis condicionibus considerantur tamquam impedimenta matrimonium dirimentia; sed cum non sint impedimenta proprie dicta (inhabilitates nimirum personarum) in novo Codice potius defectus essentiales consensus dicuntur quam impedimenta.

§ 1. Error.

636. De ipso defectu. 1. Error circa ipsam *naturam* seu obiectum contractus matrimonium reddit invalidum, quia deficiente obiecto nullus exsistit contractus matrimonialis, ut si alterutra pars putaret, matrimonium esse societatem initam ad curandam rem domesticam. Id saltem scire debent contrahentes, matrimonium esse societatem initam ad filios procreandos, atque ad hunc finem assequendum necessarium esse concursum proprii corporis, et proinde alteri parti concedi ius in proprium corpus, quatenus ad filios procreandus necessarium est[1]).

Error circa proprietates essentiales (unitatem, indissolubilitatem) aut dignitatem sacramentalem matrimonii consensum non reddit nullum, dummodo contrahens velit verum matrimonium inire seu more alio-rum contrahere[2]). In hoc enim casu habet duas intentiones, alteram generalem ineundi verum matrimonium, alteram erroneam ineundi e. g. matrimonium solubile; iam vero intentio illa generalis praevalet, ets

---

[1]) Cn. 1082, 1.
[2]) Cn. 1084.

non contraxisset, si indissolubile cognovisset. Qui tamen animo ita dispositus est, ut expresse nolit matrimonium indissolubile, valide non contrahit.

2. Error *circa ipsam personam,* quacum contrahitur, matrimonium reddit invalidum: in contractu enim matrimoniali, secus atque in aliis contractibus, persona constituit obiectum substantiale contractus[1]).

Qui ergo ex errore cum alia persona contrahit, non cum ea, quam ipse intendit, ut si quis contrahit cum Lia putans esse Rachelem, non contrahit, etsi cognita veritate nihilominus contraxisset.

3. Error *circa qualitatem personae, quae redundat in ipsam personam*[2]). In duplici autem casu error circa qualitatem in ipsam personam redundare censetur: *a.* si qualitas est *condicio consensus* i. e. si consensus solum datur dependenter ab exsistentia alicuius qualitatis, ut si quis nolit ducere Bertham, nisi sit nobilis; *b.* si qualitas est *determinativa personae* i. e. si qualitas in mente contrahentis determinat personam aliunde ignotam et ex sola hac qualitate notam.

Si quis ergo velit contrahere cum primogenita, offerratur autem ei secundogenita, quae primogenitam se esse simulat, nullum erit matrimonium.

Error circa qualitatem personae, qui *non redundat* in errorem personae, matrimonium non reddit invalidum: quod enim non aufert consensum substantialem in determinatam personam, non irritat matrimonium. Ergo si quis ducit Annam putans eam esse nobilem, virginem, divitem, sanam, cum non sit, valet matrimonium, etsi Annae id falso asserenti credidisset. Etsi in aliis contractibus error antecedens dolo causatus contractum reddat invalidum seu potius rescindibilem, matrimonium tamen non reddit invalidum, modo error non redundet in personam, propter bonum commune ob naturam indissolubilem contractus matrimonialis: pauca enim contrahuntur matrimonia, in quibus non subsit in alterutra parte aliquis error accidentalis, qui non raro etiam dolo causatus est.

Nota. Hi errores matrimonium dirimunt *iure naturae:* verus enim consensus liber et deliberatus in obiectum con-

[1]) Cn. 1083.
[2]) Cn. 1083, 2. 1.

tractus ex ipsa natura contractus requiritur. Ergo omnium hominum, fidlieum et infidelium, matrimonium dirimunt[1])

4. Error personae liberae circa *condicionem servilem* servitute proprie dicta personae, quacum matrimonium contrahit, matrimonium facit irritum[2]).

a. Ut ignorantia circa condicionem servilem matrjmonium dirimat, tria requiruntur: α. servitus, eaque perfecta unius partis; β. libertas alterius partis; γ. ex parte libera ignorantia servitutis alterius partis.

Ex his sequitur validum esse matrimonium initum inter duas partes servituti subiectas, et pariter validum esse matrimonium initum inter partem liberam et servam, si pars libera condicionem servilem alterius partis cognoscit.

b. Licet error circa qualitatem personae, quae non redundet in ipsam personam, matrimonium non dirimat, excipiendus tamen est ex iure ecclesiastico error circa qualitatem *condicionis servilis*. Sunt quidem errores de aliis quoque qualitatibus, quae in matrimonio maioris momenti sunt, ut de carentia virginitatis, de morbo epileptico vel syphilitico; verum errorem de his qualitatibus ecclesia non constituit impedimentum dirimens matrimonii, etsi dolo causatus sit. Codices tamen civiles errorem de certis qualitatibus matrimonium dirimere statuunt.

Hic error matrimonium irritat *iure ecclesiastico*, ex quo sequitur validum esse matrimonium initum inter infidelem liberum et servam infidelem, etsi pars libera ignorasset condicionem servilem alterius partis.

Error condicionis servilis iure naturae matrimonium non dirimit, quia condicio servilis non excludit absolute bona essentialia matrimonii; quia tamen hisce bonis aliquatenus adversatur, iure optimo ecclesia hoc impedimentum statuebat: „Adversatur, ait *Busenbaum*: *a.* bono sacramenti, cum servus invito domino nequeat cohabitare coniugi; *b.* bono fidei coniugalis, cum non possit solvere debitum ad libitum alterius; *c.* bono prolis, cum servus omnia acquirat domino," nec proles maneat in parentum potestate, ut religiose educari possit.

§ 2. Vis seu metus.

637. De ipso defectu. 1. Matrimonium initum ob vim vel metum gravem, ab extrinseco et iniuste in ordine ad contrahendum incussum invalidum est[3]).

[1]) Cf. Gen. 29, 24.
[2]) Cn. 1083, 2. 2.
[3]) Cn. 1087, 1.

a. Termino vis non intelligitur coactio absoluta, quae solum actibus externis renitente interius voluntate inferri potest, quae proinde voluntarium tollit, sed coactio condicionalis seu moralis, quae voluntatem ad volendum movet sub comminatione vel inflictione mali, adeo ut voluntas consentiat ad malum declinandum alias non consensura. Haec coactio, quae est inflictio vel comminatio mali, ad metum se habet ut causa ad effectum. Vis igitur recte ad *metum* reducitur, et ad illum quidem metum, qui consensum minuit, sed non tollit.

b. Matrimonium ex gravi metu initum non ideo ab ecclesia declaratur invalidum, ac si deesset verus consensus; sed verum consensum, metu tamen extortum, ipsa declarat invalidum, ut plenae matrimoniorum libertati consulatur, sine qua matrimonia fausta esse nequeunt.

2. Metum dirimere matrimonium *iure ecclesiastico* certum est; num etiam iure naturae, controvertitur.

Qui id cum *Sanchez, Lugo, Schmalzgrueber, Gasparri, Kugler negant,* in hunc modum argumentantur: metus iste non aufert voluntarium, cum sufficientem deliberationem non impediat; ergo adest consensus, qui ad valorem contractus matrimonialis ex iure naturae requiritur. Insuper metus iniuste incussus non magis aufert libertatem, quam metus iuste vel a causa naturali incussus; sed metus a causa iusta vel naturali incussus non dirimit matrimonium. Qui id cum *s. Thoma, Pontio, Tamburini, Reiffenstuel, Rosset, Ballerini, Aichner affirmant,* concedunt adesse consensum, qui de iure naturae ad valorem aliorum contractuum requiratur; contractus autem matrimonialis natura sua exigit plenam omnino libertatem in contrahendo: alii enim contractus initi ex metu iniuste incusso sunt rescindibiles; cum autem matrimonium rescindi non possit, requiritur, ut ab initio sit invalidum. Utraque sententia probabilis, sed posterior praeferenda videtur. Quare solum causa metus sublata matrimonium iniri vel invalide initum convalidari potest: quamdiu enim durat metus iniuste incussus, durat etiam causa inefficacis consensus.

638. Declaratio. Ut metus certo matrimonium irritet debet esse: *a.* gravis; *b.* iniustus; *c.* incussus in ordine ad matrimonium.

1. *Gravis;* metus non solum absolute sed etiam relative gravis matrimonium dirimit; metus autem *levis* matrimonium non invalidat.

Si dubium est, num metus censendus sit gravis, standum est pro valore matrimonii tum ex generali principio: *in dubio standum est pro valore actus,* tum propter reverentiam sacramenti.

2. *Iniustus;* metus iniuste incussus dicitur: si quis minatur malum, cuius inferendi ius non habet; si quis mendacio fingit alteri grave malum imminere, ut obtineat eius consensum matrimonialem.

Ad id ergo in casibus particularibus attendendum est, num malum alteri inferendum sit *contra iustitiam.* Sic si stuprator a iudice sub comminatione poenae cogitur ducere personam laesam, metus *iniuste* incussus est, quia iudex solum ius habet exigendi *aut* matrimonium *aut* dotationem. — Si avunculus minatur nepti se ei negaturum esse pecuniae summam, nisi determinato iuveni nubat, quam pecuniam in casu matrimonii dare decreverat, metus *non est iniuste* incussus, quia avunculus non tenetur pecuniam dare. — Si medicus puellae minatur, nolle se curam impendere matri eius graviter aegrotanti, nisi matrimonium secum ineat, metus est *iniuste* incussus, si medicus curam impendere tenetur.

3. Incussus *ab extrinseco et in ordine ad matrimonium. Ab extrinseco:* nam metus a causa interna productus nunquam potest esse iniustus. *In ordine ad matrimonium:* nam ille metus dirimit matrimonium, qui contrahentem cogit eligere matrimonium, ut a metu se liberet.

Nihil autem refert, utrum incussus sit ab altero contrahente, an ab aliquo tertio e. g. a patre eius; utrum ipsi contrahenti, an eius consanguineis, affinibus etc. incutiatur.

Metum gravem, sed non incussum ad extorquendum consensum, matrimonium non dirimere nunc certum est, cum *Codex* dicat, nullum alium metum invalidare matrimonium praeter eum, qui nupturientem cogat eligere matrimonium, ut a metu iniuste incusso ea liberet Cn. 1087.

4. *Metus reverentialis* ex se levis est, quandoque autem in certis adiunctis fieri potest gravis[1]). Quare etiam metus reverentialis, si gravis sit et iniuste incussus in ordine ad contrahendum, invalidare potest matrimonium.

Articulus quartus.

De effectibus matrimonii.

Cum de effectibus matrimonii sacramenti iam dictum sit (n. 489), pauca dicenda restant de effectibus matri-

[1]) Cf. *De principiis*[12] n. 55.

monii contractus, quorum alii referuntur ad coniuges, alii ad filios.

§ 1. Effectus quoad coniuges.

639. Quinam sint. 1. Primus et praecipuus est *vinculum coniugale* (matrimonium in facto esse natura sua perpetuum et exclusivum[1]), quod ad *prolis generationem* ordinatur, quapropter in eo fundatur ius et officium ad actus coniugales. Hoc ius consistit in una parte in potestate exigendi debitum coniugale, cui in altera parte respondet obligatio debitum reddendi.

2. Ius ad actus coniugales, quod coniugibus ab ipso matrimonii initio competit, in utraque parte *aequale est*[2]: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro*[3]).

a. Antiquum ius, quo neoconiuges primo bimestri non tenebantur reddere debitum coniugale, si alteruter eorum de ingredienda religione votorum sollemnium deliberare voluerit, ablatum est.

b. Attamen ius exigendi ab altera parte debitum amitti potest, sicut etiam obligatio alteri parti reddendi debitum cessare potest.

3. Ius et officium per actus coniugales generandi prolem postulat *individuam vitae consuetudinem* seu communionem habitationis, tori et mensae, ad quam coniuges ex iustitia tenentur: *Relinquet homo patrem suam et matrem suam et adhaerebit uxori suae*[4]).

4. Quamvis in vita coniugali aequalia sint iura et officia coniugum, in reliqua vitae consuetudine uxor subordinatur marito: *Mulieres viris suis subditae sint, quoniam vir caput est mulieris*[5]). Ipsi enim competit potestas maritalis in uxorem, qua vir, non tamquam a serva sed tamquam a socia, exigere potest, ut ipsum in curanda et gubernanda familia adiuvet. Vi huius potestatis vir con-

---

[1]) Cn. 1110.
[2]) Cn. 1111.
[3]) 1 Cor. 7, 3.
[4]) Gen. 2, 24.
[5]) Eph. 5, 22.

stituitur caput familiae, quam totam de necessaria et convenienti sustentatione providere debet.

5. *Uxoris* est maritum in gubernanda familia iuvare et rem familiarem curare. Ipsa ex sua parte *a.* ordinarie fit particeps *nominis, status,* dignitatis, et privilegiorum mariti; *b.* acquirit *domicilium* mariti. Potest tamen quasi-domicilium sibi comparare, si legitime a marita separata sit[1]).

6. Ius et officium curandi *educationem* prolis tum religiosam et moralem, ut in religionis doctrina instituantur, tum physicam et civilem, ut eas artes addiscant, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, tum providendi eorum bono temporali, ut parentes eis res necessarias et convenientes (vestes, alimenta) procurent[2]).

§ 2. Effectus quoad filios.

640. 1. Legitimitas. *Quinam filii legitimi.* Filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo sunt legitimi[3]).

a. Legitimi non censentur filii nati ex valido matrimonio, cuius *usus* parentibus tempore conceptionis ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus erat. Haec dispositio ab ecclesia facta est in poenam huius criminis: iure enim naturali et civili eiusmodi filii legitimi sunt.

b. Ad solvendum *dubium,* num proles nata sit ex legitimo commercio coniugali, applicatur principium iuris romani ab ecclesia adoptati: *Pater is est, quem iustae nuptiae demonstrant.* Hinc filii ex uxore nati *praesumuntur* patrem habere maritum, donec evidentibus argumentis contrarium probetur[4]). Quare legitimi praesumuntur filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die solutae vitae coniugalis[5]). Hi termini constituti sunt ratione habita limitum extremorum, inter quos teste experientia nativitas et conceptio invicem distare possunt.

---

[1]) Cn. 1112.
[2]) Cn. 1113.
[3]) Cn. 1114.
[4]) Cn. 1115, 1.
[5]) Cn. 1115, 2.

641. Legitimatio. *Quinam legitimentur.* 1. Per subsequens parentum matrimonium *a.* sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etsi non consummatum (ut si contrahitur in articulo mortis) legitimantur omnes filii naturales (non autem spurii), *b.* dummodo parentes habiles fuerint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis filiorum[1]).

a. Filii extra matrimonium nati a personis, inter quas tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis fieri potuisset matrimonium, dicuntur *naturales*, alii dicuntur *spurii*, qui vel sunt *adulterini* vel *incestuosi*.

b. Legitimatio contractum matrimonium consequitur ex ipsa iuris dispositione sine consensu parentum aut ullo alio actu positivo.

2. Filii per subsequens matrimonium legitimati quoad effectus canonicos in omnibus *aequiparantur legitimis*, nisi aliud expresse cautum fuerit.

Ergo non sunt irregulares, adeo ut sine dispensatione ad sacros ordines aliasque dignitates ecclesiasticas promoveri possint. Iure autem expresse cautum est, ut inhabiles maneant ad cardinalatum, episcopatum, abbatiam vel praelaturam *nullius*[2]).

Quaestio octava.

De forma celebrationis matrimonii.

642. Principium. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus novi Codicis[3]).

---

[1]) Cn. 1116.
[2]) Cn. 1117.
[3]) Cn. 1094.

Agendum ergo *a.* de parocho competente; *b.* de sacerdote delegato; *c.* de testibus; *d.* de iis, qui hac forma teneantur; *e.* de cessatione obligationis ad formam.

Ad praecavenda dubia, quae in hac parte facile oriri possent, nomine *delegationis* hic significatur facultas valide, nomine *licentiae* facultas licite assistendi.

Articulus primus.

De parocho competente.

643. Nomine parochi censetur 1. *Parochus*, qui vulgo vocatur, cui in titulum (habitualiter) collata est parochia cum cura animarum.

2. *Quasiparochus*, qui regit quasiparochiam i. e. determinatum territorium in locis missionum.

3. *Vicarius parochialis*, qui plena potestate praeditus parochiae incorporatae vel vacanti praeest, vel supplet parochum licite absentem aut permanenter inhabilem.

4. *Parochi personales*, ad quos censentur

a. parochi simultanei, qui simul cum alio parocho in eodem loco curam animarum exercent;

b. parochi castrenses;

c. capellani vel rectores *piorum locorum* cum plena potestate parochiali.

644. Quis assistere debeat. 1. Matrimonio assistere debet parochus loci, qui valide quidem assistit matrimonio subditorum tum etiam non subditorum, licite autem *a.* matrimonio suorum subditorum absolute sine ulteriore licentia; *b.* non subditorem cum licentia parochi proprii sponsorum[1]). Nunc ergo competens ad valide assistendum est quilibet parochus in suo territorio vi officii parochialis, ita ut semper valide assistat, sive sponsi ex sua sive ex aliena parochia sint.

---

[1]) Cn. 1095, 1. 2.

Quod de parocho loci relate ad parochiam dicitur, idem valet etiam de *ordinario loci* (et vicario generali) relate ad dioecesim.

a. Parochus, qui territorium *cumulative* cum alio parocho habet, matrimoniis suorum subditorum valide et licite, matrimoniis autem aliorum valide, sed illicite assistit[1]).

b. Circa *parochos castrenses* novus Codex nihil immutavit[2]). Parochi igitur castrenses cum propria cura animarum, (ut antea in Austria et in Borussia) matrimoniis militum subditorum ubique valide et licite assistunt et alium sacerdotem ad assistendum delegare possunt, ubi morantur; matrimoniis autem aliorum fidelium assistere nequeunt. Potestas parochorum castrensium non videtur esse exclusiva, adeo ut etiam parochus utriusque vel alterutrius ex contrahentibus eorum matrimonio valide et licite assistere possit.

c. Capellani seu *rectores piorum locorum* a iurisdictione parochiali exemptorum in loco iurisdictionis suae matrimoniis suorum, non item aliorum, valide et licite assistunt absque delegatione parochi loci, ubi situs est locus pius.

2. Valide assistit etiam *parochus putativus,* qui parochus non est, sed errore communi talis esse putatur, etsi titulum coloratum non habeat[3]); valide autem non assistit parochus *intrusus,* quia nec parochus nec a legitima auctoritate (etsi invalide) parochus nominatus est.

Parochus *intrusus* dicitur, qui absque superioris legitimi consensu ab auctoritate illegitima e. g. civili nominatus et institutus est.

645. Condiciones ad validam assistentiam[4]). Valide parochus solum assistit:

1. A die adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi per sententiam fuerit excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio vel ut talis declaratus.

a: ergo parochus ante sollemnem institutionem (installationem) parochiam administrat, matrimoniis valide assistere nequit, nisi ab ordinario facultatem assistendi expresse obtinuerit. — Possessionem

[1]) S. C. C. 1. febr. 1908 n. 8.
[2]) Cn. 451, 3.
[3]) Cf. cn. 209.
[4]) Cn. 1095, 1. 2. 3.

beneficii adipiscitur parochus per illum actum (sive nominatur investitura, institutio sive inthronisatio, installatio), quo ei confertur liberum exercitium potestatis suo officio annexae. Qui parochiae praesunt ut vicarii parochiales (Pfarrverweser), matrimoniis valide assistunt a die officii legitime initi.

b. Antea parochus matrimoniis valide assistere poterat, etsi nominatim excommunicatus vel suspensus; nunc potestas assistendi aufertur parocho, qui per sententiam fuerit excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio (ubi agitur de censura ferendae sententiae) vel per sententiam ut talis declaratus (ubi agitur de censura latae sententiae). Parochus ergo suspensus ab ordine, a beneficio, a iurisdictione valide assistere potest.

2. Si neque vi nec gravi metu constrictus contrahentium *consensum requirat atque excipiat.*

Ex iure antiquo validum erat matrimonium, etsi parochus coactus et metu gravi constrictus adstitisset. — Quod decretum *Ne temere* exigit, ut parochus antecedenter a contrahentibus *invitatus et rogatus* assistat, non requiritur, cum Codex hanc condicionem omittat. Sufficit ergo, ut contrahentes coram eo assistant et ipse nulla vi coactus libere ab eis consensum exquirat atque recipiat.

3. Intra limites sui territorii.

Ergo extra parochiam (dioecesim quoad ordinarium) [illegible] suorum quidem subditorum matrimonio valide assistit, nisi ad id delegatus sit; sed intra parochiam suam matrimoniis tum subditorum tum non subditorum valide assistit. Si ergo parochus suae parochiae sponsa alibi copulare desiderat, a parocho loci, in quo fit matrimonium, delegari debet, ut matrimonium validum sit.

646. Condiciones ad licitam assistentiam[1]).

1. Ut de statu libero sponsorum atque de absentia cuiuslibet impedimenti certam cognitionem sibi comparaverit.

a. Praestat, ut unus, isque *parochus sponsae*, quantum fieri potest, omnia procuret, quae matrimonio praemitti debent (examen sponsorum, necessaria documenta, petitio dispensationum, monitio de proclamationibus alibi faciendis), quia ipse primo loco ad assistentiam competens est.

b. Ut sacerdos assistens certam cognitionem status liberi nupturientium sibi comparare possit, praestat, ut licentiam assistendi concedat parochus sponsae, qui examen sponsorum habuit, isque simul referat, promulgationes rite factas esse, nullum obstare impedimentum (vel dispensatum esse), sponsos tali die, mense, anno et loco natos esse.

[1]) Cn. 1097, 1. 2.

2. Ut unus saltem sponsorum subditus sit i. e. in parochia domicilium vel quasi-domicilium habeat aut saltem per mensem ibi commoratus sit, et si de vago agatur, ut alteruter contrahentium actu in loco matrimonii commoretur[1]).

Mensis intelligitur spatium 30 dierum, intra quod unius vel alterius diei a loco habitationis absentia menstruam habitationem a iure requisitam non impedit, etsi a loco habitationis recesserit cum animo non amplius redeundi, dummodo reipsa post paucos dies iterum redierit. Si quis ergo negotii causa ad aliquem locum se contulerit, sed [redacted] qualitate negotii quavis hebdomada per unum alterumve diem avocetur, elapso [redacted] parochus loci eius matrimonio assistere potest.

3. Si sponsi non sunt subditi (alibi locum domicilii vel quasi-domiciiii vel menstruae commorationis habentes), ut parochus alterutrius sponsi licentiam assistendi dederit, nisi necessitas gravis ab ea excuset vel de vagis actu itinerantibus agatur, qui nullibi commorationis sedem habent.

Gravis necessitas adesset, si celebratio non posset differri (e. g. propter instantem necessitatem proficiscendi, propter imminens periculum gravis damni), nec suppeteret tempus petendi licentiam. Prudentia exigit, ut parochus assistens sive per testes sive per scriptum necessitatis probationem, si forte exigatur, sibi procuret.

Nota. Novus Codex ait: Regula sit, ut matrimonium coram *porocho sponsae* celebretur, nisi iusta causa excuset. Matrimonia autem catholicorum mixti ritus in ritu viri et coram eiusdem parocho celebranda sunt, nisi aliud particulari iure cautum sit[2]).

Ex his verbis quidem parocho sponsae primo loco competit ius assistendi matrimonio; practice tamen in hac [redacted] non erit urgendum discrimen inter parochum sponsi et parochum sponsae. Cum enim non requiratur nisi *iusta* causa, ut parochus sponsi licite assistat, quaevis autem rationabilis causa utilitatis vel convenientiae vel consuetudinis censeatur iusta, vix unquam deerit iusta causa, ubi nuptu-rientes petunt, ut coram parocho sponsi contrahere possint.

647. De sanctione legis.

Qui matrimonio adstiterit sine licentia proprii parochi vel ordinarii, ubi talis licentia requiritur, emolumenta stolae

---

[1]) Cn. 1047, 1. 2.
[2]) Cn. 1097, 2.

non facit sua et proprio contrahentium parocho remittere debet[1]).

a. Ius ad emolumenta stolae non habet proprius seu competens contrahentium parochus, sed qui licite matrimonio assistit.

Proprio contrahentium parocho: si plures habent parochos proprios, non constat, cui sint remittenda, forte parocho sponsae.

b. Qui ergo peregrinorum matrimonio assistit sine licentia proprii sponsorum parochi, ius in emolumenta stolae amittit, quae remitti debent sponsorum parocho. Ad hanc remissionem *ex iustitia* tenetur, quia lex impedit, quominus emolumenta stolae *faciat sua* i. e. dominium in ea acquirat.

648. De matrimoniis vagorum. 1. *Vagi* dicuntur, qui nullibi nec domicilium nec quasidomicilium habent[2]).

Post decretum *Ne temere* nonnulli putabant, illum in re matrimoniali vagis accensendum esse, qui per mensem alicubi commoratus fuerit; attamen in novo Codice (cn. 91) menstrua commoratio non sufficit, ut quis desinat esse vagus,

2. Quoad vagos parochus loci prius diligentem inquisitionem de statu libero et de absentia cuiusvis impedimenti instituere et (extra casum necessitatis), re ad ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinere debet[3]).

a. Ordinariis recenti decreto conceditur facultas delegandi in dioecesi sacerdotem (sacerdotes), qui, examinatis parochorum actis de matrimoniis vagorum, licentiam concedere potest assistendi eorum matrimoniis.

b. Parochus vagorum matrimoniis assistere potest: si adest casus necessitatis sine licentia; alias, si licentiam obtinuerit ab ordinario vel a sacerdote ab ordinario delegato.

c. Si unus tantum nupturientium vagus est, pariter requiritur licentia ordinarii vel sacerdotis ab eo ad hanc concedendam delegati.

d. In casu necessitatis, ubi nempe non suppetit tempus recurrendi, tota res committitur parocho, qui accuratam investigationem instituere debet, et si moralem certitudinem acquisierit de absentia cuiusvis impedimenti, matrimonio sine licentia assistere potest.

---

[1]) Cn. 1097, 3.
[2]) Cn. 91.
[3]) Cn. 1032.

3. *Actualiter* (*momentanee*) *vagi* hac lege non comprehenduntur; potest ergo parochus loci, ubi ipsi contrahere voluerint, eorum matrimonio sine ordinarii licentia assistere.

Actualiter vagi dicuntur, qui ante breve tempus domicilium habuerunt et paulo post iterum habituri sunt, ut cum sponsi paucis diebus ante celebrationem matrimonii suum domicilium dimittunt et paulo post celebrationem novum acquirunt. Quodsi ipsi apud parochum prioris domicilii examen sponsorum subierunt, necessaria documenta ei exhibuerunt et legi proclamationum satisfecerunt, quivis parochus eorum matrimonio licite assistere potest. Quin etiam ad eos actualiter vagos haec exceptio a nonnullis extenditur, qui apud parochum prioris domicilii examen sponsorum non fecerunt. Sic, si sponsi relicto domicilio alicubi exspectant opportunitatem navigandi in Americam, ubi novum domicilium figere intendunt, quilibet parochus, nullius (nec alicuius parochi nec ordinarii aut sacerdotis pro vagis delegati) requisita licentia, eorum matrimonio valide et licite assistere potest.

Articulus secundus.

De sacerdote delegato.

649. Condiciones ad delegationem requisitae.[1])

Si parochus competens matrimonio non assistit, *delegare potest* alium sacerdotem, qui loco sui matrimonio assistat[2]). Exponendae sunt condiciones, quae sive ad delegationem sive ad licentiam assistendi requirantur.

I. De **delegatione** ad **valide** assistendum.

1. Delegatio dari debet *expresse*, sive in scriptis sive verbis sive nutibus; ideo nihil valet delegatio tacita, praesumpta, interpretativa. Delegatio *gravi metu* extorta non est invalida: etenim requiritur quidem assistentia libera, non autem libera delegatio.

Expedit ut delegatio *per scripturam* concedatur, attamen in casu necessitatis etiam *per telegraphum* peti et dari potest. Quodsi per statuta particularia delegatio in forma telegraphica prohibita sit, id delegationem telegraphicam non reddit invalidam.

---

[1]) Cn. 1095—1098.

[2]) Concilium trid. c. Tametsi 1 sess. 24. De reform. matr. Cn. 1095, 2.

2. Dari debet sacerdoti *determinato*, qui non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel ab officio suspensus, nec ut talis declaratus.

a. Determinatus est, si indicatur persona et status: N. N. cooperator in N.; si indicatur sola persona (N. N.), dummodo persona ita designetur, ut cum alia commutari non possit; si indicatur solus status (cooperator in N., primus cooperator in N.).

b. Nihil impedit, quominus *plures* sacerdotes determinati delegentur, sive singuli sive omnes collective nominentur: N. N. parochus et N. cooperator; omnes cooperatores ad s. Iacobi Oeniponte; omnes Patres Servitae in Weissenstein; clerus parochialis parochiae N. At non amplius valet haec delegatio: nupturientium matrimonio quivis sacerdos assistere potest, quem sponsi elegerint; vel: officio parochiali (dem Pfarramt) conceditur facultas assistendi.

c. Sacerdoti delegato concedi potest facultas tum specialis tum generalis *subdelegandi*: eiusmodi enim delegatio non censetur indeterminata, dummodo delegatus sibi non substituat (non subdeleget) nisi personam determinatam.

3. Dari debet ad *matrimonium determinatum* seu pro personis determinatis. Delegatio generalis e. g. pro omnibus matrimoniis, quae in parochia celebrantur, invalida est.

Delegationem generalem habet sacerdos, qui parochi diutius absentis vices vel parochiae vacantis curam gerit, eamque accipere possunt parochorum *cooperatores*, capellani [illegible] vicarii, sed praeter hos nullus alius.

4. Dari nequit, nisi *pro territorio delegantis.*

Parochus alium sacerdotem solum delegare potest, ut intra limites suae parochiae, ordinarius, ut intra limites [illegible] dioecesis matrimonio assistat.

5. Debet esse *nota delegato:* delegatio enim, quae a delegato ignoratur, nihil prodest.

6. Ut delegatus valide et licite assistat, servare debet limites mandati et regulas pro parocho (ordinario) statutas.

Ad has regulas servandas requiritur primo, ut libere sine coactione nec gravi metu constrictus assistat, deinde ut requirat atque excipiat contrahentium consensum.

7. Delegatio *cessat* revocatione a delegante facta et delegato directe intimata aliisque casibus in iure recensitis[1]); at non cessat morte vel resoluto iure delegantis.

---

[1]) Cn. 207.

II. De *licentia* ad **licite** assistendum.

1. Licentia non est concedenda, nisi parochus (ordinarius) iam omnia compleverit, quae ius exigit ad libertatem status probandam (denuntiationes, examen sponsorum).

2. Si contrahentes non habent nec domicilium nec quasidomicilium, nec per mensem commorati sunt in loco parochi (ordinarii), qui matrimonio assistit, hic ad *licite* agendum indiget licentia parochi (ordinarii) domicilii vel quasidomicilii vel menstruae commorationis alterutrius contrahentium, primo loco parochi (ordinarii) sponsae, nisi agatur de vago. Ab hac licentia expetenda *Codex* solummodo casum *gravis necessitatis* excipit (cn. 1097, 3) e. g. periculum matrimonii civilis, discessus non differendus etc.

Nota. 1. Quoad *delegationem* nec decretum *Ne temere* nec novus *Codex* quidquam immutavit, praeterquam quod fieri debeat sacerdoti determinato et particulariter, exceptis cooperatoribus, nec valeat nisi intra territorium delegantis. Ergo parochus sacerdotes in ipsa parochia curae animarum addictos etiam generaliter, sacerdotes autem in parochia curae animarum non addictos solum particulariter pro singulis casibus delegare potest.

2. Cum recens decretum *de subdelegatione* nihil statuat, servandae sunt regulae iuris antea de hac re statutae. Itaque

a. Capellanus simplex (cooperator, vicarius, coadiutor) ex [redacted] seu vi muneris sui matrimoniis valide assistere nequit, nisi [redacted] parocho vel ab ordinario potestatem delegatam acceperit. Quamvis ab episcopo mittatur non solum ad sacramenta administranda, sed ad universam curam exercendam, in hac missione tamen non continetur potestas valide assistendi matrimoniis, nisi a parocho vel episcopo ad id delegatus fuerit.

b. Iam fieri potest, ut parochus hanc potestatem singulis vicibus pro particulari casu tantum concedat, et tunc subdelegare nequit, nisi etiam hanc facultatem acceperit. Fieri potest, ut parochus universalem delegationem pro omnibus matrimoniis in parochia contrahendis ei concedat, et tunc per se etiam subdelegare potest, cum sit delegatus ad universalitatem causarum in hoc genere matrimoniorum. In praxi tamen attendendum est ad locorum consuetudinem, nec non ad statuta dioecesana.

Exempla, in quibus nomine *delegationis* significatur facultas valide, nomine *licentiae* facultas licite assistendi.

1. Si sponsi ex A contrahunt in B assistente parocho ex B, hic nulla indiget delegatione, sed solum licentia assistendi a parocho in A concessa.

2. Si sponsi ex A contrahunt in B assistente parocho ex C, parochus in A validam delegationem concedere nequit, sed parochus in B eam concedere potest et debet; parochus in A licentiam assistendi dare debet.

3. Si sponsus ex A (sive ratione domicilii sive quasidomicilii sive menstruae habitationis) et sponsa ex B contrahunt in C assistente parocho in C, hic non indiget delegatione, sed solum licentia assistendi aut parochi in A aut parochi in B (stricte parochi in B, utpote parochi sponsae).

4. Si sponsus ex A et sponsa ex B contrahunt in sanctuario C, sito in parochia D, assistente Marco, sponsae consanguineo, delegationem dare debet parochus in D, licentiam autem assistendi aut parochus in A aut parochus in B (theoretice parochus in B).

5. Si sponsi, habentes domicilium in A et quasi-domicilium in B, contrahunt in B, assistente sponsi consanguineo Petro, delegationem dare debet parochus in B, qui licentia non indiget.

Cum C. A. § 75 habeat: „Die Erklärung der Einwilligung muß vor dem ordentlichen Seelsorger oder dessen Stellvertreter geschehen" fieri potest, ut matrimonium civiliter sit invalidum, quod in facie ecclesiae validum est, ubi nempe contrahitur coram parocho, qui non est proprius contrahentium parochus, cum sola licentia proprii parochi, vel ubi in casu necessitatis sine licentia proprii parochi contrahitur. Attamen periculum discordiae inter forum ecclesiasticum et civile in hac re non est serium. Aut enim fieri potest, ut *licentia* proprii parochi (etsi stricte sit delegatio) ex mente legis civilis ad valorem matrimonii in foro civili sufficere dicatur, aut iniungendum est, ne unquam sine licentia proprii parochi matrimonium contrahatur, insuper ut parochus proprius licentiae assistendi ab ecclesia requisitae etiam *delegationem pro foro civili* addat, quo fit, ut matrimonium civiliter validum sit.

Articulus tertius.

De testibus.

650. Qui et quommodo assistere debeant. Ut matrimonium validum sit, ex decreto tridentino et ex novo *Codice* saltem *duo testes* ei assistere debent[1]). Novum ius specialem qualitatem in eis non requirit.

[1]) Cn. 1094.

1. Testes esse possunt omnes, qui de aliquo facto testificari possunt; ergo ad matrimonii validitatem nihil refert, sive testes sunt mares sive feminae, sive fideles sive infideles, sive consanguinei sive extranei, sive puberes sive impuberes, modo rationis usum habeant et de contracto matrimonio testari possint. Attamen illicite adhibentur *testes acatholici*, ubi catholici haberi possunt[1]).

2. Ut de matrimonio valide testari possint, requiritur omnium testium (parochi et aliorum) praesentia *a. physica*, ut scire possint, quid agatur; *b. simultanea:* cum enim de eodem actu fidem facere debeant, ei *simul* adesse debent; *c. formalis* i. e. contrahentes intentionem habere debent utendi eorum praesentia ad matrimonium celebrandum, quam intentionem oculis, nutu etc. sufficienter exprimere possunt, modo testes hanc intentionem advertant[2]).

Ergo etiam is, qui casu adest, qui dolo, vel metu ad testificandum inducitur, valide testis [redacted] potest, quod tamen de parocho non valet.

Articulus quartus.

De iis, qui hac forma tenentur[3]).

651. 1. Tenentur: *a.* Nupturientes *catholici*, quoties inter se matrimonium ineunt. Catholici intelliguntur omnes in ecclesia catholica baptizati et ad eam ex haeresi vel schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint.

b. Catholici, qui contrahunt cum *acatholicis* sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus.

c. Orientales, qui cum latinis contrahunt hac forma adstrictis.

---

[1]) *S. Officium* 19. aug. 1891 statuit „non esse adhibendos (haereticos); posse tamen ab ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum".

[2]) *Ballerini-Palmieri* VI. n. 859.

[3]) Cn. 1099.

2. **Non tenentur** seu sine ulla forma valide contrahunt:

a. Catholici rituum *orientalium*, sive inter [redacted] sive cum acatholico quocunque (orientali vel latino) matrimonium ineunt.

b. Acatholici, qui inter se matrimonium ineunt. Acatholici intelliguntur α. qui nunquam neque per baptismum in ecclesia catholica neque per conversionem ad ecclesiam catholicam pertinebant; β. qui ab acatholicis nati, etsi in ecclesia catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt[1]).

Articulus quintus.

Quando cesset obligatio ad formam.

652. In duplici casu, in quo haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo sacerdos competens, qui matrimonio assistat, cessat obligatio servandi formam praescriptam.

1. **In periculo mortis** validum est matrimonium contractum coram solis testibus[2]). Intelligitur periculum mortis prudenter existimatum, sive ex morbo sive ex alia causa (imminens proelium, terraemotus, inundatio) proveniat. Si in aestimatione periculi error intercesserit, matrimonium sine parocho initum tamen validum est.

2. **Extra mortis periculum** valide contrahitur coram solis testibus, si prudenter praevideatur, eam rerum condicionem, in qua nempe sacerdos competens haberi vel adiri non possit sine gravi incommodo, esse per mensem duraturam[3]).

a. Qui ergo sine magno incommodo sacerdotem competentem advocare vel adire possunt, ad id tenentur sub poena nullitatis matrimonii, qui id non possunt, valide coram solis testibus contrahunt,

---

[1]) Cn. 1099, 3.
[2]) Cn. 1098, 1.
[3]) Ib.

etsi de industria in locum se contulissent, ubi sacerdos competens haberi nequeat.

b. In regionibus missionum, et tempore belli vel seditionis vel persecutionis ecclesiae etiam in regionibus catholicis, facile accidere potest, ut testis qualificatus haberi non possit aut difficilis [redacted] tutus ad eum sit accessus.

c. Ex Codice constat, *impossibilitatem* habendi testem qualificatum non debere [redacted] alicuius regionis, sed sufficere *particularem* contrahentium.

d. Quaeritur, num matrimonium coram solis testibus contrahi possit, ubi parochus vel alius sacerdos matrimonio ecclesiastico assistere nequeat, non praemissa ceremonia civili, quin gravi poena mulctetur[1]).

Sunt, qui affirment (Bremer, Haring, Schäfer), attamen praeferenda videtur sententia eorum, qui dicunt, hodie adhuc standum esse decisioni [redacted] sedis, quae matrimonium in hoc casu coram solis testibus initum habet irritum et exigit, ut singulis vicibus recurratur ad [redacted] sedem[2]).

3. Ut *licitum* sit matrimonium, in utroque casu vocari et una cum testibus matrimonio assistere debet alius *sacerdos*, si praesto sit et adesse possit[3]). Si ergo ex gravi causa non advocaretur, validum et licitum esset matrimonium.

Valde consulendum, ut advocetur sacerdos, etsi solum [redacted] aliquo incommodo haberi possit, ne sponsi careant benedictione et ut dignitati et sanctitati sacramenti consulatur.

Quaestio nona.

De ipsa celebratione matrimonii.

Consideranda sunt: *a.* tempus celebrationis; *b.* locus celebrationis; *c.* contrahentes; *d.* parochus assistens; *e.* ritus matrimonii; *f.* celebratio matrimonii mixti; *g.* annotatio matrimonii.

---

[1]) *Casus iste est*: Nupturientes matrimonium civile inire nequeunt, puta quia desunt documenta ad matrimonium civile necessaria; parochus matrimonio ecclesiastico assistere nequit, quia sub gravibus poenis a gubernio interdictum est. Num coram solis testibus contrahere possint,

[2]) Cf. *Linneborn* S. 371 ff.

[3]) Cn. 1098, 2.

Articulus primus.

De tempore celebrationis.

653. Declaratio. 1. Matrimonium quovis anni tempore contrahi potest[1]). Sed est determinatum aliquod tempus, quo *sollemnis nuptiarum benedictio* vetatur, quod tempus *feriatum* vel *clausum* dicitur.

2. Tempus clausum nunc est: *a.* A dominica prima adventus usque ad diem nativitatis inclusive; *b.* A die cinerum usque ad dominicam paschatis inclusive[2]).

a. Est igitur illud tempus anni ecclesiastici, quod recolendis praecipuis religionis [christianae mysteriis et proinde ■■ mente ecclesiae operibus devotionis, orationibus et poenitentiae potissimum dedicandum est.

b. Tempore clauso non ipsum matrimonium prohibetur, sed *sollemnis benedictio* sponsae i. e. missa votiva pro sponsis et benedictio sponsae, quae in hac missa habetur.

3. Ordinarii tamen locorum ex iusta causa, salvis legibus liturgicis, tempore clauso etiam benedictionem nuptiarum permittere possunt, monitis sponsis, ut ■ nimia pompa abstineant[3]).

a. Prohibitio *sollemnium nuptiarum* hucusque ut impedimentum impediens sub nomine temporis clausi vel feriati tractabatur. In nonnullis praesertim Austriae et Germaniae dioecesibus non solum nuptiarum *sollemnitates*, sed ipsae *nuptiae* prohibitae erant. Haec prohibitio contra ius commune per novum Codicem introductum sustineri amplius non potest, praesertim quia aequivaleret impedimento prohibenti, quod ordinarii statuere non possunt, nisi prohibitio fulciatur immemorabili consuetudine[4]).

b. Leges liturgicae missam *pro sponsis* prohibent α. diebus dominicis; β. diebus festis 1 et 2 cl.; γ. octavis privilegiatis 1 et 2 ordinis; δ. feriis privilegiatis; ε. vigiliis Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes.

---

[1]) Cn. 1108, 1.

[2]) Cn. 1108, 2. Antea, praesertim ante Concilium tridentinum tempus clausum multo latius protendebatur.

[3]) Cn. 1108, 3.

[4]) Cf. *Linneborn* S. 392.

Articulus secundus.

De loco celebrationis.

654. Declaratio. 1. Matrimonium inter catholicos in ecclesia parochiali cum ritu sacro ab ecclesia praescripto celebrari debet; in alia ecclesia vel in oratorio sive publico sive semipublico solum de licentia ordinarii vel parochi celebrari potest.

2. Ut in aedibus privatis celebretur, ordinarius in extraordinario solum casu ex iusta causa permittere potest. Ut in ecclesia vel oratorio seminarii vel religiosarum celebretur, permittere non potest, nisi urgente necessitate et adhibitis oportunis cautelis[1]).

a. Coniuges catholici, qui validum matrimonium contraxerunt, sed ex qualicunque causa ritum sacrum matrimonialem non peregerunt (e. g. contrahentes in locis missionum coram duobus testibus sine parocho propter eius absentiam), sub gravi eum supplere tenentur, quo in casu omittitur declaratio consensus et formula copulationis: *Ego vos coniungo etc.*

b. Econtra si coniuges infideles legitimo matrimonio iuncti ad religionem catholicam convertuntur, consulendum est eis, ut ritum sacrum peragant, at obligandi non sunt.

Articulus tertius.

De contrahentibus.

655. Declaratio. A contrahentibus requiritur 1. *Ut in statu gratiae sint,* quia sacramentum vivorum suscipiunt; ideo statuta particularia quandoque praescribunt, ut matrimonio praemittatur confessio; lege tamen universali non praecipitur, ut potius per confessionem quam per contritionem perfectam statum gratiae sibi comparent: concilium enim tridentinum solum *hortatur* sponsos, ut ante matrimonium confiteantur[2]).

---

[1]) Cn. 1109, 1. 2.

[2]) Sess. 24. c. 1. De reform. matr.

Non peccat: *a.* qui matrimonium contrahit cum comparte, quam novit esse in statu peccati mortalis: materialem enim hanc cooperationem excusat notabilis utilitas, quam ei affert matrimonium[1]).

Nec peccat: *b.* qui sacramentum matrimonii administrat comparti indignae, quia non tenetur cavere, ne sacramentum administretur indigno: non enim agit personam publicam, quae vi muneris sui attendere debet ad dispositiones recipientis, sed est persona privata celebrans contractum, quae vi muneris solum attendit ad utilitatem propriam[2]).

2. *Ut benedictionem nuptialem accipiant:* etsi enim ecclesia eam nupturientibus *non praecipiat*, enixe tamen desiderat, ut eam petant et accipiant[3]).

a. Nomine *benedictionis nuptialis* designantur tres orationes, quae in missa pro sponsis in missali habentur, quarum duae post *Pater noster*, tertia vero post *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* super sponsos recitantur. Cum benedictio nuptialis a missa pro sponsis separari nequeat, monendi sunt nupturientes, ut nuptias mane celebrent, quando missa dici potest.

b. Si nupturientes benedictionem nuptialem ex qualicunque causa (e. g. quia tempore clauso nuptias celebrarunt, quia in celebretione nuptiarum missa dici non poterat) non acceperunt, curandam est, ut eam postea opportuno tempore accipiant, etsi iam in matrimonio vixissent[4]). — Quodsi sponsi adduci non possint, ut nuptias celebrent tempore, quo missa dici potest, benedictio eis conceditur extra missam, at non secundum formam, quae in missa pro sponsis habetur, sed secundum formam, quae exstat in Rituali romano vel in Rituali dioecesano.

Articulus quartus.

De parocho assistente.

656. Declaratio. Ex parte parochi requiritur, ut *assistentiam* exhibeat. Distinguitur assistentia activa, qua parochus ritum sacrum in ecclesia peragit, et assistentia passiva, qua parochus absque ullo ritu sacro extra ecclesiam materiali tantum praesentia matrimonio intervenit.

---

[1]) Cf. *De Praeceptis*[12] n. 118.
[2]) Cf. *Lugo*, De sacram. in genere disp. 8. sect. 14. n. 230.
[3]) Cn. 1101, 1.
[4]) Cn. 1001, 1.

a. Assistentia *activa* continet vestem sacram, copulationem cum suis orationibus, missam cum benedictione, aptam monitionem, locum sacrum; cum ergo plura contineat, magis et minus plena atque perfecta [illegible] potest. Quare duplex assistentia activa distingui potest, altera *sollemnis,* altera *minus sollemnis,* in qua saltem missae celebratio cum benedictione nuptiali semper omittenda est. Nunc etiam duplex assistentia *passiva* distingui potest, assistentia *mere passiva*, ubi nupturientes solum coram parocho consensum exprimunt, et assistentia (simpliciter) *passiva,* ubi parochus sine ullo alio ritu solum interrogationes de consensu proponit.

b. [illegible] matrimonium extra ecclesiam contrahendum est, iniri debet *in loco decenti,* ut est sacristia (alii sacristiam tamquam ad ecclesiam pertinentem considerant), oratorium privatum, domus parochialis.

1. Si nupturientes sunt *in statu peccati,* parochus sine iusta causa assistere nequit, tum quia eorum sacrilegio cooperatur, tum quia ex officio salutem suorum parochianorum procurare eorumque peccata impedire debet.

Assistere potest et debet, tum si solum ex confessione novit sponsos esse in statu peccati, tum si solum ob occultum peccatum vel occultam censuram indigni sunt: primum, ne laedat sigillum, alterum, ne laedat eorum famam.

2. Si nupturientes sunt *publici peccatores* vel *notorie excommunicati,* per se non est exhibenda nisi assistentia passiva; attamen ad cavenda maiora mala ordinarii in casibus particularibus id statuere possunt, quod magis expedire iudicaverint[1]). Possunt ergo activam assistentiam permittere excluso tamen missae sacrificio et sollemni benedictione, immo si adiuncta id exigant, etiam missae celebratio et sollemnis benedictio concedi potest[2]).

Si nupturientium una pars est catholica, altera fide abiecta nulli sectae religiosae adhaeret, [illegible] referenda est ad episcopum, qui inspectis omnibus casus adiunctis permittere poterit, ut parochus passive matrimonio intersit, dummodo cautum sit catholicae educationi universae prolis[3]).

---

[1]) Cn. 1101, 1.
[2]) *S. Officium* 25. maii 1897.
[3]) Ib.

Articulus quintus.

De ritu matrimoniali.

657. Declaratio. *Ritus matrimonialis* duo complectitur: *a.* copulationem; *b.* benedictionem nuptialem.

Ritus matrimonialis, qui habetur in Rituali romano[1]), non est praeceptivus, quare observari possunt laudabiles provinciarum consuetudines iuxta ritualia dioecesana[2]).

1. *Copulatio* seu coniunctio sponsorum. Parochus utrumque contrahentem *interrogare* debet de consensu, ut testes de contracto matrimonio fidem facere possint.

Intellecto consensu sponsos copulare debet his vel similibus verbis iuxta receptum provinciae usum: *ego vos in matrimonium coniungo in nomine P. et F. et Sp. S.* Horum omissio veniale non excedit.

Peracta copulatione sponsis, si nihil obstat, *benedictionem nuptialem* impertiri debet.

Benedictio annuli, quae est sacramentale, non est omittenda. In secundis quoque nuptiis fieri potest, etsi idem annulus in primis iam adhibitus et benedictus fuerit. Si annulus nuptialis amittitur vel frangitur, novus eadem ritualis formula benedici potest.

2. *Benedictio nuptialis.* *a.* Benedictionem nuptialem ille tantum vel ipse per se vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio assistere potest[3]): est enim functio parocho reservata[4]). Si ergo alius sacerdos eam dare velit, indiget licentia parochi, qui valide et licite matrimonio assistere potest.

b. Ubi ex praescripto ecclesiae licet, semper concedenda est, si sponsa eam nondum accepit, sive haec virgo sive vidua sive deflorata est, etsi sponsus sit viduus et benedictionem iam semel acceperit.

---

[1]) *Rituale rom.* tit. 7. c. 2.
[2]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 1. De reform. matr Cn. 1100.
[3]) Cn. 1101, 2.
[4]) Cn. 462, 4.

c. Concedenda non est in his casibus: Si sponsa vidua est et benedictionem iam accepit[1]); si nuptiae tempore clauso, etsi permittente episcopo, celebrantur; attamen postea suppleri potest; si matrimonium mixtum, etsi cum dispensatione summi pontificis, contrahitur.

d. Missa votiva pro sponsis solum propter benedictionem nuptialem dici potest; quare dici nequit, ubi benedictio non conceditur, etsi per rubricas missa votiva dici posset.

Articulus sextus.

De celebratione matrimonii mixti.

658. De assistentia licita. 1. De iure communi etiam in matrimoniis mixtis licitis non licet praestare nisi *assistentiam passivam,* quae nunc in eo consistit, ut parochus interrogationes de consensu faciat (cum brevi forte sermone), sed praeter haec nullo actu positivo nulloque ritu sacro intersit[2]).

a. Activa assistentia ideo potissimum interdicitur, ut fideles iugiter moneantur, ecclesiam matrimonia mixta detestari eamque fideles ab iis contrahendis nunquam non deterrere.

b. Eiusmodi matrimonium ergo contrahendum est extra ecclesiam, sine veste sacra et sine ulla ceremonia rituali. Ex declaratione s. sedis vestis talaris vel consuetae vestes praelatitiae non censentur sacrae[3]).

2. Ubi tamen ex negata omni prorsus assistentia activa graviora mala timenda essent, ordinarius permittere potest, ut matrimonium in ecclesia celebretur cum aliqua ex consuetis ceremoniis ecclesiasticis, exclusa semper missae celebratione cum benedictione nuptiali[4]).

a. Assistentia licita est partim passiva, partim activa minus sollemnis; semper excluditur non solum missa votiva pro sponsis, sed

---

[1]) Cn. 1143.
[2]) Cn. 1102, 1, 2.
[3]) *S. Officium* 17. ian. 1877.
[4]) Cn. 1109, 3. — Cn. 1102, 2.

etiam quaevis alia, quae tamquam ceremoniae matrimonialis complementum habeatur. Licet ergo matrimonium in ecclesia celebrare, superpelliceo et stola uti et aliquem ritum sacrum adhibere e. g. benedictionem sponsorum, qualis in ritualibus dioecesanis haberi solet.

b. Mala, ad quae praecavenda s. sedes aliqualem assistentiam activam permittit, potissimum haec sunt: haereticorum quaerimoniae et odia adversus fideles et ecclesiam, periculum matrimonii civilis vel coram ministro haeretico; periculum, ne cautiones non serventur vel coniux catholicus a fide deficiat et eiusmodi.

3. In matrimoniis mixtis *illicitis,* in quibus nempe debitae cautiones exhibitae non sunt, ne assistentia passiva quidem praestari potest. Attamen Pius VIII. 25. mart. 1830 et Gregorius XVI. 30. apr. 1841 concesserunt *assistentiam mere passivam* pro Borussia, Bavaria, Austria, Hungaria. Haec assistentia in eo consistit, quod nupturientes consensum exprimant coram parocho, qui consensum non exquirit, nec ullum ritum liturgicum adhibet.

a. Cum interrogationes de consensu ex decreto *Ne temere* atque ex novo *Codice* ad matrimonii validitatem requirantur, s. sedes declaravit, easdem in matrimoniis mixtis illicitis ad validitatem necessarias non esse, assistentiam mere passivam autem secundum concessionem et instructionem Gregorii XVI. tolerari.

b. Tandem die 5. augusti 1916 *s. Officium* declaravit, assistentiam mere passivam tolerari pro iis tantum regionibus, quibus ante decretum *Ne temere* speciales concessiones datae sunt, in aliis autem regionibus matrimonia mixta, etsi cum assistentia mere passiva contracta, invalida esse. Cum pro *Austria, Hungaria* et Transsilvania tales concessiones datae sint, matrimonia mixta cum assistentia mere passiva contracta ibidem valida sunt.

659. De adeundo ministro haeretico[1]). *a.* Ministrum *haereticum* tamquam *officialem civilem* adire sive ante sive post matrimonium contractum ob gravem causam licet, ubi e. g. lex civilis id praecipit ad actum civilem implendum.

b. Ministrum haereticum tamquam *ministrum sacrum* ad celebrandum matrimonium adire non licet, et qui id

[1]) Huc pertinet duplex instructio *s. Officii* 17. feb. 1864 ad episcopos regni Hannoveriani et 12. dec. 1888 ad episcopos rituum orientalium Cn. 1063.

faciunt, graviter peccant ratione prohibitionis ecclesiasticae, scandali et vetitae communicationis in sacris, et insuper *excommunicationem incurrunt* ordinario reservatam[1]).

c. Si parochus certo noverit sponsos ministrum haereticum iam adiisse vel eum adituros esse, eorum matrimonio ne assistat nisi ex gravissima causa, remoto scandalo et consulto prius ordinario[2]).

Quodsi parochum adeant, postquam coram ministro haeretico iam contraxerunt, quantum fieri potest, curandum est, ut cautiones exhibeantur et pars catholica facti poenitens a commisso peccato et a contracta censura prius absolvatur.

Articulus septimus.

De matrimonio inscribendo.

660. Declaratio. Quae a concilio tridentino[3]) et a Rituali romano[4]) de hac re praecipiuntur, a decreto *Ne temere* nec non a *Codice*[5]) (paucis abrogatis) accuratius determinantur.

1. Parochus vel eius vices gerens celebratum matrimonium *in libro matrimoniorum* quamprimum describere tenetur, etsi ordinarius vel sacerdos delegatus matrimonio adstiterit.

Ex iure recenti non amplius parochus proprius sponsorum celebratum matrimonium in libro matrimoniorum describere tenetur, sed *parochus loci*, ubi celebratur matrimonium vel eius vices gerens. Si ergo parochus proprius sponsorum in aliena parochia matrimonio assistit, parochus huius loci, et si sacerdos in ecclesia alicuius sanctuarii vel in ecclesia regularium matrimonio assistit, parochus loci, in quo situm est sanctuarium vel monasterium, matrimo-

---

[1]) Cn. 2319.
[2]) Cn. 1063, 2.
[3]) Sess. 24. c. *Tametsi* 1.
[4]) Tit. 10. c. 5.
[5]) Cn. 1103, 1.

nium inscribere debet[1]). Assistens vero sacerdos parochum de celebrato matrimonio monere tenetur. Quodsi parochus absens sit, sacerdos assistens notitias necessarias scripto relinquat parocho.

2. Insuper etiam *in libro baptizatorum* adnotare debet, coniuges tali die in sua parochia matrimonium contraxisse, idque tum ad nomen sponsi tum ad nomen sponsae. Quodsi coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi matrimonii, sive per se sive per curiam episcopalem, ad parochum baptismi transmittat, ut matrimonium in librum baptismi referatur[2]).

Res nova, quae hisce praescribitur, gravis est, quia eius finis gravis est, ut scilicet de matrimonio contracto constet, nec ullum matrimonium occultari vel negari possit.

3. Si matrimonium sine parocho contrahitur, sacerdos, et si matrimonium sine assistentia sacerdotis contrahitur, testes in solidum cum contrahentibus curare tenentur, ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur[3]). Contrahentes ergo in primo casu una cum sacerdote, in altero una cum testibus curare tenentur, ut inscriptio quamprimum fiat.

Quaestio decima.

De revalidatione matrimonii.

661. Declarationes. 1. Fieri potest, ut matrimonium sive bona sive mala fide contractum postea propter occultum impedimentum reperiatur invalidum. Medium rem in hoc casu componendi vel est declaratio nullitatis et coniugum separatio vel cohabitatio ut frater et soror vel dissimulatio,

[1]) Ex praescripto C. A. § 80 ss. fieri potest, ut matrimonium celebratum etiam a parocho proprio nupturientium describi debeat.

[2]) Cn. 1102, 2.

[3]) Cn. 1103. 3.

qua coniuges putativi in bona fide relinquuntur. ordinarie vero matrimonii revalidatio.

2. *Revalidatio* matrimonii est ille actus, quo matrimonium eousque invalidum redditur validum: si enim contractus hucusque invalidus valorem accipit, revalidari dicitur. Duplex distinguitur matrimonii revalidatio, altera dicitur *revalidatio simplex* altera *sanatio in radice.*

a. Inter utrumque revalidationis modum hoc potissimum discrimen intercedit, quod in convalidatione renovatio consensus requiritur, in sanatione autem matrimonium sine renovatione consensus fit validum.

b. Quandoquidem per matrimonii revalidationem sacramentum administratur et recipitur, quantum fieri potest, curari debet, ut coniuges sint in statu gratiae, quando matrimonium revalidatur i. e. quando renovatur consensus aut applicatur sanatio.

Quid confessario agendum sit, quando advertit aliquod matrimonium esse invalidum. — Cavere debet, ne incaute statim matrimonii nullitatem declaret.

1. Si coniuges *in bona fide* sunt et ex declarata matrimonii nullitate maiora mala sequerentur, in bona fide relinquendi sunt.

Id observari debet, non solum ubi impedimentum, quod detegitur, occultum et indispensabile est, ideoque coniuges nec sine scandalo separari nec sine periculo peccandi cohabitare possunt, sed etiam ubi de impedimento occulto et dispensabili agitur: moraliter enim sperari non potest, putativos coniuges matrimonio non esse usuros, quare monitio id efficeret, ut ex peccatoribus materialibus formales fierent.

2. Si matrimonii nullitas *utrique nota est,* revalidatio autem *obtineri nequit,* coniuges omnino separandi sunt. Quaenam autem separatio urgenda sit, ex adiunctis dependet; scilicet:

a. Si nullitas matrimonii iuridice probari potest, per sententiam iudicis ecclesiastici perfecte separandi sunt.

b. Si nullitas matrimonii iuridice probari non potest et ex cohabitatione oritur incontinentiae periculum, sub specie divortii a toro et cohabitatione separandi sunt.

c. Si ex cohabitatione non oritur incontinentiae periculum, sufficit, ut a communi toro separentur et tamquam frater et soror cohabitent.

3. Si matrimonii revalidatio *obtineri potest,* ea procurari debet; interim vero, donec matrimonium obtenta dispensatione revalidari possit, haec servanda sunt:

a. Si matrimonii nullitas *publice nota* est, coniuges a toro et cohabitatione separandi sunt, donec obtineatur impedimenti dispensatio.

b. Si matrimonii nullitas *utrique parti tantum* nota est, et ex cohabitatione non oritur peccandi periculum, sufficit, ut a toro separentur; quodsi exsistit peccandi periculum, sub aliquo praetextu e. g. itineris etiam a cohabitatione separari debent.

c. Si matrimonii nullitas *uni tantum parti* nota est, haec compartem, si fieri potest, monere debet, ut ab usu matrimonii abstineat; si eam sine gravis mali periculo monere non potest nec suppetit tempus exspectandae dispensationis, parochus vel confessarius potestate pollet ab impedimento dispensandi, adeo ut pars impedimenti conscia ad convalidandum matrimonium consensum renovare et debitum reddere possit.

Hucusque casus iste in praxi tantae erat difficultatis, ut plerique auctores probabiliter putaverint, legem ecclesiasticam cum tanto incommodo non obligare, proindeque impedimentum cessare; nunc omnis difficultas, concessa per cn. 1045, 2. a hac potestate dispensandi, evanescit.

d. Si matrimonii nullitas *neutri parti* nota est et monitio obfutura praevidetur, relinquendi sunt in bona fide, donec obtineatur dispensatio et matrimonium convalidari possit.

Articulus primus.

De revalidatione simplici.

Per revalidationem simplicem matrimonium eo convalidatur, quod suppletur id, quod ab initio defuit et matrimonium fecit invalidum. Iam vero ex triplici defectu matrimonium potest esse invalidum: ex defectu habilitatis

in personis propter impedimentum dirimens; ex defectu consensus et ex defectu formae. Triplex ergo diversus est modus revalidandi matrimonium invalidum.

662. Revalidatio ex defectu habilitatis. Si matrimonium invalidum est propter impedimentum dirimens, quod dispensatione removeri potest, imprimis petenda est dispensatio, qua obtenta personae ad contrahendum habiles sunt; et si consensus initio ab eis praestitus perseverat, *ex rei natura* iam nihil obstat, quominus matrimonium sine renovatione consensus fiat validum[1]). Ecclesia autem hunc consensum ut validum non agnoscit, nisi aut utraque pars aut saltem pars impedimenti conscia consensum renovaverit, et ita quidem, ut *novus* voluntatis actus ponatur, quo in matrimonium iterum consentit[2]), *sciens* illud hucusque fuisse invalidum; alias renovatio non esset, nisi confirmatio prioris consensus, ad convalidandum matrimonium inefficax. Renovatio autem fieri debet iuxta sequentes regulas[3]):

1. Si impedimentum sit *publicum,* consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta i. e. coram parocho et testibus, ut de convalidatione publice constet.

2. Si sit *occultum* et utrique parti *notum,* satis est, ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.

3. Si sit *occultum* et uni parti *ignotum,* satis est, ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.

a. Ex antiquo iure dispensatio ab impedimento occulto sub hac solum condicione concedebatur, ut altera pars impedimenti ignara de nullitate matrimonii certior redderetur. Cum tamen pars impedimenti ignara saepe non sine magna difficultate de hoc certior reddi poterat et ipsa haec certioratio solum iure positivo non ex rei natura exigebatur, a novo *Codice* (cn. 1135, 3) non amplius exigitur.

b. ☒ pars impedimenti ignara de nullitate matrimonii absque difficultate moneri potest, praestat, ut moneatur et ambo simul con-

[1]) Cn. 1133, 2.
[2]) Cn. 1134.
[3]) Cn. 1135.

sensum renovent. Difficultates, quae monitioni frequenter obstant, hae sunt, quod vehementer tristaretur, vel quod in cognitionem criminis veniret, propter quod matrimonium invalidum est, vel quod in matrimonium non amplius consentiret, si eius invaliditatem cognosceret.

c. Si utraque vel alterutra pars adduci non possit, ut denuo publice contrahat, potest parochus de licentia ordinarii rem occulte peragere, dummodo removeatur scandalum; quodsi ne hoc quidem obtineri possit, petenda est sanatio in radice.

d. Consensus initio praestitus perdurare praesumitur, nisi expresse revocatus fuerit[1]). Privatim et secreto renovatur vel per actum internum vel per vitam coniugalem hac intentione continuatam.

663. Revalidatio ob defectum consensus. Si matrimonium invalidum est propter defectum consensus, sive quod ficte aut ex errore aut ex metu consensus exhibitus fuit, aliud ad eius convalidationem non requiritur, nisi ut novus consensus vel ex utraque parte vel saltem ex una parte formaliter exhibeatur et quidem:

1. Si consensus *ex utraque parte* defuit, ab utraque parte formaliter exhiberi debet, ac si primo contraheretur matrimonium.

Cum matrimonium debita forma initum sit, insuper personae habiles fuerint, et solum consensus invalidus fuerit, per se sufficit, ut utraque pars vel per actum mere internum vel per actum etiam externum (cohabitatione, copula coniugali) in matrimonium consentiat.

2. Si consensus *ex una parte* tantum defuit, haec certe illum supplere debet, et sufficit, ut una pars consensum suum addat alterius consensui, qui initio verus et validus erat et moraliter adhuc perdurat, quin altera pars de nullitate matrimonii moneatur.

a. Sunt, qui renovationem consensus *ex utraque parte* exhibendam etiam in hoc casu necessariam dicant, sed immerito: matrimonium enim sequitur naturam contractus; ad valide autem contrahendum non requiritur, ut utraque pars simul actu consensum eliciat, sed sufficit, ut unius consensus adhuc moraliter perduret, quando alter consensum formaliter elicit. Id confirmatur per novum *Codicem*[2]).

b. Si consensus initio praestitus *ab altera parte retractatus* est, matrimonium solum per utriusque consensum convalidari potest. Verum

---

[1]) Cn. 1093.

[2]) Cn. 1136, 1.

ut consensus retractatus censeatur, requiritur actualis revocatio per actum positivum voluntatis; non sufficit revocatio *interpretativa* seu animi dispositio, qua consensus revocaretur, si nullitas matrimonii cognita esset[1]).

3. Defectus consensus aut mere internus aut etiam externus esse potest.

a. Si fuerit mere *internus,* satis est, ut pars, quae non consenserat, interius consentiat.

b. Si fuerit etiam *externus,* necesse est consensum etiam exterius manifestare vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.

In hoc ultimo casu consensus signo aliquo exprimatur necesse est; exprimi autem potest vel verbis vel factis scl. cohabitatione vel copula coniugali cum intentione habita consentiendi in matrimonium. — In forma autem iure praescripta consensus manifestari debet i. e. nova matrimonii celebratio necessaria est, si defectus tot personis, novo iure saltem duabus, cognitus est, ut matrimonii nullitas in foro probari posset. Cum enim matrimonium coram ecclesia irritum sit, in foro ecclesiae convalidari debet[2]).

664. Revalidatio ob defectum formae. 1. Si matrimonium invalidum est, quia *clandestine* contractum fuit, convalidari debet, eo quod renovatur consensus in forma praescripta, nisi ab hac lege obtineatur dispensatio, quae valde raro conceditur.

2. Si nullitas matrimonii *publice nota* est et contrahentes non renuunt publice se sistere coram parocho et testibus, consensus publice renovari debet ad removendum scandalum; quodsi nullitas matrimonii *occulta* est, sufficit, ut coram parocho et duobus testibus secreto renovetur consensus ad praecavendam coniugum infamiam.

Publicitas renovationis maior minorve esse potest. Supremus gradus publicitatis habetur, si praemissis consuetis proclamationibus

[1]) Cn. 1093.

[2]) S. C. C. 2. aug. 1907. Cn. 1137.

renovatio fit palam in ecclesia coram parocho et testibus. Et haec quidem publicitas per se necessaria est, ubi nullitas matrimonii notoria evasit. Si tamen sufficientes rationes minorem publicitatem suadent, peti potest dispensatio a proclamationibus et ordinarius permittere potest, ut renovatio consensus fiat vel in aedibus parochialibus vel in domo sponsorum coram parocho nulla veste sacra induto et duobus testibus, qui revalidationem, si opus fuerit, promulgare poterunt.

3. Si aut utraque aut alterutra pars adduci nequit, ut ad renovandum consensum coram parocho et testibus compareat, in hunc modum agendum est:

a. Si *una pars* tantum renuit comparere coram parocho et testibus, curandum est, ut ea per procuratorem vel epistolam directam ad eum, qui de iure matrimonio assistit, consensum suum coram parocho et testibus exprimat; quodsi ne istud quidem obtineri possit, sanatio matrimonii in radice petenda est, modo constet consensum matrimonialem non fuisse revocatum.

b. Si *utraque pars* renuit comparere coram parocho et testibus, nihil fieri potest, nisi quod preces pro aeterna eorum salute fundantur: pro iis enim, qui in leges ecclesiae contumaces sunt, non est petenda gratia dispensationis seu sanationis in radice.

c. Si una vel utraque pars solum renuit *pergere ad ecclesiam*, at non renuit consensum renovare coram parocho et testibus, coniungendi sunt in domo sua vel in alio loco, ad quem pergere parati sunt.

Nota. Matrimonia, quae invalide contracta sunt propter impedimentum per novum Codicem abrogatum, manent invalida etiam postquam vim suam exserere incepit Codex, proindeque revalidatione indigent. Quoniam autem impedimentum vim suam iam amisit, ad convalidationem sufficit renovatio consensus.

Impedimenta abrogata sunt haec:

1. Consanguinitas in 4. gradu lineae collateralis.
2. Consanguinitas secunda et tertia etc. eo quod sponsi pluries ab eodem stipite descendunt.
3. Affinitas ex copula illicita.
4. Affinitas ex matrimonio in 3. et 4. gradu lineae collateralis.

5. Publica honestas ex sponsalibus.
6. Publica honestas ex matrimonio rato tantum.
7. Cognatio spiritualis ex confirmatione.
8. Cognatio spiritualis inter baptizantem et parentes baptizati.
9. Cognatio spiritualis inter levantem et parentes levati.
10. Cognatio legalis in Austria et Germania.

Articulus secundus.

De sanatione in radice[1]).

665. Declaratio. 1. *Sanatio in radice* est dispensatio ab impedimento dirimenti, quod matrimonio obstat, qua concessa summus pontifex consensum matrimonialem vere sed nulliter praestitum ita a nullitate sanat, ut matrimonium reddat validum et nullitatis effectus auferat.

Primum exemplum matrimonii in radice sanati sub *Bonifatio VIII.* († 1303) occurrit; postea frequentius matrimonia irrita hac via revalidantur, praesertim ubi multa simul matrimonia invalida convalidanda sunt.

a. Sanatio matrimonii in radice ita intelligenda est. Radix matrimonii sananda est consensus. Iam vero propter impedimentum dirimens, quod obstabat ab initio, consensus invalidus erat, qui consensus invalidus adhuc perdurat. Iam summus pontifex per dispensationem aufert legem consensum irritantem, qua sublata consensum initio invalidum sanat et aptum reddit ad efficiendum validum matrimonium. Dispensatio ordinaria non versatur circa consensum, sed solum aufert legem irritantem, qua sublata putativis coniugibus datur potestas eliciendi novum eumque validum consensum; dispensatio autem in radice versatur circa consensum ab initio invalidum, quem ablata lege irritante reddit efficacem ad producendum vinculum matrimoniale. Insuper per eundem actum sanationis summus pontifex vult, ut matrimonium quoad effectus iuridicos ita habeatur, ac si ab initio validum fuisset.

b. Sanatio in radice, ablato per dispensationem impedimento dirimente, duos effectus proprios habet: *convalidationem matrimonii* et *legitimationem prolis.* Prior producitur *ex nunc* i. e. a die concessae et applicatae sanationis, posterior producitur *ex tunc* i. e. a die contracti matrimonii. Sed haec duo non semper simul conceduntur: etenim si alteruter coniugum iam obiit, conceditur legitimatio sine con-

[1]) Cn. 1138—1141.

validatione, quae impossibilis est; item viventibus coniugibus fieri potest, ut revalidetur matrimonium, legitimatio prolis autem, si in adulterio procreata est, impossibilis sit.

c. Ex his patet duplex potissimum esse discrimen inter utramque revalidationis speciem: sanatio in radice novum consensum proprie et necessario non requirit: vinculum matrimonii oritur ex primo consensu ab inefficacia sanato; in revalidatione autem ordinario modo facta novus consensus formaliter exhiberi debet: vinculum matrimonii ex novo consensu oritur; sanatio in radice suos effectus extendit etiam ad tempus praeteritum, revalidatio ordinaria autem solum ad tempus futurum.

2. Ex usu ecclesiastico sanatio sine renovatione consensus fieri solet, praesertim ubi putativi coniuges nullitatem sui matrimonii ignorant nec de ea moneri possunt; nihilominus s. pontifex quandoque praecipit renovationem consensus in poenam, ubi scilicet una pars tempore celebrationis mala fide egit. Quodsi novus consensus praescribitur, is ad valorem matrimonii necessarius est.

Ex his patet sanationem matrimonii etiam *inscia utraque parte* fieri posse et reipsa fieri, quoties ex monitione damnum timetur: ex parte enim coniugum nullus actus ad sanationem requiritur.

3. Potestas matrimonium in radice sanandi soli competit romano pontifici, attamen nunc temporis etiam episcopis, praesertim in regionibus missionum, speciali indulto conceditur haec potestas, „quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex apostolicae sedis indulto dispensare ipsi possint, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus".

666. Quatuor condiciones requiruntur, ut sanatio in radice fieri possit:

1. Ut impedimentum, quod validitati matrimonii a principio obstabat, sit *iuris ecclesiastici,* non iuris naturalis aut iuris divini, quia in his ecclesia dispensare nequit.

Summum pontificem non posse sanare matrimonium invalidum propter impedimentum iuris divini, quod adhuc perduret, manifestum est. Sed si matrimonio obstabat impedimentum iuris naturalis aut divini, quod per se cessat e. g. ligamen, posset quidem matrimonium in radice sanare, postquam impedimentum cessavit, at ecclesia illud non sanat, ne a momento quidem cessationis impedimenti (cn. 1133, 2),

ut videtur in poenam coniugum. Qui e. g. durante legitimo matrimonio aliud matrimonium invalide contrahit, defuncto priore coniuge convalidationem secundi matrimonii non per sanationem in radice, sed solum per renovationem consensus obtinere potest.

2. Ut in principio *consensus verus* datus sit: sanatui enim radix matrimonii seu consensus; sed sanari non potest, quod nullo modo exsistit[1]).

a. Si una tantum pars verum consensum dedit et bona fide putat matrimonium esse validum, eius consensus sanari potest; altera autem pars consensum renovare debet. Si uterque coniux sciens nullitatem matrimonii mala fide contraxit, matrimonium in radice sanari non potest, quia nullus aderat verus consensus.

b. Etiam *matrimonium civile* ex iusta causa in radice sanari potest et de facto exsistente gravi causa sanari solet, modo ab initio verus consensus matrimonialis datus sit. Praeter gravem concedendae sanationis causam duo in hoc casu requiruntur: ut in contrahendo matrimonio civili verus consensus matrimonialis adfuerit et non solum intentio ineundi illicitam coniunctionem seu vivendi in concubinatu; deinde ut in casu concessae dispensationis absit scandalum, quod aberit, si ignotum sit matrimonium civile tantum contractum fuisse.

3. Ut consensus in principio datus *ex utraque parte perduret:* matrimonium enim per sanationem incipit esse validum; sed validum matrimonium incipere non potest nisi per mutuum consensum; at consensus in sanatione non renovatur; ergo saltem perdurare debet.

a. Quaestio autem utrum consensus virtualiter perdurare debeat, an vero sufficiat, si habitualiter tantum perduret, videtur esse inutilis: nam in coniugibus, qui cohabitant et vitam matrimonialem agunt, certe virtualiter perdurat. Hinc dolor de matrimonio inito semel conceptus vel etiam saepius iteratus sanationi non obest. Pariter intentio interpretativa discedendi non obest durationi consensus requisitae, sed solum positiva voluntas solvendi matrimonium. Matrimonium sanari non potest utroque vel alterutro coniugum defuncto; nihil autem impedit, quominus defunctorum coniugum matrimonium sanetur quoad effectus iuridicos, praesertim quoad legitimitatem prolis.

b. Si matrimonium ex utraque parte ab initio bona fide contractum fuit et deinde coniuges detecto impedimento contra conscientiam in matrimonio preseverarunt, matrimonium nihilominus in radice sanari potest, modo consensus initio datus adhuc perduret.

---

[1]) Cn. 1141.

4. Ut adsit *causa proportionate gravis:* etsi enim sanatio valeret, quam summus pontifex sine causa concederet, ad dispensationem tamen licite concedendam requiritur causa, quae eo gravior esse debet, quo maior est gratia, quae hac dispensatione conceditur.

In quadruplici casu adest causa satis gravis, adeoque in hoc quadruplici casu peti potest sanatio in radice:

a. si una pars ad renovandum consensum adduci nequit et nihilominus in matrimonio vult permanere;

b. si uni tantum parti nota est nullitas matrimonii, quae alteri parti absque gravi incommodo revelari nequit;

c. si ambo coniuges sunt in bona fide et de nullitate matrimonii moneri non possunt;

d. si multa matrimonia convalidanda sunt, quae alia via convalidari nequeunt.

667. De procuranda sanatione in radice. Si sanatio petenda est propter impedimentum occultum, haec servanda sunt:

1. Sanatio occulte peti et exsecutioni mandari debet.

2. Eam procurare potest confessarius, si in confessione impedimentum detectum fuit.

3. Immediate ad s. sedem, et quidem ad Poenitentiariam recurrendum est, non ad episcopum; etsi litterae (clausae propter sigillum) per episcopum ad s. sedem dirigi possint.

4. In petitione *a.* casus accurate describi et in specie exprimi debet: num consensus ab initio adfuerit et perduret in utraque parte, num coniuges in bona fide fuerint; *b.* petendus est modus convalidationis per sanationem in radice, indicandae sunt causae dispensationis et praesertim causae, quae sanationem in radice postulant; *c.* in fine addendum est nomen confessarii cum dioecesi et loco, ubi habitat, ut rescriptum ad ipsum dirigi possit.

5. Dispensationis exsecutio seu sanationis applicatio proprie non requiritur, nec reipsa ulla fit, si uterque coniux impedimentum ignorat. Quodsi una pars impedimentum cognoscit et rite disposita est, applicatio fieri solet in con-

fessione sacramentali (sed posset etiam extra confessionem fieri) post absolutionem a peccatis, ante orationem *Passio*. Ceterum accurate servandum est rescriptum.

Etsi in exsequenda sanatione matrimonii in radice nulla formula sit necessaria, apte tamen haec vel similis adhibetur: *Ego auctoritate apostolica mihi concessa matrimonium [illegible] te contractum cum N. in radice eius sano et prolem susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc.*

6. Si impedimentum antea occultum postea publicum fiat, sanatio in radice pro foro externo (nisi etiam pro hoc foro concessa fuerit) nihil valet; quare nova dein petenda est.

Quaestio undecima.

De dissolutione matrimonii.

Duplex distinguitur matrimonii dissolutio [illegible] coniugum separatio, altera quoad vinculum (plena), altera manente vinculo quoad cohabitationem seu quoad mensam et torum (imperfecta). Haec fieri potest aut mutuo coniugum consensu aut ex causa unius partis, ex qua alteri parti conceditur ius discedendi. Utraque potest esse aut perpetua aut temporanea. De solutione matrimonii quoad vinculum per privilegium paulinum, per professionem religiosam et per dispensationem s. pontificis dictum est supra (n. 496 ss.); de solutione quoad cohabitationem nunc agendum est[1]).

Articulus primus.

De separatione ex mutuo consensu.

Coniuges individuam vitae consuetudinem servare tenentur, nisi iusta causa eos excuset[2]). Iustae separationis

[1]) In iure antiquo separatio coniugum vocatur *divortium* (a divertendo), et quidem imperfectum, ut distinguatur a divortio perfecto, quod solutionem matrimonii etiam quoad vinculum significat. Novus Codex hunc terminum non adhibet.

[2]) Cn 1128.

causae complures existunt, adeo ut coniuges ex mutuo consensu sive in perpetuum sive ad tempus ab invicem discedere possint.

668. Separatio perpetua. 1. In duplici casu coniuges vitae consuetudinem in perpetuum solvere possunt, si alteruter coniugum religionem ingredi aut vir sacros ordines suscipere intendit, cum Dominus dicat: *Omnis, qui reliquerit uxorem . . . propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*[1]).

2. Ut coniux religionem ingredi vel sacros ordines suscipere possit, hae condiciones requiruntur:

a. Ut adsit consensus alterius coniugis.

Professio religiosa invalida est, non solum si ab uno coniuge altero invito, sed etiam si ab uno coniuge sine alterius consensu emittatur. Coniux, qui invalide professus est, ad alterum redire tenetur, si hic velit. Ordo sacer, qui a viro uxore invita suscipitur, invalidus quidem non est, at vir ad uxorem redire tenetur, si ab ea requiratur[2]).

b. Ut obtineatur dispensatio s. sedis. In novo iure status matrimonio contrarius sine dispensatione s. sedis assumi nequit: etenim viri uxorem habentes ad suscipiendos sacros ordines simpliciter impediti sunt[3]); et coniuges durante matrimonio ad novitiatum valide admitti non possunt[4]).

669. Separatio temporanea. Coniuges ad tempus se separare possunt tum ob causam *supernaturalem*, maiorem nempe vitae spiritualis perfectionem, tum ob causam *naturalem*, modo sit honesta et vere gravis e. g. negotii, studiorum, negotiationis etc.

---

[1]) Matth. 19. 29.

[2]) Cf. *Ferraris*, Bibliotheca. Vox Coniux n. 15. ss. — *Ballerini-Palmieri* V. n. 514.

[3]) Cn. 987.

[4]) Cn. 542.

a. Finem separationis supernaturalem innuit *s. Paulus*: *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* In hanc separationem coniuges consentire possunt addito etiam voto continentiae; quo emisso ad pericula excludenda a toro separari deberent. Propter haec pericula separatio permittenda non est, nisi ad tempus (in novendiali praeparatione ad festa Domini vel b. Virginis, tempore adventus, tempore quadragesimae); ideo apostolus subiungit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*[1]).

b. Cum ob diuturnam separationem uterque coniux magnis periculis exponatur, monendi sunt, ne se separent nisi ex causa vere gravi, et ut maritus, quantum fieri potest, secum habeat uxorem.

Articulus secundus.

De separatione ex causa unius partis.

670. Separatio perpetua. 1. Novus Codex unicam perpetuae separationis causam admittit, nempe *adulterium* unius partis[2]). Tum iure divino[3]) tum iure ecclesiastico[4]) constat, propter adulterium unius partis fieri posse coniugum separationem.

a. Si Christus permittit, ut uxor (coniux) ob fornicationis causam dimitti possit, id concedit, quod *ex iure naturae* coniugibus competit: cum enim ad cohabitationem vi contractus matrimonialis teneantur, ab hac obligatione pars innocens eximitur, simul ac altera pars contractum matrimonium per adulterium laeserit.

b. Ad divortium instituendum sufficit quilibet alienus concubitus, etiam ille, qui fit per sodomiam vel bestialitatem, dummodo divisio carnis cum alio per seminis effusionem in vase alieno contingat: divisio enim carnis est propria divortii causa, quia per divisionem carnis fides matrimonialis frangitur.

2. Hae *condiciones* requiruntur, ut adulterium sit separationis causa iusta:

a. Ut sit moraliter certum: in dubio enim nemo privandus est iure suo; attamen non requiritur, ut adulterium

---

[1]) 1. Cor. 7, 15.

[2]) In iure antiquo etiam unius coniugis lapsus in haeresim vel apostasia a fide alteri parti dabat ius discedendi.

[3]) Matth. 19, 9.

[4]) *Concilium trid.* sess. 24. can. 7. — *Codex* i. c. cn. 1129, 1.

iuridice plene probatum sit, sed sufficit, ut habeantur vehementissimae suspiciones, quae moralem certitudinem praebeant, ut si uxor alias iam malae famae sola cum solo in loco ad peccandum apto reperiatur, vel si maritus de adulterio uxoris certior fiat a persona fide dignissima.

b. Ut sit perfectum seu carnali copula consummatum, sine qua non fit carnis divisio.

c. Ut sit formale, non materiale tantum sine interno consensu: poena enim divortii supponit praecedentem culpam.

d. Ut alter coniux in crimen *non consenserit* vel eidem causam dederit. Cum consentienti non fiat iniuria, coniux ius discedendi non habet, si in adulterium alterius partis consentiat[1]).

e. Ut illud expresse vel tacite *non condonaverit.*

Tacita condonatio *a. habetur,* si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, cum altero coniuge sponte maritali affectu conversatus fuerit; *b. praesumitur,* si intra sex menses adulterum coniugem non expulerit vel dereliquerit aut accusaverit[2]).

f. Ut non ipse quoque *idem crimen commiserit,* quo in casu iniuria illata mutuo compensatur et ius discedendi amittitur.

3. Haec *adiuncta* separationis propter adulterium instituendae notanda sunt:

a. Pars innocens potest, sed *non tenetur* partem adulteram dimittere. Ius enim se separandi in eius favorem concessum est, cui favori ipsa renuntiare potest.

Obligatio dimittendi uxorem adulteram oriri potest ex scandalo, ubi nempe uxore in adulterio persistente maritus in suspicionem consensus in adulterium deveniat. Verum hocce scandalum plerumque aliis mediis praecaveri potest, adeo ut vix unquam statui possit obligatio dimittendi uxorem.

b. Si adulterium *certum* est, potest pars innocens vel propria auctoritate se separare vel a iudice ecclesiastico

[1]) Cn. 1124, 1.
[2]) Cn. 1129, 2.

sententiam separationis petere. Si adulterium *dubium* est, semper sententia iudicis invocanda est.

c. Pars innocens coniugem adulterum *nunquam admittere tenetur*, sive iudicialiter sive propria auctoritate separatio facta fuerit; *potest* autem eundem admittere vel revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit[1]). Quodsi iuste revocetur, redire tenetur.

Status matrimonio contrarius est status clericalis per susceptionem sacrorum ordinum et status religiosus per professionem religiosam. Pars rea igitur eiusmodi statum suscipere nequit sine consensu partis innocentis. Si tamen haec statum elegit, qui vitae coniugalis continuationem impossibilem reddit, etiam pars rea eiusmodi statum eligere potest. Sed nec pars innocens talem statum assumere potest, non obtenta romani pontificis licentia[2]).

671. Separatio temporanea. 1. Causae separationis temporaneae in novo iure in hunc modum recensentur: Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit, si prolem acatholice educaverit, si vitam criminosam et ignominiosam ducat, si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat, si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat — haec aliaque id genus sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate ordinarii loci et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet et periculum sit in mora[3]).

Non omnes, sed praecipuae separationis causae, quae ad tempus fieri potest, hic enumerantur, de quibus haec notanda sunt:

a. Quod in iure antiquo causa erat perpetuae separationis, scil. haeresis et apostasia a fide, id nunc causam suppeditat temporaneae separationis, cui additur vita criminosa atque ignominiosa.

b. Periculum animae inducitur, si coniux conatur trahere compartem ad peccatum e. g. ad haeresim vel ad

[1]) Cn. 1130.
[2]) Cf. cn. 987 et cn. 542.
[3]) Cn. 1131, 1.

gravia peccata contra castitatem coniugalem. Si grave labendi periculum proximum est, illudque aliis mediis sufficienter removeri non potest, pars innocens se separare tenetur.

Maritus uxorem ad peccatum trahere censetur etiam in hoc casu, quo ei ex rebus furto ablatis vel iniuste acquisitis alimenta subministrat, quia hoc modo sui criminis participem eam efficit. Si tamen uxor aliunde non habeat, unde vivat, illis bonis uti potest, quia necessitas eam excusat; quodsi alimenta aliunde habeat, illis bonis uti non potest et licite a marito recedit.

c. Periculum corporis oritur ex morbo contagioso nunc temporis praesertim ex morbo syphilitico, quo coniux coniugem in ipso usu matrimonii inficit; insuper ex saeva et crudeli tractatione, quae cohabitationem periculosam reddat.

d. Vitam communem nimis difficilem reddere potest: Saeva et dura tractatio.

Quanta debeat esse saevitia, ut altera pars ius acquirat se separandi, prudenti iudicio consideratis locorum et personarum adiunctis determinari debet: quae enim ab uxoribus plebeis levia habentur, honestioris condicionis uxori intolerabilia videri possunt[1]). Sic convicia et imprecationes, etsi frequentes, a muliere humilis condicionis forte parvi fiunt, mulieri vero bene educatae gravissima esse possunt.

Iurgia continua, rixae, inveterata aversio et odium, quo una pars fertur in alteram. Periculum, quod imminet *bonis fortunae uxoris,* si hoc periculum alio medio removeri non possit.

2. Causae separationis cognoscendae et approbandae sunt a iudice ecclesiastico, qui separationem concedit vel ad certum tempus vel indeterminate, donec pars culpabilis resipuerit. Solum si de culpa constet et periculum sit in mora, licet parti innocenti propria auctoritate discedere[2]).

3. Cessante causa separationis vitae consuetudo iterum restauranda est. Solum si separatio ab ordinario pronuntiata fuerit ad certum tempus, pars innocens redire non tenetur, nisi elapsum sit tempus constitutum; et si

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* VI. n. 507.

[2]) Cn. 1131, 2.

nullum tempus determinatum fuerit, exspectare potest novam ordinarii sententiam[1]).

4. Instituta separatione *filii educandi* sunt penes coniugem innocentem; et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit[2]).

Nota. Haec pro praxi moneri debent.

a. Nec coniugum nec potestatis civilis sed solius auctoritatis ecclesiasticae est, causam separationis examinare eiusque sententiam pronuntiare. Quare parochus vel confessarius coniugem causam separationis praetendentem ad iudicem ecclesiasticum dirigere debet. Quia tamen hodie fideles aegre adduci possunt, ut ad iudicem ecclesiasticum recurrant, saepius praestabit, ut confessarius coram iis, qui hanc obligationem ignorant, eam dissimulet, modo certa sit causa separationis. Quae dissimulatio praesertim tunc suaderi debet, cum coniuges sive propria sive iudicis civilis auctoritate in bona fide iam separati vivunt, modo non subsit scandalum.

b. Cavere debet confessarius, ne uxoribus de saevitiis et molestiis mariti conquerentibus facile credat, neve separationem quoad habitationem aut consulat aut permittat. Solent enim morosae uxores proprios dissimulare, mariti vero defectus valde augere. Insuper res multo peior fieret, si uxor permittente confessario maritum relinqueret, hic vero uxorem, quae separationis causam coram iudice probare nequeat, ope potestatis civilis repeteret[3]).

c. Cum ex coniugum separatione tot et tanta mala oriantur, ut sunt odia, inimicitiae, adulteria, ipsa semper esse debet ultimum remedium, quod solum in maxima necessitate adhibeatur. Uxores autem iugiter monendae sunt, ipsas matrimonium ineuntes hinc quidem obligationem contraxisse patientiae et mansuetudinis, inde vero per sacramentum gratiae auxilia recepisse aequanimiter ferendi onera matrimonii.

Articulus tertius.

De separatione civili[4]).

672. Status quaestionis. 1. Ex iis, quae supra disputata sunt, nihil obstat, quominus iudices civiles causas matrimoniales agant

[1]) Cn. 1131, 2. [2]) Cn. 1132.

[3]) Cf. *Genicot*, II. n. 558. *Aertnys* II. 537.

[4]) Cf. *Lehmkuhl*, Das bürgerliche Gesetzbuch des deutschen Reiches 5 (Freiburg. Herder. 1900) S. 415 ff.

subditorum infidelium, dummodo observent statuta iuris naturalis, item causas matrimoniales fidelium, in quibus agitur de effectibus mere civilibus, vel si agitur de matrimonio mere civili, vel si agitur de matrimonio in facie ecclesiae quidem inito, quod tamen per sententiam iudicis ecclesiastici iam declaratum est invalidum vel solutum, vel tandem si sententia iudicialis conformis est iuri divino et canonico, ut cum separatio vel solutio, quam coniuges iniuste et illicite petunt, negatur.

In his ultimis casibus iudex civilis *competentiam* quidem excedit, eo quod iurisdictionem usurpat, quae ipsi non convenit, at sententia quoad *rem* seu obiectum non est iuri divino vel ecclesiastico contraria.

2. Verum accidit, ut iudices civiles in causis matrimonialibus sententias ferant, quae iuri ecclesiastico vel divino contrariae sint, si nimirum coniugum separationem decernunt, ubi desunt separationis causae canonicae, vel si coniuges cohabitare coguntur, ubi cohabitatio iure divino interdicta est; pariter si declarant valida matrimonia, quae ecclesia iudicat invalida, vel si matrimonia solvunt, quae iure divino sunt indissolubilia. Iam vero in his casibus quaeritur: *a.* num iudici civili sententiam divortii secundum vigentes leges civiles pronuntiare; *b.* num partibus divortium civile petere; *c.* num advocato causam divortii civilis coram iudice agere liceat.

673. De iudice civili. Iudex civilis, qui eiusmodi causas divortii agit atque in iis sententiam dicit, ac si ad forum civile pertinerent, illicite et iniuste agit, quia iurisdictionem ecclesiasticam usurpat. Quodsi potestatem ecclesiae agnoscat, licite agere videtur iudex civilis causam divortii agens sententiamque divortii pronuntians, modo has condiciones observet: *a.* si solum contractum civilem spectet i. e. solum effectus matrimonii civiles abrumpere intendat; *b.* si gravissimum eiusmodi causam agendi motivum habeat; *c.* si ad praecavendum scandalum tum coniuges tum alios opportune moneat, sententiam suam nullatenus ipsum matrimonium, sed solum civiles effectus spectare; *d.* si non exsistat specialis ecclesiae prohibitio.

a. Actio iudicis civilis in hoc casu non est intrinsecus mala, sed est actio ex se indifferens: eius enim sententia duo continet: eorum matrimonium a potestate civili non amplius considerari ut verum matrimonium, et proinde novum matrimonium, quod contracturi essent, poenis inflictis non impediri; sed neutrum intrinsecus malum est.

Coniuges abutuntur quidem hac sententia ad validum matrimonium solvendum novumque attentandum; verum haec iudicis cooperatio ex gravissima causa licita est.

b. Sunt auctores (*Bucceroni, Gasparri, Matharan*), qui sententiam divortii civilis in hoc casu dicunt absolute illicitam utpote intrinsecus malam et repugnantem iuri divino. Eorum rationes sunt: intrinsecus mala et iniqua est ipsa lex divortii; ergo a fortiori mala et iniqua est *sententia* divortii; ex divortio gravissima mala sequuntur: fidelium mentes paulatim subit erroneum iudicium de solubilitate matrimonii nec non de competentia potestatis civilis in causis matrimonialibus; insuper coniuges separati prohibentur instaurare vitae societatem eorumque proli postea susceptae negatur praerogativa legitimitatis; tandem coniugibus separatis permittitur novum matrimonium civile, cui omnia iura et effectus veri matrimonii conceduntur, quo fit, ut adulteria foveantur; ex decisionibus romanarum congregationum evidenter confirmatur haec sententia, quippe quae internam illius actus malitiam statuant.

c. Alii vero (*Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Sabetti, De Becker, Génicot*) sententiam divortii civilis non habent intrinsecus malam, sed exclusa prava intentione eam dicunt in se indifferentem. Et sane eiusmodi sententia non necessario refertur ad solutionem vinculi matrimonialis, sed matrimonium solum privat effectibus legitimi matrimonii coniugibusque impunitatem asserit, si matrimonium civile inierint. Sicut enim matrimonium civile ad verum matrimonium accedere potest, quin vinculum matrimoniale afficiat, ita matrimonium civile solvi potest, quin eius solutio verum vinculum matrimoniale afficiat. Quod quidem admitti potest, etsi legislator et coniuges, qui divortium petunt, ipsam vinculi matrimonialis solutionem intendant.

Ad argumenta primae sententiae animadvertenda sunt:

a. Intentio legislatoris, qui ipsum vinculum matrimoniale solvere intendit, in sententia divortii non necessario includitur, sed ab ea separari potest. Et sane ab assistentia, quam iudex matrimonium contrahentibus exhibet, prava legislatoris intentio, qua ipsum vinculum matrimoniale nectere intendit, separari potest; ergo etiam a sententia divortii separari poterit. Ideo lex civilis in intentione iudicis non necessario dicenda est iniqua, cum non necessario ita accipi debeat, ut coniuges ab ipso vinculo solutos declaret.

b. Ex divortio gravissima mala sequuntur; verum ex hoc aliud non sequitur, nisi cooperationem ad divortium atque ideo ad haec mala solum ex gravissima causa licitam esse. Atqui causa cooperandi proportionate gravis certe adest in hoc casu, quo iudici catholico iudicanda offeratur causa matrimonialis, quam recusare non possit, quin officio privetur, privari autem officio non possit, quin tum ipsi tum bono communi damnum sequatur, quia in eius locum succederet iudex malus et impius.

c. Tandem ad removendum scandalum fidelium iudex partibus declarare debet sententiam divortii non id efficere, ut vinculum coniugale solvatur, sed id solum, ut matrimonium ab auctoritate civili non amplius agnoscatur ut validum matrimonium, quod proinde validi matrimonii iuribus non amplius gaudeat.

674. De responsis s. sedis. Quaestio saepius agitata est in congregationibus romanis, et plura hac de re edita sunt responsa[1]).

a. Nullum exstat decretum generale, quod hanc quaestionem dirimat, immo ■ dirimenda quaestione sancta sedes hucusque consulto abstinuit.

b. Plura exstant decreta particularia, quorum alia sententiam divortii in Gallia illicitam, alia autem in Belgio eandem tolerari posse edicunt.

c. Ratio, ob quam ecclesia cooperationem iudicis ad divortium civile in aliis locis toleraverit, in aliis autem interdixerit, haec esse videtur. Quia nempe in hoc casu agitur de cooperatione in exsequendis legibus, quae adversantur iuribus et legibus ecclesiae; eiusmodi autem cooperatio prorsus illicita est, quando cedit in damnum commune ecclesiae. Iam vero iudicium, num leges civiles in commune damnum ecclesiae cedant, ad ipsam ecclesiam pertinet; quare in particularibus casibus ad s. sedem recurrendum est.

d. Ex his omnibus *pro praxi* id sequitur: quamvis affirmari non possit cooperationem iudicis vel syndici in divortio civili certo licitam esse, id saltem concedi potest, non constare eam illicitam et proinde iudicibus prohibendam esse, nisi ecclesia eam illicitam declaraverit; quare iudices, qui eam bona fide exercent, non sunt inquietandi, nisi ecclesia eam prohibuerit.

675. De coniugibus. *a.* Si coniuges non intendunt petere divortium, ut ad alias nuptias transire possint, sed solum ut matrimonium effectibus civilibus privetur et ipsi hac ratione a gravi malo et incommodo liberentur, a quo

---

[1]) *S. Officium* 3. apr. 1877 ad episcopum sangallen, quod iudices in casibus particularibus recurrere iubet. — *S. Officium* 27. maii 1886, quod pro Gallia sententiam divortii prohibet. — Litterae nuntii ap. ad ministrum regni in Belgio 14. sept. 1886, ubi dicitur prohibitionem pro Gallia editam non esse extendendam ad Belgium. — *S. Poenitent.* 24. sept. 1887, quae sententiam divortii in casu particulari (lucionensi) tolerat. — *S. Poenitent.* 4. iun. 1890, quae declarat casum lucionensem non posse ad alios casus extendi.

alia via liberari non possunt, id licet[1]). *b.* Si finem intentum etiam per meram separationem quoad habitationem et bona obtinere possunt, non licet eis petere sententiam divortii: nulla enim est ratio eam petendi. *c.* Si coniuges petunt ipsam vinculi solutionem, ut ad alias nuptias transire possint, divortium petere non licet, quia petunt rem malam et iuri divino repugnantem. *d.* Cum causae matrimoniales ad ecclesiam pertineant, non licet coniugibus petere divortium civile, nisi antea ob causam canonicam licentiam se separandi obtinuerint.

676. De advocatis. *a.* Si advocatus partes defensoris vinculi matrimonialis, quod verum matrimonium est, agit, alia difficultas non est, praeterquam quod causa in foro incompetenti nempe civili agatur. Atqui s. sedes declaravit cooperationem in eiusmodi causis tolerari posse, „dummodo episcopo constet de probitate advocati, et advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat“[2]). *b.* Si advocatus causam divortii agit, quando coniuges licite divortium petunt, licite pro divortio disserit. *c.* Quodsi coniuges aut sine iusta ratione aut ex prava intentione postea ineundi novum matrimonium divortium petunt, causam suscipere certo non potest sine gravissima ratione. Si autem adsit gravissima ratio e. g. notabilis damni vitandi causam agere potest: non enim necessario se conformare debet intentioni partium; cooperatio autem ad eorum peccatum ob gravissimam causam excusatur.

---

[1]) Ad quaestionem: num maritus possit petere divortium ab uxore adultera intendendo tantum abrumpere effectus mere civiles, quando nullum aliud medium suppetit obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a parte prolis legitimae, *s. Poenitentiaria* 30. iul. 1892 respondit: *orator consulat probatos auctores.*

[2]) *S. Officium* 19. dec. 1860.

Appendix I.

De matrimonio civili.

677. Definitio. Matrimonium civile dicitur consensus matrimonialis coram magistratu civili eo fine declaratus, ut matrimonium in foro civili tamquam verum et legitimum agnoscatur.

a. Consensus matrimonialis. Auctoritas civilis exigere non potest, ut civiliter contrahentes intentionem habeant verum matrimonium ineundi, sed id solum exigere potest, ut ritum ab auctoritate civili praescriptum eo fine peragant, ut ipsorum matrimonium verum et legitimum habeatur. Primum semper illicitum est, alterum vero in se illicitum non est, modo verum et legitimum matrimonium aut iam initum aut mox ineundum sit: in se enim prohibitum non est, quominus nupturientes coram magistratu civili compareant eumque sub certo ritu de matrimonio contracto vel contrahendo certiorem reddant, ut eorum matrimonium effectus legitimi matrimonii sortiatur.

b. Ut tamquam verum agnoscatur. Antiquitus quidem potestas civilis illa matrimonia, quae in foro ecclesiae valida censebantur, ipsa quoque pro validis agnoscebat eisque effectus civiles tribuebat; recenti autem tempore ius sibi arrogat statuendi, ut matrimonium (etiam) coram magistratu civili iniri possit aut debeat, et hoc matrimonium pro valido et licito habet, etsi in foro ecclesiae propter impedimentum dirimens aut impediens invalidum aut illicitum sit.

c. Graviter peccant fideles matrimonium civile contrahentes, qui verum matrimonium coram magistratu civili inire intendunt: verum enim matrimonium per se solum in foro ecclesiae licite iniri potest.

678. Divisio. Triplex matrimonium civile distinguitur: obligatorium, facultativum et necessitatis.

a. Matrimonium civile *obligatorium* (die obligatorische oder Zwangs-Zivilehe) habetur, quando omnes contrahentes obligantur ad consensum matrimonialem coram magistratu civili exhibendum, ut eorum matrimonium in foro civili pro valido habeatur.

In diversis Europae regionibus iam viget matrimonium civile obligatorium ut *in Germania, in Gallia, in Italia, in Hungaria, in Belgio, in Helvetia.*

Ubi praecipitur matrimonium civile obligatorium, auctoritas civilis, nihil curans leges matrimoniales ecclesiae, solum matrimonium coram magistratu civili initum verum et validum matrimonium habet; et pari modo in omnibus causis matrimonialibus, sive ad ipsum matrimonium sive ad sponsalia referuntur, foro civili tantum tribuit competentiam de eis iudicandi.

b. Matrimonium civile *facultativum* (die fakultative oder Wahl-Zivilehe) habetur, quando contrahentibus quibuscunque facultas seu optio datur ineundi matrimonii aut coram ecclesia aut coram magistratu civili. Utrumque matrimonium in foro civili pro valido habetur et utrique effectus civiles tribuuntur.

Matrimonium civile facultativum viget in *Anglia* et in *America septentrionali.*

c. Matrimonium civile *necessitatis* (die Not-Zivilehe) habetur, quando contrahentibus solum in casu necessitatis permittitur, ut matrimonium ineant coram magistratu civili.

Matrimonium *necessitatis* appellatur, quia solum in casu necessitas admittitur. Duplex distinguitur necessitas: *absoluta,* quando nupturientes contrahere non possunt, quia matrimonio obstat impedimentum ecclesiasticum, quod lex civilis non agnoscit; *relativa,* quando nupturientes matrimonium ecclesiasticum inire non possunt, quia nulli confessioni religiosae adhaerent.

Matrimonium civile necessitatis viget *in Austria,* ubi nupturientibus, qui in foro ecclesiae ob aliquod impedimentum contrahere non possunt, permittitur, ut matrimonium a potestate politica promulgari et coram officiali politico iniri possit, modo non obest impedimentum iuris civilis.

679. De liceitate matrimonii civilis. 1. Ecclesia reiicit et condemnat quodcunque matrimonium civile; ideo hanc propositionem proscripsit: *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium*[1]).

[1]) Cf. *Syllabus* n. 33. — Encyclica Leon. XIII. *Arcanum* 10. febr. 1880.

Et iure quidem illud condemnat: *a.* Leges matrimonium civile concernentes latae sunt ab auctoritate, cui circa matrimonium ius competit nullum. *b.* Matrimonium spoliatur ea sanctitate, quae ei suapte natura convenit idemque ut res mere profana tractatur. *c.* Subditi contra libertatem conscientiae coguntur actionem ponere lege ecclesiastica prohibitam. *d.* Potestas civilis coniunctiones illicitas sua auctoritate tuetur. *e.* Eadem potestas matrimonia coram Deo et ecclesia valida iniuste dissolvit. *f.* Iura ecclesiae contemnit et indifferentismum promovet, eo quod matrimonia admittit, quibus obstat impedimentum mixtae religionis, immo etiam disparitatis cultus. *g.* Falsam doctrinam promovet, qua contractus a sacramento separari possit.

2. Licet matrimonium civile quodcunque per se illicitum sit, non tamen quaevis eiusdem species aequali modo reiicienda est.

Minimus malitiae gradus convenit matrimonio civili *necessitatis relativae;* maximus matrimonio *necessitatis absolutae:* utrum magis reprobandum sit matrimonium civile *obligatorium* an *facultativum*, auctores disputant[1]).

3. Matrimonium civile obligatorium *licite iniri potest,* dummodo matrimonium in foro ecclesiae aut iam initum aut mox ineundum sit, et excludatur intentio, ipsum vinculum matrimoniale coram magistratu civili contrahendi: ex iusta enim causa permitti potest, ut ponantur condiciones, quas auctoritas civilis exigit, ut matrimonium agnoscatur validum et effectibus civilibus donetur.

a. Sive actus civilis ante sive post matrimonium ecclesiasticum peragitur, monendi sunt nupturientes, ne aliud quam ceremoniam mere civilem peragere intendant, ut effectus civiles eorum matrimonio tribuantur[2]).

b. Ubi lex civilis exigit, ut matrimonium civile contrahatur ante matrimonium ecclesiasticum, id licite fieri potest; praestat autem, ut matrimonium civile fiat, postquam matrimonium ecclesiasticum iam initum est. Nam rei natura exigit, ut principale praecedat accessorium; atqui principale est ipsum matrimonium, quod contrahitur coram ecclesia, accessorium sunt effectus civiles, qui matrimonio tribuntur per matrimonium civile. Insuper hoc modo caventur incommoda, quae inde oriri possunt, quod una pars post matrimonium civile iam initum renuat contrahere in facie ecclesiae.

---

[1]) Cf. *Schnitzer* p. 65 ss.

[2]) Benedictus XIV. *Redditae sunt nobis* 17. sept. 1746.

c. Ubi igitur matrimonium civile iniri debet ante matrimonium ecclesiasticum, nupturientes de his moneri debent: α. ne contractum civilem prius ineant, quam certo constet eorum matrimonio ecclesiastico nullum obstare impedimentum; β. tempore, quod inter matrimonium civile et ecclesiasticum intercedit, ipsos non esse coniuges, sed sponsos et proinde more sponsorum conversari debere; γ. eos curare debere, ut utrumque matrimonium eodem die celebretur vel saltem ut inter utrumque exigua tantum mora intercedat.

4. Ordinarie exsistit *obligatio indirecta* contrahendi matrimonium civile obligatorium: caritas enim tum erga se ipsos tum erga futuram prolem exigit, ut contrahentes matrimonium suum effectibus civilibus donandum curent.

Haec indirecta obligatio gravis vel levis est, prout damna et incommoda, quae ex omisso matrimonio civili oriuntur, magna vel levia sunt. Ut fideles ab his damnis praeserventur, in nonnullis regionibus e. g. in Belgio ab episcopis prohibitum est, ne parochi matrimoniis assistant, nisi constet de peracto matrimonio civili.

680. De valore matrimonii civilis. 1. Matrimonium civile initum inter haereticos, et quidem cum intentione contrahendi verum matrimonium, validum est, dummodo ei non obstet dirimens aliquod impedimentum; quin etiam licitum est, ubi agitur de matrimoniis haereticorum inter se contrahendis[1]). Quodsi eidem obstat aliquod impedimentum dirimens, matrimonium civile non est nisi turpis concubinatus.

2. Matrimonium civile initum inter catholicos invalidum est, quamtumvis aliud non obstet dirimens impedimentum, solum quia clandestine contrahitur.

a. Qui notorie in matrimonio civili vivunt, habendi sunt ut *publici peccatores*, quia in manifesto concubinatu vivunt, neque ad sacramenta admitti possunt, nisi prius aut ab invicem separentur aut in foro ecclesiae coniungantur.

b. Si civiliter iuncti parocho se sistant matrimonium *in facie ecclesiae contracturi*, examini sponsorum subiici debent, et si non obstat impedimentum, eorum matrimonium, nisi petatur dispensatio, proclamandum est, quo facto in facie ecclesiae iungi possunt.

---

[1]) S. C. C. 2. aug. 1907 n. 11, 3.

Nota. Matrimonium civile mixtum ubique invalidum est, nisi cum debitis condicionibus in facie ecclesiae initum sit, non amplius excepto imperio Germanico et regno Hungariae.

3. Cum matrimonium civile invalidum rationem *matrimonii attentati* habeat, haec ex eo consequuntur:

a. Si concurrit cum adulterio, i. e. si una pars coniugata est, ex eo oritur impedimentum criminis.

b. Clerici in sacris constituti et regulares (vel moniales) voto sollemni castitatis obstricti, qui matrimonium civile contrahunt, excommunicationem ordinario reservatam incurrunt[1]).

c. Clerici et religiosi, qui matrimonium civile attentant, contrahunt irregularitatem[2]).

681. *Num magistratus et testes matrimonio civili licite assistere possint.*

a. Licite assistere possunt, quoties fideles coram magistratu civili comparentes hunc solum de matrimonio contracto vel contrahendo certiorem reddere intendunt: actui enim licito assistunt.

b. Si constat nupturientes ex mala voluntate matrimonium ecclesiasticum contrahere nolle et solum civile intendere, nihilominus assistentia ex gravi causa licita est: nam tanquam testem auctorizabilem assistere actui malo natura sua malum non est, alias neque parochus assistere posset matrimonium eorum, qui sacrilege contrahunt[3]).

Causae, quae cooperationem magistratus licitam reddere possunt, pro *testibus* quidem non valent, quandoque vero aderunt aliae causae, quae etiam testium cooperationem cohonestent, ut „timor gravis offensae propinquorum, spes civiliter coniunctos postea adducendi ad matrimonium in facie ecclesiae celebrandum et similia, praesertim in magnis civitatibus, ubi matrimonia civilia saepius fiunt et parum animos commovent“[4]).

c. Maior est difficultas, si coniux valido matrimonio iunctus, obtenta civilis divortii sententia, vivente adhuc comparte, matrimonium civile inire attentat; verum assi-

---

[1]) Constit. *Apost. sedis* III. 1., Cn. 2388, 2.

[2]) Cn 985, 3.

[3]) Cf. *Gasparri* II. n. 1230, qui premens vestigia *Sancti* hanc sententiam tuetur.

[4]) *Génicot* II. 508.

stentia syndici ne in hoc quidem casu intrinsecus mala et proinde ex gravissima causa praesertim ad damnum evitandum licita esse videtur[1]).

Auctores, qui assistentiam in hoc casu *intrinsecus malam* dicunt, ita argumentantur: α. iniuria fit matrimonio iam exsistenti; β. tribuuntur effectus veri matrimonii nupturientibus, qui illorum non sunt capaces; γ. plura responsa congregationum romanarum assistentiam hanc prorsus illicitam declarant[2]).

Pro altera sententia haec afferri possunt: α. Quod priori matrimonio infertur iniuria, solum demonstrat civiliter contrahentium peccatum in hoc casu maius esse et proinde graviorem causam requiri ad cohonestandam syndici cooperationem. β. Formalitas matrimonii civilis in se indifferens est, modo syndicus declaret illam coram ecclesia et in conscientia nullum valorem habere: syndicus enim non tribuit nupturientibus effectus civiles, sed formalitatem peragit, qua posita lex nupturientes ut legitimos coniuges considerat eisque iura civilia veri matrimonii asserit. γ. Responsa congregationum assistentiam non videntur declarare intrinsecus malam, sed in particularibus illis casibus prorsus illicitam sive propter scandalum fidelium sive propter defectum causae cooperationem cohonestantis[3]).

---

[1]) Cf. *Gasparri* II. 1231. *Génicot* II. n. 562. *Lehmkuhl* II. n. 725, (n. 952) nota.

[2]) *Ballerini-Palmieri* VI. n. 530 s.

[3]) Cf. *Schnitzer* p. 78 ss. *Gennari*, Consultazione etc. (Roma, Monitore eccles. 1902) I. cons. 41.

Appendix II.

Excommunicationes.

I. Excommunicationem sedi apostolicae specialissimo modo reservatam incurrunt:

1. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (can. 2320).

2. Qui violentas manus in personam rom. Pontificis iniecerit (can. 2343).

3. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessionem, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est (cn. 2367).

4. Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit (cn. 2369).

II. Excommunicationem sedi apostolicae speciali modo reservatam incurrunt:

1. Omnes a christiana fide apostatae, et omnes et singuli haeretici aut schismatici (cn. 2314).

2. Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removet, et poenas propterea infligendas frustra patitur, si intra sex menses a contracta poena completos sese nondum emendaverit, tamquam haereticus habeatur, *haereticorum poenis obnoxius* (cn. 2315).

Suspecti de haeresi iure novo fiunt:

a. Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat.

b. Qui communicat in divinis cum haereticis (active partem habendo in sacris eorum).

c. Qui matrimonium ineunt cum pacto implicito vel explicito, ut proles aliqua educetur extra catholicam ecclesiam.

d. Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt.

e. Parentes eorumve locum tenentes, qui liberos scienter tradunt educandos vel instituendos in religione acatholica.

f. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit.

g. Appellantes a legibus vel mandatis et decretis romani Pontificis ad universale Concilium.

h. Qui obdurato animo per annum insorduerit in excommunicatione.

i. Omnes, etiam episcopalis dignitatis, qui per simoniam scienter ad ordines promoverint vel promoti fuerint, aut alia sacramenta ministraverint vel receperint.

3. Editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, opere publici iuris facto; itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes, aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes (cn. 2318).

4. Omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus seu conditionis, etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale concilium appellantes (cn. 2332).

5. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a sede apostolica vel ab eiusdem legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos, ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes (cn. 2333).

Habes igitur tria genera eorum, qui huic censurae subiacent:

a. recurrentes ad laicam potestatem,

b. prohibentes promulgationem vel exsecutionem,

c. laedentes vel perterrefacientes actorum illorum causa quoslibet.

6. Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura ecclesiae edunt.

Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (cn. 2334).

7. Si quis ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex cardinalibus vel legatis sedis apostolicae, vel officialibus maioribus romanae curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel ordinarium proprium sine venia sedis apostolicae (cn. 2341. 120).

8. Qui manus violentas iniecerit in cardinalem vel legatum romani Pontificis, in Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, etiam titularem tantum (cn. 2343).

9. Ad ordinem sacerdotalem non promotus, qui missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit (cn. 2322).

10. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad ecclesiam romanam pertinentia (cn. 2345).

11. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum sedis apostolicae, vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes (cn. 2369).

12. Si quis per [redacted] ipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud superiores falso denuntiaverit . . . neque ullo in casu absolvi potest, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia (cn. 2363).

III. Excommunicationem sedi apostolicae simpliciter reservatam incurrunt:

1. Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur (can. 2335).

Clerici et religiosi nomen dantes eiusmodi sectae vel associationi insuper denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii (cn. 2336).

2. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo sedi apostolicae reservata (can. 2338, 1).

3. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes (cn. 2338, 2).

4. Si quis ausus fuerit ad iudicem laicum trahere alienum (non proprium) Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus ob negotia ad eorum munus pertinentia sine venia apostolicae sedis (cn. 120.)

5. *Clausuram* monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes.

Mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes (cn. 2342).

Moniales e clausura illegitime exeuntes etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali s. sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci ordinario (cn. 2342, 3. 601).

6. Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu

reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiacet, quamdiu bona integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a sede apostolica absolutionem impetraverit (cn. 2346).

7. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum accipientes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon ex industria spectantes illudque permittentes vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint (cn. 2351).

8. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium, etiam civiliter tantum, contrahere praesumentes (cn. 2358).

9. Quaestum facientes ex indulgentiis (cn. 2327).

10. Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis (cn. 2392).

11. Vicarius capitularis aliive omnes tam de capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint (cn. 2405).

IV. Excommunicationem Ordinario reservatam incurrunt:

1. Catholici, qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico.

2. Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra ecclesiam catholicam.

3. Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt.

4. Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (cn. 1319).

5. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit (cn. 2326).

6. Qui in personam aliorum clericorum (quam r. pontificis, cardinalis vel legati r. pontificis, patriarchae, archi-

episcopi, episcopi etiam titularis), vel utriusque sexus religiosorum violentas manus iniecerit (cn. 2343).

7. Procurantes abortum, effectu secuto, matre non excepta (cn. 2350).

8. Professi votorum simplicium perpetuorum tam in ordinibus quam in congregationibus religiosis, itemque omnes cum illis personis matrimonium, etiam civiliter tantum, contrahere praesumentes (cn. 2388, 2).

9. Apostatae a religione laicali aut non exempta (cn. 2385).

Apostata a religione alia excommunicationi obnoxius est maiori superiori proprio ipsius religionis reservatae.

V. Excommunicationem nemini reservatam incurrunt:

1. Auctores et editores, qui sine debita licentia sacrarum scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant — postquam opus publici iuris factum fuerit (cn. 2318, 2).

2. Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos per sententiam sive interdictos (cn. 2339).

3. Alienare praesumentes (et cooperantes vel consentientes) bona ecclesiastica sine beneplacito apostolico, quando id praescriptum est (cn. 2347).

4. Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam (cn. 2352).

5. Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit (cn, 2368, 2).

Index rerum.

Numerus arabicus numerum marginalem indicat.

A.

Absolutio: eius formula 237; non potest dari per litteras 238; nec absenti 239; nec per telephonium 239; quando licita sit condicionata 240; si poenitens post absolutionem confitetur peccatum grave ex oblivione omissum 240; in absolutione moribundorum quid attendendum 292; quando danda, differenda, neganda sit 391; quando consuetudinarii absolvi possint 393; quando recidivi 395; quando recidivo differenda sit absolutio 396; quando occasionarii absolyi possint 399, 400; v. **Consuetudinarius, Recidivus, Occasionarius.**

— *complicis* v. **Complex.**

— *generalis* v. **Indulgentia** *in articulo mortis.*

Aegroti: num possint extra mortis periculum s. communionem suscipere non ieiuni 157; quoad indulgentias 323; eorum confessiones audiri possunt absque licentia parochi 30.

Altare: ad celebrationem missae necessarium 211; *privilegiatum* 324; quo sensu altare privilegiatum debeat esse fixum 324; *gregorianum* 326.

Amentes: quid requiratur, ut ii, qui post usum rationis facti sunt amentes, sacramenta suscipere possint 41; num eucharistia eis dari possit vel debeat 134.

Applicatio missae v. Missa.

Articulus *mortis*: de indulgentia in articulo mortis v. **Indulgentia.**

Assistentia v. **Matrimonium.**

Attentio: externa, interna 19; in administratione sacramentorum sufficit externa 19; ad validam susceptionem sacramentorum nulla requiritur 41; quale peccatum sit voluntaria distractio in confectione sacramentorum 19.

Attritio: quid sit 247, 250; eius motiva 250; eius effectus 251.

Aurora: quomodo computanda sit in celebratione missae 203; quando ante auroram celebrare liceat 204.

B.

Banna v. Matrimonii proclamatio.

Baptismus: quid sit 55; flaminis et sanguinis, sollemnis et privatus 55; effectus baptismi 56; omnibus necessarius necessitate medii hypothetica 57; in infantibus per martyrium suppleri potest 57; in adultis etiam per baptismum flaminis 57; infusione conferendus 61; quomodo facienda infusio, ut certo valeat 61; involuto in secundinis collatus invalidus 61; super crines, super caput crusta ulcerosa vel sordibus obductum collatus validus 61; exsistenti in utero matris collatus dubius 61; per modum unctionis collatus invalidus 61; in nomine Iesu collatus, quid sit 63.

— *Baptismi aqua*: quando consecrari debeat 60; quid faciendum, si appareat faeculenta 59; si deficiat 60; consecranda oleo recenti 60.

— *forma:* quae sit 62; quae verba essentialia 62; formae validae, invalidae, dubiae, ambiguae 63.

— *iteratio:* quando baptismus haeretici ad fidem conversi iterari debeat 74; quando baptismus privatim collatus iterari debeat 75.

— *locus*: extra casum necessitatis est ecclesia vel oratorium publicum 82.

— *materia:* remota valida 58; remota licita 59; materia proxima 61.

— *minister:* ordinarius, extraordinarius baptismi sollemnis et baptismi privati 64; ordo servandus inter diversos ministros 65; extra necessitatem solus parochus vel eius delegatus licite baptizat 64.

— *ceremoniae:* in rituali praescriptae adhiberi debent 81; quale peccatum sit earum omissio 81; num nomen alicuius Sancti imponi debeat 81; suppleri debent, si baptismus privatim collatus fuit 83; quae ceremoniae suppleri debeant 83.

— *patrini:* quot licite adhiberi possint 77; quid requiratur, ut aliquis valide sit patrinus 78; ut licite sit patrinus 80; eorum officium 79; contrahunt cognationem spiritualem 79; catholicus nequit [redacted] patrinus in baptismo ab haeretico conferendo 80; cautio adhibenda in reiiciendis indignis 80.

Baptismi *subiectum:* infantes catholicorum quamprimum baptizandi sunt 66; quale peccatum sit baptismum diutius differre 66; filii

acatholicorum baptizandi non sunt, nisi adsit probabilis spes catholicae educationis 67 ss.; extra mortis periculum infantes infidelium baptizare non licet invitis parentibus 68; foetus abortivi baptizandi sunt 70; foetus nondum editi in periculo mortis baptizandi sunt 71; partus monstruosi baptizandi sunt 72; adultus sufficienter instructus quamprimum baptizari debet 73; filii acatholicorum ratione utentes baptizari debent, si baptismum petant 73; infidelis sensibus destitutus num baptizari possit 73.

Benedictio: quid et quotuplex sit 52; constitutiva et invocativa 52; ecclesiae competit potestas benedicendi 49.

— *papalis:* in articulo mortis quoties et quo ritu dari possit 329.

— *nuptialis:* quid sit 655; num sponsi eam recipere teneantur 655; quibus concedenda sit 657.

Beneficiatus: oneribus missarum [illegible] iustitia satisfacere tenetur 195; ordinarie per [illegible] ipsum 195; ob quas [illegible] missam debitam omittere possit 195.

Bigamia: licita est 516.

Binatio: solum in casu necessitatis ordinarius [illegible] permittere potest 206; quando adsit casus necessitatis 206; pro secunda missa non licet accipere stipendium 207.

C.

Candela v. **Lumen.**

Casus *reservatus:* quid sit 355; quae peccata reservari soleant 356; ratione sui, ratione censurae 358; quis peccata reservare possit 359; quot casus ordinarii reservare possint 359: casus papales et episcopales 360; condiciones requisitae, ut peccatum sit reservatum 361; num peccatum cum ignorantia reservationis commissum reservatum sit 362; quis a casibus episcopalibus absolvere possit 363; quando simplex confessarius 364; num peregrini absolvi possint 364; quis [illegible] casibus papalibus absolvere possit 366; quando simplex confessarius 366; sub quibus condicionibus 366.

Ceremoniae *baptismi:* v. **Baptismus.**

— *confirmationis* v. **Confirmatio.**

— *missae* v. **Missa.**

Character *sacramentalis:* quid sit, quibus sacramentis imprimatur, quid efficiat 3.

Choreae: num licitae sint 420; hominum personatorum 420; num possit negari absolutio eas vitare nolentibus 420.

Chrisma: quid sit 86; [illegible] simplici sacerdote consecrari nequit 86.

Coena Domini: quot missas hac die celebrare licet 200; si in [illegible] incidat festum de praecepto 200.

Communio *frequens:* quae sit 158; ecclesia eam commendat 158; quae dispositio ad eam requiratur 159.

Complex: num accusari debeat peccatum, quod sine complicis manifestatione declarari nequit 285; non licet petere nomen complicis 287; in peccato turpi 369; proprius complex in peccato turpi absolvi nequit 370; quando proprius complex valide, quando valide et licite absolvi potest 371.

Componenda v. **Taxa.**

Condicio *in sacramentis:* condicio de futuro invalidum facit sacramentum 25; quando possit et debeat apponi condicio 25; num verbis exprimi debeat 25.

Condonatio *missarum* v. **Missa.**

Confessarius: num possit praecipere, quae aliunde non sunt praecepta 385; quando absolvere possit a casibus episcopalibus 364; quando a casibus papalibus 366.

— *religiosarum*: speciali iurisdictione indiget 350; quodvis monasterium suum confessarium ordinarium et extraordinarium habere debet 351, 352; non constituitur nisi ad triennium 351; quis non possit esse confessarius 351, 352; extraordinario omnes religiosae se sistere debent, etsi non confiteantur 352; confessarii specialis, designati 353.

— *sollicitans* v. **Sollicitatio.**

Confessarii *obligationes:* num et quantam scientiam habere debeat 382 s.; de quibus poenitentem docere debeat 384; quos poenitentes de obligationibus monere debeat 385; quos poenitentes et de quibus interrogare debeat 386; qua diligentia eos interrogare debeat 386; de peccatis iudicare debet 388; de dispositione probabile iudicium habere debet 389; quando poenitentem absolvere debeat 391; tenetur corrigere defectus in confessione admissos 401 ss.; quando ad restitutionem teneatur propter errorem in confessione commissum 405; tenetur servare v. **Sigillum.**

Confessio: generica quid sit 230; in casu necessitatis valida est 230; generica venialium tantum illicita est 231; venialium, quomodo instituenda sit 265; quae confessio sacramentalis 267; debet esse vera 269; secreta 270; num confessio per interpretem vel per scripturam necessaria sit 270; debet esse vocalis 271; quando per scripturam licita sit 271; num confessionem dimidiare liceat 272; num ecclesia praecipere possit confessionem venialium 273; generalis 437 ss.; quoad indulgentias v. **Indulgentia.**

Confessionis *integritas:* praecepta est 272; materialis et formalis 272; quaenam ad validam absolutionem necessaria 272; quid ad eam requiritur 273; peccata dubia ad eam non requiruntur 278; nec peccatorum circumstantiae aggravantes 280; num sufficiat peccatum recens accusare ut olim commissum et iam remissum 281; causae ab excusantes 282; num accusari debeat peccatum,

quod sine complicis manifestatione declarari nequit 285; num multitudo poenitentium ab integritate excuset 286; moribundi ab integritate excusantur 292.

Confessionis *necessitas:* ante sacrum vel communionem 140; num habens reservatum ante sacrum vel communionem confiteri debeat 368; v. **Poenitentia.**

— *repetitio:* confessio invalida repeti debet 290; causae invaliditatis ex parte confessarii 291; ex parte poenitentis 291.

Confirmatio: quid sit 84; quando instituta sit 84; eius effectus 85; cum oleo sacro collata 86; num episcopus eam conferre teneatur 90;

Confirmationis *ceremoniae:* quae servandae 94.

— *forma:* quae in ea essentialia sint 88.

— *materia:* remota valida 86; remota licita 86; proxima 87.

— *minister:* ordinarius, extraordinarius 89; num solus s. pontifex sacerdotem ad chrismandum delegare possit 89; obligatio confirmandi 90.

— *patrinus:* requiritur 95; quis valide, licite possit esse patrinus 96 s.; quando religiosi possint esse patrini 97.

— *subiectum:* quis valide, quis licite eam suscipere possit 91; num eam suscipere teneamur 92; condiciones ad valide et licite eam suscipiendam 93.

Consensus *matrimonialis:* **v. Matrimonii** *cons.*

Consuetudo *peccandi:* quid sit 392; quando censeatur contracta 392.

Consuetudinarius: num absolvendus sit 393; si saepius confiteri recusat 393.

Contritio: quid sit 247; actus ad eius essentiam necessarii 247; perfecta 248; eius effectus 249; imperfecta 250; eius motiva 250; eius effectus 251; **v. Attritio.** Contritio perfecta necessitate medii et praecepti necessaria est 252; quando necessaria sit 252; debet esse vera, non solum exsistimata aut virtualis 253; supernaturalis 254; universalis 255; summa 256; quando elici debeat, ut valeat absolutio 257; num elici debeat cum intentione confitendi 258; num pro singulis absolutionibus 259; **v. Dolor.**

Conversio: quos actus comprehendat 241; ad remissionem peccatorum necessaria 241; **v. Remissio.**

Crux: sine cruce cum imagine crucifixi celebrare non licet 211.

D.

Delegatio *ad assistentiam matrimonialem:* quis delegare, quis delegari possit 649; num sufficiat delegatio generalis 649; num capellani indigeant delegatione 649; num exspiret morte delegantis 649.

Denuntiatio *sollicitationis:* confessarius sollicitans denuntiari debet 373, 376; quis eum denuntiare debet 377; persona sollicitata absolvi

nequit, nisi denuntiare velit. 378; excommunicationem incurrit, si intra mensem non denuntiat 378; quid si per calumniam denuntiat 378; causae ab obligatione denuntiandi excusantes 379; modus denuntiandi 380.

Diaconus: quando baptizare possit 64; quo ritu eucharistiam dispensare debeat 125; num contrahat irregularitatem, si absque commissione parochi sollemniter baptizat vel s. communionem distribuit 64. 126.

Dispensatio *matrimonialis:* quae sit potestas s. pontificis 606; tribunalia, per quae dispensat 607; quae sit potestas ordinarii 608 s.; quae sit parochi et confessarii 610 s.; sine causa invalida est 613; quae [illegible] canonicae 614; quae non-canonicae 615; quomodo petenda 616; in forma ordinaria, nobilium, pauperum 616; quae in supplicatione exprimenda sint 617; num valeat, si in supplicatione sit error 619; de solvenda taxa 618; in forma commissoria, in forma gratiosa concessa 621; quis eius exsecutor sit 622; quomodo exsequenda, si pro foro externo concedatur 623; si [illegible] Poenitentiaria concedatur 624.

Dispositio: quale iudicium de dispositione poenitentis necessarium sit 389; ex quibus signis iudicium formari possit 390.

Dissimulatio *sacramentorum:* quid sit 38; ex iusta causa licita est 39.

Distractio: voluntaria in administratione sacramentorum veniale non excedit 19.

Divortium: *quoad vinculum* v. **Matrimonii indissolubilitas.**

— *quoad habitationem:* separatio ex mutuo consensu perpetua 668; temporanea 669; separatio [illegible] causa unius partis perpetua 670; temporanea 671.

— *civile:* num iudici sententiam divortii pronuntiare liceat 673; num coniugibus petere liceat 675; [illegible] advocatis [illegible] divortii agere liceat 676.

Dolor *de peccatis:* venialibus, quomodo comparatus esse debeat 265; quando elici debeat, ut valeat absolutio 257; num elici debeat cum intentione confitendi 258; num sufficiat unus pro duabus absolutionibus 259; num liceat confiteri venialia sine dolore 265; sufficit dolor de frequentia venialium 265; v. **Contritio.**

Domicilium: quoad ordinationem 463.

E.

Ecclesia: quid sit 198; per se solum in ecclesia consecrata vel benedicta celebrare licet 199.

Effectus *sacramentorum:* per se et per accidens, primarius et secundarius 4; [illegible] effectus *peccati* in confessione declarandus sit 277.

Episcopus: quis sit episcopus proprius quoad ordinationem 463; quid requiratur, ut alienum subditum ordinare possit 462; ut in aliena dioecesi ordinare possit 475.

Error: communis et privatus 346; in errore communi ecclesia supplet iurisdictionem 346.

Eucharistia: sacramentum et sacrificium est 98; eius definitio 99; quam gratiam conferat sub utraque specie suscepta 100; quando gratia conferatur suscipienti 101; quamdiu Christus praesens maneat 102; eius multiplices effectus 104; num una species sine altera consecrari possit 103; species frequenter renovandae 128.

Eucharistiae *dispensatio:* quo tempore dispensari possit 129; quo loco 130; quo ritu dispensari debeat sanis 131; quo ritu infirmis 132; quid faciendum sit, si infirmus sacram hostiam evomat 132; ubi, quando et quibus regulares eucharistiam dispensare possint 127.

— *forma:* quae sit forma consecrandi panis, et quae in ea sint essentialia 119; quae sit forma consecrandi vini, et quae in ea sint essentialia 120; quomodo proferri debeat 121; formae validae, dubiae, invalidae 122.

— *materia:* remota est panis triticeus et vinum de vite 105; quid requiratur, ut panis sit materia valida 106; ut sit materia licita 107; ut vinum sit materia valida 108; ut sit materia licita 109; vino admiscenda est aqua 110; materia consecranda debet esse physice praesens 111; debet esse determinata 112; quid ad licite consecrandam materiam requiratur 113; quaenam materia vi intentionis celebrandi consecretur 114; num guttae vini sive interius sive exterius calici adhaerentes consecrentur 115; num micae panis hostiae adhaerentes vel ab [redacted] separatae consecrentur 115; num consecretur ciborium extra corporale relictum 115; quando particulae consecrandae ponendae sint in altari 116; quanta materia consecrari possit 117.

— *minister:* quis sit minister consecrationis 124; quis sit minister dispensationis ordinarius et extraordinarius 125; quae potestas ad [redacted] licite dispensandam requiratur 123, 126; quo ritu diaconus eam dispensare debeat 125; ubi, quando et quibus regulares eucharistiam dispensare possint 127.

— *necessitas:* non est necessaria necessitate medii, sed praecepti 136; quando urgeat praeceptum divinum 137; quando praeceptum ecclesiasticum 136.

— *subiectum:* validae susceptionis 133; licitae susceptionis 134; quotuplici modo eucharistia sumi possit 133; cur infantibus non detur 134; [redacted] amentibus dari debeant 135; [redacted] sensibus destitutis dari possit 135; qui eam suscipere debeant 136; dispositio substantialis quoad animam est status gratiae 139; dispositio accidentalis est devotio 139; praeceptum confitendi [redacted] ob-

ligans 140; praeceptum confitendi *quamprimum* obligans sacerdotes 142; quando celebrare liceat non praemissa confessione 141; dispositio requisita quoad corpus est habitus decens 143; mundities 144; num fluxus menstruus, pollutio involuntaria, usus matrimonii impediant communionem 144; ieiunium naturale v. Ieiunium.

Examen *conscientiae:* eius ad confessionem necessitas 288; quae diligentia in eo adhibenda 289; quomodo cognosci possit negligentia gravis 288.

— *sponsorum:* a quo et quomodo instituendum 550.

Excommunicationes: quae sint, cui et quomodo reservatae pp. 785 ss.

Exorcismus: quid sit 53; sollemnis et simplex, publicus et privatus 53; ecclesia habet potestatem exorcizandi 49; exorcismum sollemnem non licet peragere sine licentia ordinarii 54; nisi de facto obsessionis certo constet 54; exorcismus privatus ab omnibus peragi potest 54; sacerdotibus valde commendandus 54.

F.

Familiares *regularium:* qui sint 348; qua iurisdictione eos absolvere possint 348.

Familiaritas: licita, illicita 418; sponsorum 419.

Feria VI. in parasceve celebratio missae extra casum necessitatis prohibetur 201; quid, si in eam incidat festum de praecepto 201.

Fides: num ante confessionem elici debeat 264.

Foetus: abortivi baptizandi sunt 70; nondum editi in periculo mortis baptizandi sunt 71.

Forma *sacramentorum:* quid sit 11; simul cum applicatione materiae proferri debet 13; ab eodem ministro, qui materiam applicat 14; eius prolatio debet esse vocalis 16.

Formae *mutatio:* substantialis, accidentalis 15; error ministri, qui sensum formae non mutat, non facit invalidum sacramentum 15; valor formae ambiguae ab intentione ministri dependet 15.

— *interruptio:* facilius interruptio syllabarum quam verborum mutat sensum 16.

— *repetitio:* tum integram formam tum unum alterumve verbum sine causa repetere peccatum est 16; scrupulosi, qui formam sine causa repetunt, non semper peccant 16.

Fructus missae v. Missa.

H.

Haeretici: quando haeretici ad fidem conversi iterum baptizandi sint 74; haeretici non possunt esse patrini 78; num haeretici absolvi possint 295; num pro eis sive vivis sive defunctis missa applicari possit 181.

Hermaphroditi: qui dicantur, num matrimonium inire, ordines suscipere possint 575.

I.

Ignorantia: num excuset ab incurrenda reservatione 362.

Impedimenta *matrimonii:* quis statuere possit 513, 559; num consuetudine introduci possint 559; quos obligent 560; impedientia, dirimentia 556; num liceat matrimonium inire cum impedimento dubio 557; publica, occulta 556; quae sit obligatio ea revelandi 554.

— *impedientia:* quot sint 560; impedimentum catechismi et criminis 560.

— *Votum:* quae vota matrimonium impediant 561; quod peccatum committat, qui tali voto ligatus matrimonium init 561; ad quid teneatur 561.

— *Mixta religio:* quo iure matrimonium impediat 562; quis in ea dispensare possit 562; sub quibus condicionibus 563; quando matrimonium mixtum licitum sit 564.

— *Cognatio legalis:* quid sit 565; natura impedimenti 566.

— *dirimentia:* quot sint 568.

— *Aetas:* quae ad validum matrimonium requiratur 569 ss.

— *Impotentia:* quid sit 571; quotuplex sit 572; quatenus dirimat matrimonium 573; de matrimonio cum impotenti inito 574.

— *Ligamen:* quid sit 576; quae certitudo de statu libero requiratur 577.

— *Disparitas cultus:* quae et quatenus matrimonium dirimat 578; quid, si dubitatur de valore baptismi 579.

— *Ordo sacer:* quatenus matrimonium dirimat 580.

— *Votum sollemne:* quodnam votum matrimonium dirimat 581.

— *Raptus:* quid sit 582; quatenus dirimat matrimonium 583; indispensabile est 582.

— *Crimen:* quod matrimonium dirimat 584; num ignorantes impedimentum contrahant 584; quae condiciones requirantur ad contrahendum impedimentum 585 ss.; quando multiplicetur impedimentum 588.

— *Consanguinitas:* quid et quotuplex sit 589; eius linea 590; eius gradus quomodo computandi 593; consanguineorum nomina 594; quatenus matrimonium dirimat 591 ss.; quando multiplicetur 595.

Impedimenta *matrimonii: Affinitas:* quid sit, unde et inter quos oriatur 597, 598; eius linea, gradus, multiplicatio 598; nomina affinium 599; quatenus matrimonium dirimat 600.

— *Honestas publica:* quid sit, unde et inter quos oriatur 601; quatenus matrimonium dirimat 601; num oriatur ex matrimonio claudestino, civili 601.

— *Cognatio spiritualis:* quid sit 602; unde et inter quos oriatur 603; quando multiplicetur 603; num oriatur ex baptismo privato 603.

— *Cognatio legalis:* quid sit 604; quatenus matrimonium dirimat 604.

Impedimenta *ordinationis:* v. **Irregularitates.**

Imperfectio: quid sit 229; num est materia sufficiens confessionis 229.

Impositio *manus:* in confirmatione necessaria est 87; in ordinatione tactu physico fieri debet, sed sufficit tactus mediatus 459; in ordinatione impositio manus presbyterorum non requiritur 459.

Indulgentia: quid sit 311; alio modo conceditur vivis, alio defunctis 312; indulgentiae applicari non possunt vivis 312; vivis concessae infallibilem effectum habent, non item defunctis 313; personalis, realis, localis 314; plenaria, partialis 315; num eandem indulgentiam saepius in die lucrari possimus 315; quis concedere possit 316; condiciones ad lucrandas indulgentias requisitae 317; condiciones ad lucrandas indulgentias pro defunctis requisitae 318; opera ad indulgentiam plenariam necessaria 319; communio paschalis valet ad lucrandas indulgentias, quae communionem exigunt, excepto iubilaeo 320; quae visitatio ecclesiae requiratur 321; preces praescriptae ore recitari debent 322; indulgentia concessa in forma ecclesiae consueta 323.

— *altaris privilegiati:* quid sit 424; num eius effectus infallibilis 324; num ab aliis indulgentiis differat 324; condiciones ad eam lucrandam requisitae 325.

— *in articulo mortis:* unica indulgentia et plures tituli 328; quibus applicari possit 329; condiciones ex parte sacerdotis 329; ex parte moribundi 329; quando applicanda sit 329.

— *iubilaei:* v. **Iubilaeum.**

Infantes: quorum sacramentorum sint capaces 41; num et quando baptizari debeant 66 ss.; expositi non baptizari debeant 76.

Infideles: num peccent differendo baptismum 73; non moribundi sensibus destituti baptizari possint 73; num pro eis missa applicari possit 176.

Intentio: quid sit 19; actualis, virtualis, habitualis, interpretativa 20; clara, determinata, explicita 22; absoluta, condicionata 24; in administratione sacramentorum requiritur virtualis 21; determinata 23; saltem implicita faciendi, quod facit ecclesia 23; in susceptione sacramentorum requiritur saltem habitualis implicita 41.

Intentio *missae:* secunda, quid sit 174; missae intentionem cum alio permutare licet 192; **v. Applicatio.**

Interpellatio *coniugis infidelis:* cur praecepta, quatenus necessaria, eius obiectum, eius formalitates, eius dispensatio 522.

Interstitia: quae in ordinatione servanda sint 476; quis in eis dispensare possit 476.

Irregularitates: quid sit irregularitas 479; eius subiectum, quid prohibeat, quid efficiat, eius ignorantia, quomodo multiplicetur et contrahatur 480; quomodo differat ab impedimento simplici ordinis 498.

— *ex defectu:* ex defectu natalium 481; huius cessatio 482; ex defectu corporis 483; huius species 484; quinam defectus animae eam inducant 485; ex defectu sacramenti 486; ex defectu famae 487; quinam infames sint 488; ex defectu lenitatis 489.

— *ex delicto:* condiciones ad eam contrahendam 490; defectio fide 491; baptismus ab acatholico susceptus 492; matrimonium attentatum 493; homicidium, procuratio abortus 494; mutilatio, suicidii tentatio 495; exercitium artis medicae vel chirurgicae 496; abusus ordinis 497.

Iteratio *sacramentorum:* quae iterari non possint 26; quando fieri possit vel debeat 27.

— *baptismi* inducit irregularitatem 26 v. **Baptismus.**

— *extremae unctionis* v. **Unctio.**

Ieiunium *naturale:* ante communionem praeceptum 145; in quo consistat 145; qui dubitat, an sit ieiunus, communicare potest 145; tempus mediae noctis physice computandum est 146; secundum horologium quodcunque ordinarie bene directum 146; secundum tempus verum medium 146; quomodo laedatur 147 ss.; quae causae excusent 151 ss.; licet infirmo periculose non decumbenti dare s. communionem non ieiuno, saltem ad satisfacicendum praecepto paschali 157; praecepto ieiunii sacramentalis conceditur dispensatio 145; quomodo petenda, interpretanda 157.

Iubilaeum: quid sit 330; quo differat ab alia indulgentia plenaria 330; ordinarium et extraordinarium, quo differant 330; condiciones requisitae 331; facultates, quae confessariis concedi solent 332; de usu harum facultatem 333; indulgentiae et facultates, quae durante anno sancto suspenduntur 334.

Iurisdictio: quid sit 337; solum in subditum exerceri potest 339; a superiore poenitentis concedi debet 339; etiam ad absolvendum a venialibus requiritur 339; ordinaria et delegata 337, 341; cui competat ordinaria 340; quot modis delegari possit 338; quomodo cesset iurisdictio 342; qua iurisdictione absolvantur navigantes in mari 343; quando eam suppleat ecclesia 344; iurisdictio dubia et probabilis 346; num licitus sit eius usus 346; quoad religiosas 350; v. **Periculum. Religiosi. Religiosae.**

Iurisdictionis *restrictio:* quot modis fieri possit 354; v. **Reservatio.**

L.

Libellus *repudii:* quid effecerit 501.

Litterae: testimoniales ad ordinationem requisitae 471; dimissoriae ad ordinationem requisitae 472.

Lumen: sine lumine celebrare grave peccatum est 211; cum uno lumine celebrare veniale est 211; duae candelae ex cera tempore missae ardere debent 211; celebrare cum candelis ex seba non licet 211.

M.

Manus *impositio* v. **Impositio.**

Materia *sacramentorum:* quid sit remota et proxima 11; extra casum necessitatis debet [illegible] certa 12; simul cum forma applicari debet 13; ab eodem ministro, qui formam pronuntiat 14.

Materiae *mutatio:* substantialis, accidentalis 15.

Matrimonium: quid sit 501; quando et quomodo institutum 501; quo differat a ceteris contractibus 501; eius fines 503; eius bona 504; per procuratorem initum 633; sub condicione initum 634; sub condicione, quae adversatur eius substantiae 635; [illegible] copula ad eius essentiam requiratur 626; prout sacramentum est 505; sacramentum a contractu non differt 506; eius materia et forma 507; eius ministri 508; eius subiectum 509; eius effectus 511, 639 ss.; eius divisio 512; morganaticum 512; conscientiae 512; attentatum 512; s. Iosephi 635; ecclesiae in illud potestas 513; auctoritatis civilis in illud potestas 514 ss.; mixtum 658 ss.

— *civile:* quid sit, quotuplex sit 677 s.; quatenus licitum 779; quatenus validum sit 680; num magistratus matrimonio civili assistere possit 681.

Matrimonii *necessitas:* quatenus asserenda sit 502.

— *consensus:* quid sit 625; eius necessitas 626; eius proprietates 627 ss.; contrahentium praesentia 633; consensus condicionatus 634 ss.; de conditionibus contra substantiam matrimonii 635; de defectibus consensus 636 ss.; error 636; vis et metus 637.

— *individualitas:* in quo consistat 632.

— *unitas:* in quo consistat 516; perfecta, imperfecta 516; ei opponitur polyandria, polygynia et bigamia 516.

— *indissolubilitas:* interna, externa 517; solvi potest matrimonium ratum fidelium 518 s.; matrimonium consummatum infidelium 520 ss.

— *celebratio:* quo tempore, ritu et loco fieri debeat 653, 654, 657; quomodo celebranda sint matrimonia mixta 658; num liceat adire ministrum haereticum 659; de indignis 567; de matrimonio inscribendo 660.

— *revalidatio:* quid et quotuplex sit 661; quid confessario agendum, qui deprehendit matrimonium invalidum 661; quomodo sit fa-

cienda, si matrimonium nullum sit ob defectum consensus 663; si nullum sit ob defectum formae 664; si nullum sit ob defectum habilitatis 662; v. Sanatio in radice.

Matrimonii *solutio:* v. Divortium.

— *proclamatio:* eius finis 551; sub gravi facienda est 551; quoties, quando, ubi, a quo facienda sit 552 s.; quis ab [illegible] dispensare possit 553; quae sit iusta dispensandi causa 553.

— *assistentia:* activa, passiva 656; quis assistere debeat 644; num assistere possit parochus putativus, parochus intrusus 644; conditiones validae 645; licitae assistentiae 646; quis matrimoniis vagorum assistere debeat 648; v. Delegatio. Quae assistentia exhibenda publicis peccatoribus 656; in matrimoniis mixtis 658.

— *testes:* 650.

[illegible] *in confessione:* num semper grave peccatum sit 269.

Ministrare *sacramentum:* sub condicione de praesenti vel praeterito licet 25; sub condicione de futuro non licet 25; sacramentum dubii valoris sub condicione ministrari debet 25; in statu peccati quando peccatum grave sit [illegible] s.; iuxta Rituale romanum 29; quis licite possit 30 s.; quanta sit obligatio pastorum 34; quanta non-pastorum 35; quando adsit obligatio gravis 34 s.; non licet sacramenta ministrare indignis nisi [illegible] iusta causa, nunquam vero incapaci 36; ob quas [illegible] liceat sacramentum ministrare indigno 36 s.

[illegible] *sacramentorum:* principalis, secundarius; ordinarius, extraordinarius; consecratus, non-consecratus; publicus, privatus 17; quae attentio requiratur 19; v. Attentio; quae intentio requiratur v. Intentio; in dignitatem suscipientis inquirat oportet 36; indignus quis sit 43; [illegible] licet sacramenta petere a ministro indigno nisi [illegible] iusta [illegible] 43

— *missae:* sub gravi requiritur minister masculus 211; deficiente ministro mulier celebranti a longe respondere potest 211.

[illegible]: quid sit 162; est verum sacrificium 162; non ad eius essentiam, sed ad eius integritatem communio requiritur 163; in consecratione unius speciei [illegible] habetur essentia sacrificii 164; eius quadruplex finis et effectus 165; varii offerentes 166; tum missa tum sacerdos offerens tripliciter considerari potest 167; quomodo remittat peccata 170; pro quibus offerri possit 175; num pro infidelibus vel pro excommunicatis sive vivis sive defunctis 176; num pro infidelibus defunctis, pro catechumenis 176; missae manuales, ad instar manualium, fundatae 186; sacrificium inchoatum complendum est 213; missae gregorianae quid sint, num licitae sint 327; potest aliquis eodem tempore pluribus missis assistere 171.

Missarum *reductio:* quis missas reducere possit 193; per reductionem fideles detrimentum [illegible] capiunt 193.

Missarum *condonatio:* quid sit 194; solus s. pontifex missas condonare potest 194; quando condonatio concedatur 194; duplex effectus condonationis 194.

— *applicatio:* quid sit 174; publica, semipublica, occulta 174; num valeat: *ad mentem b. Virginis* 177; a quo fieri debeat 174, 177; num fructus missae nulli applicatae in thesauro ecclesiae maneant 174; quando fieri debeat 177; duarum applicationum quaenam valeat 179; pro eo, qui primus daturus est stipendium 179; pro vivo, qui creditur mortuus 179; valet applicatio missae de requiem facta vivo 179; quoties facienda sit pro populo 181; num fieri debeat ab ipso pastore 182; quo die et loco 182; qui applicare debet in honorem alicuius sancti, non tenetur dicere missam votivam 184; quando applicanda sit missa ex stipendio debita 187; licet missae applicationem permutare 192.

— *celebratio.* in statu peccati est sacrilegium 32; in pane fermentato quando liceat 107: quoties praecepta ratione sacerdotii 180; ratione officii 181; quae sit obligatio celebrandi ratione stipendii 183; ratione beneficii 195; ratione oboedientiae 196; ratione promissionis 197; quo loco fieri debeat 198, 199; num sub die, in navi celebrare liceat 199; quibus diebus celebrare liceat 200; qua diei hora celebrare liceat 203; quoties eodem die celebrare liceat 205; in celebratione ritum omittere grave esse potest 209; non licet in celebratione ritum addere 210; non licet celebrare nisi in altari 211.

— *stipendia* v. **Stipendium**.

Missae *fructus:* qui sint 168; ex opere operato producti 169; meritorius, impetratorius, propitiatorius, satisfactorius 170; quomodo singuli producantur 170; generalis, specialis, specialissimus, ministerialis 171; quomodo singuli applicentur 171; non sunt infiniti valoris 172 s.; qui eodem tempore pluribus missis assistit, omnium fructus percipit 171; fructus missae dividi possunt 178.

— *minister* v. **Minister**.

Missae *interruptio:* sine interruptione celebrari debet 212; essentialis interruptio illicita 212; accidentalis ex iusta causa licita est 212.

Missale romanum editionis typicae in celebratione adhibendum 208; non licet sine missali celebrare 211.

Moribundi: sacramenta petere possunt etiam ab excommunicato vel haeretico 43; ab integritate confessionis excusantur 292; qui absolvi non possint 293; num haeretici absolvi possint 295.

Moribundi *sensibus destituti:* quae intentio requiratur ad valide suscipienda sacramenta 41; sub condicione absolvi possunt 292.

Muti: ad confessionem tenentur 271, 283; quoad indulgentias 322.

N.

Navigantes *in mari:* qua iurisdictione absolvantur 343.

Necessitas proximi *spiritualis:* extrema, gravis, communis 34.

O.

Obsessi: solum in eos, qui certo tales sunt, exorcismus adhiberi debet 54.
Obstetrices: diligenter instruendae circa modum baptizandi 75; quomodo de baptismo collato examinandae 75.
Occasio *peccati:* quid sit 397; quo differat a periculo peccati 397; remota et proxima 398; voluntaria et necessaria, in esse et non in esse 398; particularis 418 ss.
Occasionarius: num absolvi possit in occasione proxima libera 399; in occasione proxima necessaria 400.
Oleum *consecratum:* triplex 86; in consecratione aquae baptismalis ad hibendum 60.
Opera *moralia:* quotuplicis generis sint 223.
Oratorium: quid sit 198; publicum, semipublicum, privatum 198; per se solum in oratorio consecrato vel benedicto celebrare licet 199; quis licentiam oratorii semipublici concedere possit 199; solus s. pontifex concedere potest licentiam oratorii privati 199.
Ordinatio: qui defectus in ea commissi suppleri debeant 458; tempus ordinationis 474; locus ordinationis 475; titulus ordinationis 473; num sit obligatio recitandi preces vel dicendi missas in ordinatione impositas 478; impedimenta ordinationis 479 ss.
Ordo: eius definitio 448; ordinum numerus 439; tonsura non est ordo 451; ordines minores non sunt sacramenta 452; quam potestatem conferant 452; num maiores ordines sint sacramenta 453; quam potestatem conferant 453; quos effectus ordo producat 450.
Ordinis *materia et forma:* quae sit in minoribus 455; eam s. pontifex determinat 454; quae sit in maioribus 456 s.; observanda quoad impositionem manuum 459; quoad instrumenta tangenda 457, 460.
Ordinis *minister:* validae ordinationis 461; licitae ordinationis 462; num sacerdos delegari possit ad ordines minores conferendos 461; quis sit proprius ordinandi episcopus 463; non licet conferre ordinem praetermisso inferiore 477; non licet duos ordines sacros eodem die conferre 476.
— *subiectum:* quis ordines valide suscipere possit 464; quis eos licite suscipere possit 465 ss.; num ordinandus esse debeat in statu gratiae 465; num confirmatus 465; quae sit scientia pro singulis requisita 469; quae aetas pro singulis requisita 468; titulus ordinationis requisitus 473.

P.

Panis: qualis sit materia eucharistiae v. **Eucharistia.**
Parochus: num assistere possit matrimonio publici peccatoris 37; viaticum ministrare pertinet ad parochum 126; quoties pro populo applicare debeat 181; num ipse, quo die et loco applicare debeat 182; assistens in matrimonio v. **Matrimonii assistentia.**

Patrini *baptismi* v. **Baptismus.**
— *confirmationis* v. **Confirmatio.**
Peccata *mortalia:* sunt materia necessaria confessionis 224; in specie infima declarari debent 273; omnia et singula 274; quid significet particula *circiter* numero peccatorum addita 275; eorum actus externus declarari debet 276; non autem eorum effectus 277; dubia non sunt materia necessaria 278.
— *venialia:* sunt materia libera et sufficiens confessionis 227; confessio generica venialium valida, sed illicita 230 s.; num liceat confiteri venialia sine dolore 265; sufficit dolere de frequentia venialium 265; num ecclesia eorum confessionem praecipere possit 273.
— *remissa:* sunt materia sufficiens confessionis 229; directe et indirecte remissa 224; indirecte remissa sunt materia necessaria confessionis 282.
— *reservata:* v. **Reservatio. Casus.**
Peccator: publicus, occultus 37; peccatori publico neganda sunt sacramenta 38; peccatori occulto neganda sunt sacramenta, si occulte petit 37; quid requiratur, ut peccator publicus ad eucharistiam admitti possit 37.
Peregrini: qua iurisdictione absolvantur 339; num a casibus reservatis absolvi possint 364.
Periculum *mortis:* in periculo mortis supplet ecclesia iurisdictionem 345; cessat omnis reservatio 345; absolvere potest simplex sacerdos praesente approbato ab omnibus peccatis et censuris 345; absolutus a censura reservata se sistere debet, si convalescat 345.
Persona *habilis:* ad ineundum matrimonium 631; ad ineunda sponsalia 532.
Poenitens: dispositus, indispositus, dubie dispositus 389; dispositus per se absolvi debet 391; etiam disposito differri potest absolutio 391; indispositus absolvi nequit 391; dubie dispositus solum ex iusta causa absolvi potest 391; v. **Absolutio. Confessarius.**
Poenitentia ut virtus: quid sit 215; generalis et specialis 215; quid ad eius essentiam requiratur 215; propositum non peccandi in ea continetur 215; eius obiectum materiale et formale 216; praeceptum non obligat statim post peccatum sed neque solum in morte 217; ad veniam peccatorum obtinendam necessaria 241; eaque formalis 241.
Poenitentia ut sacramentum: eius definitio 218; eius institutio 219; necessitate medii et praecepti necessaria est 220; quando obliget praeceptum divinum 221; praeceptum ecclesiasticum 220; eius partes 222; eius effectus 223; num possit esse informis 260.
Poenitentiae *materia:* necessaria 224; adultus sub condicione rebaptizatus confiteri tenetur peccata ante baptismum commissa 225;

peccata in ipso baptismo commissa sunt materia dubia 226; materia libera 227; materia certa et dubia 228; quid faciendum, si poenitens non confitetur nisi materiam dubiam 228; materia sufficiens et non sufficiens 229; quando peccata in genere accusata sint materia sufficiens 230; materia proxima 233; actus poenitentis probabiliter sunt condicio necessaria absolutionis 233.

Poenitentiae *forma:* quae sit 235; essentialis et rubricalis, praeceptiva et directiva 235; quae verba essentialia sint 236; num forma rubricalis integra semper dicenda sit 237; voce proferri debet 238.

— *minister:* est solus sacerdos 335; indiget potestate ordinis et iurisdictionis 336; eius obligationes v. **Confessarius.**

Pollutio: num impediat s. communionem 144.

Polyandria: repugnat fini primario matrimonii 516.

Polygamia: simultanea et successiva 516.

Polygynia: repugnat fini secundario matrimonii 516.

Potestas *remittendi peccata:* ecclesiae concessa 219; est potestas iudicialis 219.

Privilegium *altaris:* quid sit 324; locale, personale 324, 189.

— *paulinum:* quid sit 520; quando per illud solvatur matrimonium 520; condiciones ad solutionem requisitae 521 s.; num pars fidelis etiam religionem ingredi possit 523.

Propositum: quid sit 261; ad veniam obtinendam necessarium est 261; debet esse firmum, universale, efficax 262; sufficit implicitum 263; num excludat timorem relabendi 262; num ex relapsu eius defectus colligi possit 262.

R.

Recidivus: quis dicatur 394; ex fragilitate et ex mala voluntate 395; num absolvi possit 395; num praestet ei absolutionem differre 396.

Reductio missarum v. **Missa.**

Regulares: ubi, quando et quibus eucharistiam dispensare possint 127; quibus extremam unctionem conferre possint 439.

Religiosae: sorores et moniales 349; de confessario religiosarum 350; de confessario ordinario, extraordinario 351, 352; de confessariis speciali et designatis 353; v. **Confessarius.**

Religiosi: nequeunt esse patrini in baptismo 80; a quo absolvi possint 348; de confessariis novitiorum 348.

Remissio *peccatorum:* condicio ad eam requisita 241; mortalium 242; venialium quoad culpam 243 ss.; quoad poenam 246; ex opere operantis 243 s.; ex opere operato 245.

Repetitio *formae* v. **Forma.**

— *sacramenti* v. **Iteratio.**

— *extremae unctionis* v **Unctio.**

Reservatio *casuum:* quid sit 355; ecclesia habet potestatem reservandi casus 356; finis reservationis 357; modus reservationis 358; num ignorantia ab incurrenda reservatione excuset 362; quando cesset reservatio 364; v. **Casus.**

Reviviscentia *sacramentorum:* quid sit, quae sacramenta reviviscant, quae dispositio ad reviviscentiam requiratur 8; num poenitentia reviviscere possit 260; num extrema unctio reviviscat 431.

— *meritorum:* effectus sacramenti poenitentiae 223.

Rituale *romanum:* non debuit introduci, sed ubi introductum est, servari debet 29.

Rubricae: essentiales et sacramentales; praeceptivae et directivae 29; praeceptivae per se sub gravi obligant 29; quae rubricae praeceptivae sint 208.

S.

Sabbatum sanctum: solum sacrum sollemne hac die celebrare licet 202; licet distribuere s. communionem 202.

Sacramenta: cur in theologia morali tractanda 1; eorum definitio 2; effectus 3, 4; qualem gratiam producant sacramenta *specie*, qualem *numero*, diversa 3; modus efficiendi 5; eorum numerus 6; discrimen 6; eorum divisio 7; num et quae reviviscant 8; eorum partes essentiales 9; num valeat sacramentum a pluribus ministris confectum 14; collata sub condicione de praesenti vel de praeterito valent 25; collata sub condicione de futuro non valent 25; iterabilia et non iterabilia 26; quando iterari possint vel debeant 27; cui neganda sint sacramenta 36 s.; simulare nunquam licet, dissimulare [illegible] iusta causa licet 39; quis suscipere possit 40; non licet petere [illegible] ministro indigno 43.

Sacramentalia: quid sint 44; quo sensu ab ecclesia instituta sint 44; transeuntia et permanentia, reservata et non reservata 45; differunt a sacramentis 44; sacramentalium minister, subiectum 46; eorum effectus 48; quomodo effectus producant 50; sacramentalium usus non praeceptus, sed valde commendandus 54.

Sacrificium eucharisticum v. **Missa.**

Sacrosanctae: eius effectus 323.

Sanatio in radice: quid sit 665; quis [illegible] concedere possit 665; condiciones ad eam obtinendam requisitae 666; quo modo petenda sit 667.

Satisfactio *(poenitentia):* quid sit 296; sacramentalis et non sacramentalis 296; vindicativa et medicinalis 297; quo sensu sit pars sacramenti poenitentiae 222; eius effectus 298; obligatio imponendi satisfactionem 299; quae poenitentia imponenda 300; ob quas causas minor imponi possit 301; quando imponenda sit 302; opera pro poenitentia imponenda 303; poenitentiae incongruae 304; num sub gravi acceptari et impleri debeat 305; quando sub gravi

obliget 306; quando impleri debeat 307; quomodo impleri debea 308; satisfacit, qui in statu peccati eam implet 298; quis eamt mutare possit 309; quomodo mutari possit 310.

Schedula *confessionis:* quando dari, quando negari debeat 417; quando eius negatione laedatur sigillum 417.

Sectio *caesarea:* mortua matre praegnante fieri debet 71; quis [illegible] peragere debeat 71.

Semifatui: num eis danda sit s. communio 135.

Sigillum *sacramentale:* quid sit 406; quotuplex sit eius obligatio 407; unde oriatur 407; [illegible] licet uti opinione probabili in materia sigilli 407; cessat obligatio sigilli, si poenitens licentiam loquendi dederit 408.

Sigilli *subiectum:* ad sigillum tenetur confessarius 409; omnes, qui confessionis notitiam accipiunt 410; quando ad sigillum teneatur, qui alterius confessionem scriptam legit 410.

— *materia:* essentialis, accidentalis; directa, indirecta 411 ss.; ipsa peccata 411; quando circumstantiae, quae ad declaranda peccata manifestantur 412; quando poenitentiae impositae 412; defectus poenitentis, virtutes eius, absolutio data vel negata 413, 414; quando scrupulositas poenitentis 413.

— *laesio:* directe et indirecte laedi potest 415; quando laedatur usu notitiae confessionis 416; laesio directa non admittit parvitatem materiae, indirecta eam admittit 415; quando negata schedula confessionis laedatur 417; num confessarius consilium petens sigillum laedat 417.

Simulatio *sacramentorum:* quid sit; formalis et materialis 38; nunquam licita 39.

Sollicitatio *in confessione:* quid sit 373; quando censetur facta in confessione 375; sub quibus condicionibus denuntianda 374; v. Denuntiatio.

Spectacula: quae licita, quae illicita 421.

Spes: num ante confessionem elici debeat 264.

Sponsalia: quid sint 525; promissio unilateralis 526; condiciones validorum sponsalium 528 ss.; num valeant inita ex metu 530; inter personas impedimento laborantes 532, 538; eorum forma 531; quomodo dividantur 534; inter impuberes 532; per procuratorem 536; invitis parentibus 536; sub condicione, si papa dispensaverit 538, 540; cum persona acatholica 538; eorum effectus 539; ad quid obligent sponsalia occulta, sub condicione inita 533, 540; quomodo solvi possint 541; quando ipso iure solvantur 542 ss.; quando rescindi possint 545 ss.; quos defectus sponsi manifestare debeant 546; num solvi possint propria auctoritate 548; ad quid teneatur, qui ea iniuste solvit 549.

Stipendium *missae:* unde ortum sit 183; exigere licet 183; unum tantum pro una missa 184; inducit obligationem gravem iustitiae 184; quantum esse possit 185; qui ex stipendio applicare debet pro vivo, satisfacit dicendo missam de requiem 184; qui applicare debet in honorem alicuius sancti, non tenetur dicere missam votivam 184; quando dicenda sit missa ex stipendio debita 187; quot stipendia simul accipere liceat 188; num liceat alteri celebrationem committere parte stipendii retenta 191; bibliopolis et mercatoribus etc. non licet stipendia dare 190; stipendia reliqua in fini anni ordinariis tradenda 188; sub quibus condicionibus stipendia missarum aliis tradi possint 189 ss.; stipendia adnotanda sunt in libro peculiari 186.

Sterilitas: quid sit, quo differat ab impotentia 599.

Superiores: num missae applicationem praecipere possint 196.

Surdi muti: num eucharistiae et absolutionis sint capaces 138; quoad indulgentias lucrandas 322; num sponsalia inire possint 532.

Susceptio *sacramenti:* valida, licita, digna, fructuosa 10; invalida et illicita quantum sit peccatum 10; quid ad validam requiratur 41; quid ad licitam requiratur 42; ad validam susceptionem nulla requiritur attentio 41; quae dispositio ad licitam susceptionem requiratur 42.

T.

Taxa (componenda) *pro dispensatione matrimoniali:* quid contineat et quando solvenda sit 618.

Testis *matrimonii:* quis esse possit et quomodo assistere debeat 650; num licite assistat in matrimonio civili 681.

Theatrum v. **Spectacula.**

Thesaurus *ecclesiae:* quid sit 311; num missa non applicata in thesauro ecclesiae maneat 174.

Titulus: varii tituli pro indulgentia in articulo mortis 328; discrimen inter titulos personales et titulum universalem 328; tituli, quibus aliquis fit subditus quoad iurisdictionem 339; tituli, quibus aliquis acquirit episcopum proprium 463; titulus canonicus 473; v. **Error.**

Tonsura (prima): est dispositio ad ordines 451; eius effectus 451.

U.

Unctio *extrema:* eius definitio 428; eius effectus primarii et secundarii 429, 430; quomodo sanitatem corporis producat 430; quando effectus producat 431; quomodo conferenda sit, si periculum in mora 437; quomodo simul pluribus conferatur 438; num ministrari debeat 441; num suscipi debeat 446.

Unctionis extremae *materia*: materia remota valida 432; materia remota licita 433; materia proxima 434; quomodo unctiones faciendae 435.

— *forma:* quae sit 436; quae verba essentialia sint 436; in casu necessitatis 437.

Unctionis extremae *minister:* quis eam valide, quis licite conferre possit 439; quibus regulares eam conferre possint 439; quomodo administranda sit 440; num ministrare eam debeat 441; quando sub condicione ministranda sit 445.

— *subiectum:* quis eam valide suscipere possit 442, 443; quis eam licite suscipere possit 444; quando iterari possit 447.

V.

Viaticum: quando urgeat praeceptum divinum 137; qui sacrilege suscipit, [illegible] satisfacit praecepto 138; num teneatur is, qui paulo ante [vel eodem die communicavit 138; utrum viaticum pluries administrari liceat 138; quo ritu ministrari debeat 132; num deferre liceat cooperto capite, equitando, in curru sedendo 132; num deferre liceat occulte 132; quibus regulares ministrare possint 127; quid faciendum, si infirmus sacram hostiam evomat 132

Vinum: quale sit materia eucharistiae v. **Eucharistia.**

Visitatio *ecclesiae:* quae requiratur ad lucrandas indulgentias 321.

Index.

Pag.

Introductio 1

Liber primus. De sacramentis in genere.

Quaestio 1. De natura sacramentorum 3
Quaestio 2. De materia et forma sacramentorum 11
Quaestio 3. De ministro sacramentorum.
Art. 1. De ipso ministro 17
Art. 2. De requisitis ad validam administrationem 18
§ 1. De fide et potestate ministri 18
§ 2. De attentione ministri 19
§ 3. De intentione ministri 20
Art. 3. De iteratione sacramentorum 26
Art. 4. De requisitis ad licitam administrationem 28
Art. 5. De obligatione ministrandi sacramenta 33
Art. 6. De obligatione denegandi sacramenta 36
Quaestio 4. De subiecto sacramentorum.
Art. 1. De sacramentis valide recipiendis 42
Art. 2. De sacramentis licite suscipiendis 46
Quaestio 5. De sacramentalibus.
Art. 1. De natura sacramentalium 48
Art. 2. De effectibus sacramentalium 52
Art. 3. De benedictionibus et exorcismis 57
§ 1. De benedictionibus 58
§ 2. De exorcismis 58

Liber secundus. De baptismo.

Quaestio 1. De natura baptismi 62
Quaestio 2. De materia et forma baptismi.
Art. 1. De materia baptismi 64
Art. 2. De forma baptismi 70

Pag.
Quaestio 3. De ministro baptismi 74
Quaestio 4. De subiecto baptismi.
Art. 1. De baptizandis infantibus 77
Art. 2. De baptizandis foetibus 81
Art. 3. De baptizandis adultis 84
Art. 4. De baptizandis sub condicione 87
Quaestio 5. De patrinis baptismi 89
Quaestio 6. De ceremoniis baptismi 93

Liber tertius. De confirmatione.

Quaestio 1. De natura confirmationis 98
Quaestio 2. De materia et forma confirmationis 99
Quaestio 3. De ministro confirmationis 104
Quaestio 4. De subiecto confirmationis 106
Quaestio 5. De ceremoniis confirmationis 110

Liber quartus. De eucharistia.

Caput 1. De eucharistia ut sacramentum est.
Quaestio 1. De natura et effectibus eucharistiae.
Art. 1. De natura eucharistiae 114
Art. 2. De effectibus eucharistiae 119
Quaestio 2. De materia eucharistiae.
Art. 1. De materia remota 122
Art. 2. De materia proxima 130
Quaestio 3. De forma eucharistiae 137
Quaestio 4. De ministro eucharistiae.
Art. 1. De potestate ministrandi eucharistiam 140
Art. 2. De modo ministrandi eucharistiam 146
Quaestio 5. De subiecto eucharistiae.
Art. 1. De ipso subiecto eucharistiae 151
Art. 2. De necessitate eucharistiae 155
Art. 3. De dispositione animae 158
Art. 4. De dispositione corporis 163
Art. 5. De communione frequenti 175
Caput 2. De eucharistia ut sacrificium est.
Quaestio 1. De natura sacrificii eucharistici 182
Quaestio 2. De valore et fructibus sacrificii missae.
Art. 1. De fructibus missae sacrificii 189
Art. 2. De valore sacrificii 194
Quaestio 3. De applicatione sacrificii missae.
Art. 1. De ipsa applicatione 197
Art. 2. De modo applicationis 202

Pag.
Quaestio 4. De obligatione celebrandi 206
§ 1. Obligatio ratione sacerdotii 207
§ 2. „ „ officii 208
§ 3. „ „ stipendii 211
§ 4. „ „ beneficii 226
§ 5. „ „ oboedientiae 229
§ 6. „ „ promissionis 230
Quaestio 5. De loco celebrationis 231
Quaestio 6. De tempore celebrationis.
Art. 1. Quando celebrare liceat 234
Art. 2. Quoties eadem die celebrare liceat 240
Quaestio 7. De ritu celebrationis 245

Liber quintus. De poenitentia.

Caput 1. De ipsa poenitentia.
Quaestio 1. De natura poenitentiae 254
Art. 1. De virtute poenitentiae 255
Art. 2. De sacramento poenitentiae 258
Quaestio 2. De materia poenitentiae.
Art. 1. De materia remota 264
Art. 2. De materia proxima 275
Quaestio 3. De forma poenitentiae 276
Quaestio 4. De remissione peccatorum.
Art. 1. De condicione ad remissionem requisita 284
Art. 2. De ipsa remissione peccati 286
Art. 3. De remissione peccati venialis.
§ 1. De remissione quoad culpam 287
§ 2. De remissione quoad poenam 290
Caput 2. De subiecto poenitentiae.
Quaestio 1. De contritione.
Art. 1. De natura contritionis 292
Art. 2. De necessitate contritionis 297
Art. 3. De dotibus contritionis 298
Art. 4. De proposito 306
Quaestio 2. De confessione.
Art. 1. De ipsa confessione 311
Art. 2. De integritate confessionis 316
Art. 3. De causis ab integritate excusantibus 327
Art. 4. De mediis procurandae integritatis.
§ 1. De examine conscientiae 335
§ 2. De repetitione confessionis invalidae 337
Art. 5. De absolutione moribundorum 340

Pag.

Quaestio 3. De satisfactione.
Art. 1. De natura satisfactionis 345
Art. 2. De satisfactione imponenda 347
Art. 3. De satisfactione acceptanda et implenda 353
Art. 4. De satisfactione commutanda 357

Quaestio 4. De indulgentiis.
Art. 1. De natura indulgentiarum 359
Art. 2. De condicionibus indulgentiarum lucrandarum . . . 366
Art. 3. De indulgentia altaris privilegiati 375
Art. 4. De indulgentia in articulo mortis 379
Art. 5. De indulgentia iubilaei 382

Caput 3. De ministro poenitentiae.

Quaestio 1. De ministro eiusque potestate.
Art. 1. De ministro eiusque potestate in genere 391
Art. 2. De iurisdictione 392
Art. 3. De iurisdictione, quam supplet ecclesia 398
Art. 4. De iurisdictione in religiosos 401
Art. 5. De iurisdictione in religiosas 404

Quaestio 2. De restrictione iurisdictionis 409
Art. 1. De reservatione casuum 410
Art. 2. De absolutione a casibus reservatis.
§ 1. De absolutione a casibus episcopalibus 417
§ 2. De absolutione a casibus papalibus 421
Art. 3. De absolutione proprii complicis 426
Art. 4. De sollicitatione in confessione 430

Quaestio 3. De obligationibus ministri 442
Art. 1. De scientia confessarii 443
Art. 2. De obligatione docendi et monendi poenitentes . . 444
Art. 3. De obligatione interrogandi poenitentes 447
Art. 4. De obligatione absolvendi poenitentes in genere . . 450
§ 1. De obligatione cognoscendi causam 451
§ 2. De obligatione diiudicandi dispositionem 452
§ 3. De obligatione absolvendi 455
Art. 5. De absolvendis consuetudinariis 458
Art. 6. De absolvendis recidivis 459
Art. 7. De absolvendis occasionariis 463
Art. 8. De obligatione corrigendi defectus 467
Art. 9. De obligatione servandi sigilli sacramentalis.
§ 1. De obligatione sigilli 473
§ 2. De subiecto sigilli 477
§ 3. De materia sigilli 479
§ 4. De laesione sigilli 483

Appendix I.

Pag.

De occasionibus particularibus.
Art. 1. De visitationibus adamantium 489
Art. 2. De choreis 493
Art. 3. De spectaculis 494

Appendix II.

De confessione generali 496

Liber sextus. De extrema unctione.

Quaestio 1. De natura extremae unctionis 503
Quaestio 2. De materia extremae unctionis 508
Quaestio 3. De forma extremae unctionis 512
Quaestio 4. De ministro extremae unctionis 514
Quaestio 5. De subiecto extremae unctionis 516

Liber septimus. De ordine.

Quaestio 1. De natura ordinis.
Art. 1. De ipsa natura ordinis 523
Art. 2. De effectibus ordinis 524
Quaestio 2. De materia et forma ordinis 528
Quaestio 3. De ministro ordinis 536
Quaestio 4. De subiecto ordinis.
Art. 1. De ipso subiecto. 539
Art. 2. De requisitis in subiecto 541
Art. 3. De requisitis ante ordinationem 545
Art. 4. De requisitis in ordinatione 549
Quaestio 5. De impedimentis ordinationis.
Art. 1. De irregularitatibus in genere 553
Art. 2. De irregularitatibus ex defectu.
§ 1. Defectus legitimarum natalium 556
§ 2. Defectus corporis 558
§ 3. Defectus animae 560
§ 4. Defectus sacramenti 561
§ 5. Defectus famae 562
§ 6. Defectus lenitatis 563
Art. 3. De irregularitatibus ex delicto.
§ 1. Defectio a fide 565
§ 2. Baptismus ab acatholico susceptus 565
§ 3 Matrimonium attentatum 566
§ 4. Homicidium, procuratio abortus 567

Pag.
§ 5. Mutilatio, suicidii tentatio 567
§ 6. Exercitium artis medicae vel chirurgicae 568
§ 7. Abusus ordinis 569
Art. 4. De impedimentis simplicibus 570
Art. 5. De dispensatione ab impedimentis ordinationis . . 573

Liber octavus. De matrimonio.

Quaestio 1. De natura matrimonii.
Art. 1. De ipsa eius natura 576
Art. 2. De matrimonio ut sacramentum est 581
Art. 3. De matrimonii divisionibus 586
Art. 4. De potestate ecclesiae in matrimonium 589
Art. 5. De potestate auctoritatis civilis in matrimonium . . 591
Quaestio 2. De proprietatibus matrimonii.
Art. 1. De unitate matrimonii 594
Art. 2. De indissolubilitate matrimonii.
§ 1. De matrimonio rato fidelium 596
§ 2. De matrimonio consummato infidelium 598
Quaestio 3. De sponsalibus.
Art. 1. De promissione matrimonii 606
Art. 2. De natura promissionis matrimonii 607
Art. 3. De effectibus sponsalium 616
Art. 4. De dissolutione sponsalium.
§ 1. Causae, ob quas sponsalia ipso iure solvuntur . . 619
§ 2. Causae, ob quas sponsalia rescindere licet 622
Quaestio 4. De requisitis ante celebrationem matrimonii.
Art. 1. De examine sponsorum 628
Art. 2. De proclamationibus matrimonii 631
Quaestio 5. De impedimentis matrimonii.
Art. 1. De impedimentis in genere 638
Art. 2. De impedimentis impedientibus.
§ 1. Votum 644
§ 2. Mixta religio 646
§ 3. Cognatio legalis 650
Art. 3. De impedimentis dirimentibus.
§ 1. Aetas 654
§ 2. Impotentia 656
§ 3. Ligamen 662
§ 4. Disparitas cultus 664
§ 5. Ordo sacer 667
§ 6. Votum sollemne 669
§ 7. Raptus 671

Pag.
§ 8. Crimen 673
§ 9. Consanguinitas 678
§ 10 Affinitas 686
§ 11. Publica honestas 689
§ 12. Cognatio spiritualis 690
§ 13. Cognatio legalis 692
Quaestio 6. De dispensationibus matrimonialibus.
Art. 1. De ipsa dispensatione 693
Art. 2. De potestate dispensandi.
§ 1. De potestate summi Pontificis 695
§ 2. De potestate Ordinarii 696
§ 3. De potestate parochi et confessarii 698
§ 4. De usu facultatum delegatarum 700
Art. 3. De causis dispensandi 701
Art. 4. De modo petendi dispensationem 706
Art. 5. De modo concedendi et exsequendi dispensationem . 713
Quaestio 7. De consensu matrimoniali.
Art. 1. De natura et proprietatibus consensus 718
Art. 2. De consensu condicionato 725
Art. 3. De defectibus consensus.
§ 1. Error 729
§ 2. Vis seu metus 731
Art. 4. De effectibus matrimonii.
§ 1. Effectus quoad coniuges 734
§ 2. Effectus quoad filios 735
Quaestio 8. De forma celebrationis matrimonii.
Art. 1. De parocho competente 737
Art. 2. De sacerdote delegato 742
Art. 3. De testibus 745
Art. 4. De iis, qui hac forma tenentur 746
Art. 5. Quando cesset obligatio ad formam 747
Quaestio 9. De ipsa celebratione matrimonii.
Art. 1. De tempore celebrationis 749
Art. 2. De loco celebrationis 750
Art. 3. De contrahentibus 750
Art. 4. De parocho assistente 751
Art. 5. De ritu matrimoniali 753
Art. 6. De celebratione matrimonii mixti 754
Art. 7. De matrimonio inscribendo 756
Quaestio 10. De revalidatione matrimonii 757
Art. 1. De revalidatione simplici 759
Art. 2. De sanatione in radice 764

Pag

Quaestio 11. De dissolutione matrimonii.
Art. 1. De separatione ex mutuo sensensu 768
Art. 2. De separatione ex causa unius partis 770
Art. 3. De separatione civili 774

Appendix I.

De matrimonio civili 779

Appendix II.

Excommunicationes 785

School of Theology
at Claremont

020 (3)

41873

A11514

BX
1758
N68
1923
v. 3

THEOLOGY LIBRARY
SCHOOL OF THEOLOGY AT CLAREMONT
CLAREMONT, CALIFORNIA